44018/B



Ioh: Andr Thelott. del   Iac: Andr: Fridrich sc: Aug Vind

D. VITI RIEDLINI,
ULMENSIS,

Olim Auguſtæ Vindelicorum, nunc in Patria Phyſici, & Academici Curioſi,

CURARUM MEDICARUM,

in quibus

Varii Caſus, Hiſtoriæ & Obſervationes,

eoque ipſo multa

Medicinam partim magis illuſtrantia, partim confirmantia
&
Inprimis Praxin Medicam exercentibus apprime utilia

continentur,

MILLENARIUS.

quo ſimul &
Ephemerides Naturæ Curioſorum quodammodo continuantur.

U L M Æ,
Sumtibus GEORGII WILHELMI KUHNII,
M. DCC. IX.

24359

DEO

T. O. M.

ET

MEDICIS PRACTICIS

SACRUM.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

L. B. S.

PAuci admodum inveniuntur, de quibus revera aſſerere poſſemus, nullis omnino eosdem diſtringi curis; cum ſic ſit comparata Vita humana, ut dum vix agere nos eam novimus, jam variæ in animo noſtro ſuboriantur & agitentur Curæ.

Et ex his quidem tam multæ illicitæ minusque honeſtæ exiſtunt, ut iis omnibus recenſendis vix pluſculæ ſufficerent paginæ; quibus plures tantum ſe ipſos diſcruciant, ut & ſanitati ſuæ inſidientur, & ſic conſtitutum vitæ terminum non attingant.

Hinc procul â Chriſtianis abeſſe Curas, quibus victus, divitiæ, voluptates, aliaque hujus farinæ, fomenta ſuggerant, S. Scriptura jubet; nec veri Chriſtiani nomen meretur, qui talibus indulget Curis, iisdem tempus perdit, & ſic impedit, ne mens altioribus magisque ſe dignis ſtudiis vacare poſſit.

Magis Eundem decent Curæ de ſalute æterna adipiſcenda, de peccatorum remiſſione obtinenda, de iis in

poſterum fugiendis, de fide augenda, de DEo ſuper omnia, proximoque ſicut ſe ipſum diligendis, & quæ ſunt plures huc ſpectantes aliæ.

Si vero, ut alias laudabiles Curas nunc prætercam, cui revera Curæ Cordique eſt, ut Proximum ſicut ſe ipſum diligat, huic ſuo debito inprimis etjam ſatisfaciet, ſi omni ſtudio curabit, ut munus, cui honeſto præeſt, rite exequatur, nec quicquam omittat, quod ad illud exequendum vel minimum conferre poſſe videtur.

Qui Medicum agit, tam nobile tractat Subjectum, ut, ſi vel hujus præſtantiam paululum attentius conſideraverit, ſi, quam facile errores etiam graviores in arte ſua committi poſſint, vel parum perpenderit, jam ſat Curarum habeat, ut artem ſuam, ſic quidem, ut illibatam ſervet conſcientiam, exerceat.

Curæ hinc ſuboriuntur neceſſariæ, ut hocce Subjectum, & partes illud conſtituentes, continentes æque ac contentæ, ut & impetum facientes rite cognoſcat; ut omnia, & ſingula, quæ has in ſtatu ſano integroque conſervandi, & ab hoc deflectentes eidem reſtituendi viribus pollent, ſibi innoteſcant; ut ſignorum doctrinam percalleat, ut morbos horumque cauſas prima facie interdum convenientes, revera vero toto cœlo ſubinde differentes diſcernere queat; & quæ ſunt plurimæ aliæ Curæ, quibus niſi ſæpius indulſerit, genuini Medici nomen vix ac ne vix quidem meretur.

Ut autem tum olim ſic requirente neceſſitate has Curas in memoriam ſibi ipſi revocare, tum & aliis iisdem prodeſſe poſſit, non parum conferet, ſi eas pleraſque in chartam

conjecerit, ſicque digeſſerit, ut non ita difficulter, quæ notavit, inveniantur, quin aliis cum fructu communicentur.

Sic ſat diu jam præter eas, quæ animam ſpectant, tales etiam me tenuiſſe Curas, ſunt teſtes Lineæ meæ Medicæ, per continuam ſex annorum ſeriem quotidie ductæ, & hinc publicæ luci expoſitæ, nec inutiles vel ſummis in arte medica Viris viſæ; teſtantur idem Iter meum medicum; Tractatus de Febribus; Notæ in Manuductionem ad Medicinam B. Parentis; Medulla item Pharmacopœiæ Auguſtanæ.

Continuavi vero & Linearum laborem, & ſub Curarum medicarum nomine integrum Millenarium congeſſi, jam ante hos octo annos typis deſtinatum; non invento, qui ſumtus ad Eum imprimendum ſuggeſſiſſet, pluribus hos potius in minus utilia, ludicra, quin noxia ſcripta impendentibus; donec Vir de republica litteraria vel ideo meritiſſimus, quod talia inprimis ſcripta imprimi curat, quæ inſignem uſum quibusvis litteratis præbent, Dn. Georg. Wilhelmus Kühn, Adfinis meus æſtumatiſſimus, & has Curas luci dedit: de quibus notes, quod omnes, cum adhuc Auguſtæ Vindelicorum Phyſicum agerem, ibi conſcriptæ fuerint, & hinc ad hanc Urbem quæ paſſim enarrantur, ſint applicanda.

Exordia omiſi, quæ quippe identidem ſic me retardarunt, ut ipſas obſervationes ſubjungendi tempus poſtmodum fere defecerit; quasdam etiam obſervationes, quibus præfanda non ſtatim occurrerunt, licet communicatione omnino dignas, omiſerim.

Pauciſſima ex aliis Auctoribus, repetitione digniſſima viſa hiſce Curis interſerui, quæ vel ipſa raritas excuſabit; nec ſemper fere adjecta epicriſis ſuo uſu carebit.

Curis hiſce ſi medentium quorundam Curas quodammodo ſublevavero, & ut Curas ſuas felicius & facilius inſtituere poſſint, vel parum contulero, jam ſcopum meum obtinui; nec in poſterum ſic curare deſinam, cum, quamdiu quidem Dei gratia hac vitali aura ſum fruiturus, anſam vix defuturam, totus ſperem: quæ vel interea bis mille fere alias ejuscemodi obſervationes ad typos jam paratas ſuggeſſit, ſuo tempore ſub aliis forſan titulis, DEO juvante, publico communicandas.

Errata typographica interdum Te morantia, feſtinatæ impreſſioni, dum nempe nuper admodum inprimi hæ Curæ cœperunt, & vix duo menſes huic labori impenſi fuerunt, adſcribe, eaque humaniter corrige.

Vale Bonivole Lector, & Curis meis ſicut olim Lineis faviſti, fave.

Scr. An. 1709. d. 19. Martii,
LIV. meo Natali.

I.

Catarrhus pene ſuffocans â pleuritide.

SArtor quidam poſt mediam noctem ad me venit, queriturque, quod Uxor, cum poſt iram doloribus pectoris punctoriis correpta fuiſſet, noctis primam quidem partem ſic ſat quietam tranſegerit, evigilans vero tam difficulter reſpirarit, ut vix verbum proferre potuerit, quæ dyſpnœa brevi tantum ſumſerit incrementum, ut dubitet, an vivam eam ſit reperturus? ut ergo medicamenta convenientia ſuggeram, eo magis rogat: nec deſum ego petito, ſed Mixturam ex Aquis Pectoralibus, & lapid. præſertim cancri atque Sale volatili oleoſo conſtantem præſcribo, hujusque tertiam partem Uxori ſtatim, reliquum vero per vices exhibere jubeo: non redeunte vero ſequenti die Sartore, an ſuffocata ſit, an melius ſe habeat ægra? neſciens hæc ipſa oblivioni tradidiſſem, niſi tertio die iterum me accedens retuliſſet, conduxiſſe optime Uxori Mixturam, jamque longe facilius reſpirare, at dolorem punctorium inſtare, ſe vero nullum dubitare, quin ſi externum quoddam ſim præſcripturus remedium, ille illico ſit ceſſurus, commendavi ergo hunc in finem oleum Lini, at eo referente, hoc jam fruſtra in uſum ductum fuiſſe, huic nunc Emplaſtrum de Meliloto ſubſtituere juſſi, ſimul tn. ut Tinctura Bezoartica ſumeretur, conſultum duxi, cum raro remediis ſolum externis depellatur hoc malum; quæ tn. tam magni â vulgo habentur, ut niſi iisdem & hac in parte ſatisfaceres, mirum quantum intermiſſum fuiſſe, crederent; Non potuit vero non levamen afferre in catarrho pene ſuffocante præſcripta mixtura, cum lapides cancri acidum ſtrangulans inverterint, ⊖ Volat. Oleoſum verò tum partes viſcidas incidendo, tum motum quorundam humorum inhibitum promovendo profuerit.

II.

Tympanites incipiens.

VOcatus fui hoc ipſo die ad Senatoris cujusdam Viduam, cujus querelæ inter ſe collatæ denunciarunt, ipſam non fruſtra à Tympanitide inſtante ſibi metuere, utut vero de hoc ipſamet non dubitet, unico tn. medicamento me hoc malum depellere poſſe, ſimul credidit, at hoc fieri non poſſe, ſtatim edixi, indeque uti hac vice Vinum medicatum eidem præſcripſi, ita niſi hoc poto alia quoque medicamenta ſubjungat, malum vix curatum iri, illi denunciavi; exinde vero plerumque morbi tam altas agunt radices, quia in principio vix unum alterumve eisdem opponitur remedium, quo non juvante iterum aliquamdiu expectatur, ſicque optima agendi occaſio præterlabitur, malumque poſtmodum vix ac ne vix quidem curari poteſt.

III.

Panniculus Carnoſus.

PAnniculum Carnoſum male inter corporis humani communia integumenta referri, ex Dione Anatomico Pariſienſi legi, & ſane, ſi pinguedini, quævis ad eam ſpectantia aſſerantur, muſculisq; exterior membrana non denegetur, ego non video, quomodo vel acuratiſſime indagans hunc Panniculum in homine ſit inventurus.

IV.

Febris Bilioſa.

VAledixi Juveni cuidam Studioſo, Præceptoris domeſtici vices apud quendam Scribam agenti, qui, dum vacare à Studiis aliquamdiu per Profeſſorum indulgentiam licuit, eam diætam, quæ ſanitatem conſervat, non ſervavit, ſed aliquoties errores non ita parvos commiſit, unde tandem de capitis dolore conqueſtus fuit, quod herus ejusdem catarrho adſcribens, Pharmacopœum in vicinia habitantem conſuluit, qui nil magis avide quam talem occaſionem extra oleas vagandi arripiens ſtatim Potiunculam paravit in tres partes dividendam, & poſt ſingulas quinque horas exhibendam; licet vero æger diligenter eam modo præſcripto ſumſerit, tantum tn. abeſt, ut inde malum vel minimum mitigatum fuiſſet, ut potius dolores ſic increverint, ut eum proſtraverint, unde jam ad me ventum fuit, & ego in quævis ſedulo inquirens Juvenem acute febricitantem inveni; licet vero inprimis de amaritie oris quoque conqueſtus fuerit, unde bilis exundans ſe prodidit, non tn. tam de hac quam de febre ſolicitus fui, & huic pulverem præſertim Pannonicum oppoſui, ſic quidem ut in principio illum poſt ſingulas ſex, hinc vero malo quodammodo remittente poſt octo horas ſumſerit, unde Dei gratia notatu dignum ſymptoma nullum ſupervenit,

ſed ipſo ſeptimo die febris Dei gratia prorſus extincta fuit: billioſa à me nominata, quia dicta amarities eandem ad finem usque comitabatur, unde & ſub finem Potiuncula laxante bilem evacuavi, quod bene admodum tulit; interea ex dictis conſtat, quam tuto talis evacuatio, febre jam in augmento conſtituta intermittatur & differatur.

V.

Empyema.

MAteriam purulentam ſputo rejicere nonnullos poſſe, pulmonibus adhuc integris, mihi quidem nullum videtur dubium, qui potius ſemper hactenus dubitavi, an illi, qui poſt diuturnam tuſſim & puris ſputum integrè cum ſanitate in gratiam redierunt, pulmonibus revera laboraverint? perplacuitque hinc mihi Veterani cujusdam Medici Sententia ante aliquot menſes lata, cum una mecum quendam viſitaſſet, qui magnam admodum puris copiam quotidie ſputo rejecit, dum Empyemate illum laborare judicavit, unde & ſpem haud ita vanam de ejusdem convaleſcentia concepit, quæ quippe brevi poſt eſt ſubſecuta, at malum interea rediit, quod ego quidem pro Empyematis denuo repleti indicio habeo, cum & in aliis notaverim, ſi ſemel illo laborarint, malum niſi poſt ſingulos annos, poſt quævis tn. biennia rediiſſe, at in ſummo periculo verſari ejuscemodi homines, ne td. pulmones inficiantur, vix eſt, quod dubitemus.

VI.

Blancardus plagii accuſatus.

CLariſſimum Philippum Verheyen, Celebrem illum Stephanum Blancardum peculiaris cujusdam plagii qua tabulas nempe Anatomicas accuſare, ex Animadverſionibus in Anatomiam Blancardianam annexis Anatomiæ Verheyanæ legi, & hujus ſine dubio plures rei ſunt, excuſandi omnino, ſi Auctorum quibus debent, decentem fecerint mentionem, at ſi in hos vel debacchari auſi fuerint, ſeque ſolos eſſe, qui vera medicinæ fundamenta jecerint, aſſerere non dubitaverint, omnino virgula cenſoria potius, quam quavis laude digni erunt.

VII.

Arthritis absque tumore.

ARthriticam acceſſi, quæ jam per aliquot annos hoc malo vexatur, licetque hactenus ſolos fere pedes occupet, mire tn. in hiſce vagatur, dum jam digitos, jam tarſum, jam genua, jam ſuram invadunt dolores, ſique hodie dextro pedi moleſti fuerunt, ſequenti die ſiniſtro inſidiantur, unde jam per aliquot hebdomadas aliquoties cum iisdem conflictata fuit, ſemper vero hucusque in dubium vocavit, an hi ipſi dolores revera arthritici nominari poſſint? iisque graviter

ter ſe oppoſuit, qui ſe arthriticorum albo inſerere voluerunt, quoniam, utut dolores aliquoties ſic intendantur, ut & â clamoribus ſibi temperare non poſſit, horum tn. dolorum nunquam vel minimum indicium in cute notatum fuit, dum ea nec intumuit, nec quoque colorem vel minimum mutavit, quod tn. ipſa arthriticis doloribus ſic commune credit, ut niſi acceſſerint hæc mala, eos hoc nomine inſigniri non poſſe, tota ſibi perſuadeat: at at non ſemper opus eſt, ut tumorem comitem habeant dolores hi, modo articulos invaſerint, commodius ipſis vix imponi poteſt nomen, cauſa nempe dolorum non tam quantitate quam qualitate peccante, fibrisque adhuc robuſtis exiſtentibus, non ſemper memorata ſubſequuntur ſymptomata, quæ tn. td. malo diutius inſtante ſuccedunt, uti quidem hæc hac ultima vice experta fuit, dum genu dextrum non parum intumuit, quem tn. tumorem hoc quoque beneficium comitabatur, quod dolores longe mitiores ac olim extiterunt, qui ſeu adſit ſeu abſit, aliud nomen non merentur.

VIII.

Balneum Sudorem nimium movens.

VIr quidam quadragenarius, teneræ & ſiccæ conſtitutionis & hypochondriaco malo obnoxius, jam diu conqueritur de dolore coxarum interdum tanto, ut & motum aliquamdiu impediverit, in uſum ducit propterea varia remedia, at omnia omnino fruſtra, cogitat ergo tandem de balneo, & ego viribus non ita penetrantibus inſtructum concedo, imprimisque addo, ut illud nunquam nimis calidum ingrediatur, & quantum quid. fieri poſſit, Sudorem impediat; minus tn. curans hoc conſiliū ad Thermas quasdam celebres proficiſcitur & medicos haud procul ab iisdem habitantes conſulit, qui non ſolum conſilium ejusdem laudant, ſed, quod imprimis miratus fui, purgans præſcribunt vehementius tum ſub initium curæ, tum eadem dimidiam partem abſoluta, tum & ſub finem ſumendum, ſumit ille purgans & balneo quoque ſic utitur, ut Sudor inde in non exigua quantitate provocatus fuerit, hincque tantum debilitatur, ut ſancte teſtatus ſit, niſi balneo valedixiſſet, quod in mortis prædam ceſſiſſet, quin ut hæc averteretur, & Sudor nihilominus inſtans inhiberetur, non niſi pluribus medicamentis in uſum ductis obtinere potuit, domum reverſus magis quam unquam antea de coxis conqueſtus fuit, imprimisque ut ſiccitati inductæ medear ſumme rogavit, ego martiata blandiora, Gelatinas, & Juſcula alterantia ſuaſi; interea edoctus, quam cautos nos in ſuadendis balneis merito geramus, cum non ſolum non quævis cuivis conducant, ſed & in quibusdam niſi Sudor prohibeatur, plus noceant ac quidem proſint, imprimis autem purgantia fortiora ejuscemodi ſubjectis minus convenire, dictis confirmatur.

IX. *Ver-*

I X.

Vermis in dentis fovea repertus.

SOror mea adhuc cælebs, triginta & quod excurrit annorum, per aliquot hebdomadas dolore dentium tam immani laboravit, ut aliquot noctes partim vigilando, partim & ejulando conſumſerit, licet varia adhibuerit remedia, iisdem tn. dolores non tam imminuti, quam aucti paruerunt, unde tandem chirurgum, qui dentem carioſum extraheret, vocavit, feliciterque quidem ſucceſſit hæc operatio, non tn. ceſſavit dolor niſi poſt biduum, at in fovea ſemper aliquid notavit, quod ei peregrinum videbatur, quod tn. pro ſanguine grumoſo agnovit, ſponteque ſeparatum iri, ſperavit, cum vero tandem digitis arripere potuiſſet, illud extraxit, & ecce! Vermiculi per aliquot dies vita carentis exuviæ fuerunt, quas mihi monſtravit, quæ propius & per microſcopium inſpectæ lanam ovillam tenerrimam præſentarunt, cum capite nigro, cetera vero cum exuviis vermis, quales in nucibus inveniuntur, convenit; an ipſe hic vermis olim dentem arroſerit, an vero cum alimentis ingeſtus aliquamdiu ſolum in dicta fovea reconditus fuerit? alii dijudicent, quem ut deſcriberem vel ideo dignum judicavi, quia non deſunt, qui doloris dentium cauſam in vermibus quærere non dubitant.

X.

Voracitatis pœnas ſtatim luens.

PUer quidam Nobilis ferme decennis, teneræ conſtitutionis, cum ante biduum Carnis anſerinæ pinguiuſculæ nimium ediſſet, & illi aliquot Caſtaneas ſuperingeſſiſſet, vix tribus exactis horis male ſe habere cœpit, expalluit & de capitis dolore queri cœpit, quin tandem incedere ulterius non potuit, & hinc à ſociis ad matrem delatus fuit, quæ memor prandii largioris inde hæc mala ſtatim derivavit, hincque cum vomitus ſubſequeretur, hoc mediante rejectum iri quæ ventriculum gravent nulla dubitans, illum pro bono habuit, at cum hoc ceſſante nihilominus recenſita mala inſtarent, & puer quoque conſueto magis caleret, me propterea in conſilium vocavit, ubi accedens pulſum pueri celerrimum inveni, non tn. niſi ab antecedente vomitu & ventriculo adhuc gravato derivare hanc celeritatem potui, indeque Potiunculam Stomachic. ex Elix. Aper. Cl. Lap. ♋. pp. & Aq. Cinn. Cydon. præcipue conſtantem eidem præſcripſi, qua ſumta vomitus ceſſavit & capitis dolor remiſit, at inſtitit calor auctus, & puer jam de ventris dolore querelas movit, unde alui fluxum ſubſecuturum, & hoc malum terminatum iri, ſicut optavi, ita prædixi, nec falſo, ſequenti enim die ſæpius ſecedere opus habuit, febris vero omnino extincta fuit, nec quicquam reſtitit, quod vel minimum metum injicere potuiſſet: felix vero omnino hic puer fuit, quod maximam ingeſtorum partem ſtatim vomitu rejecit, ſi

enim ea retinuiſſet, graviora ſine dubio ſubſecuta fuiſſent mala; ſicuti vero Potiuncula quam ipſi exhibui aliâs vomitum in principio promovet, quod ſæpius jam notavi, ita niſi hoc præſtiterit, cruditates tn. ſic corrigit, ut deinde facilius per vias conſuetas deponi poſſint.

XI.

Nuncius ægroto neceſſaria non referens.

VIr quidam febre hectica decumbens, uti quidem illa præſertim augmentum ſumente, plerumq; contingere ſolet, faucium quoq; ſiccitate & hanc comitante colore doloreque non parvo corripitur, mittit hinc ad me quendam ê ſervis, utque conſilium ſuggeram rogat, præſcribo ego, quæ quidem convenire credebam, ſimulque ſerio ipſi injungo, ut adſtanti ancillæ nunciet, ſumme requiri, ut in poſterum à Vino, cujus parva quædam quantitas hactenus potui ejusdem ordinario, admixta fuerat, penitus abſtineat, hocque ter ad minimum repeto, at cum ſequenti die ipſemet ad ægrum curru vectus delatus fuiſſem, malumque interea incrementum ſumſiſſe, nunciarent, cum inquirerem, an vinum plane ſepoſuerint? hujus mei mandati nec unico quidem verbo meminiſſe ſervum, teſtati fuerunt, ut proinde nunc eo magis ſedulo hoc fieret, juſſi: propterea vero hæc hic refero, ut conſtet, quantum interſit, ut aut medicus ipſemet ægrotum diligenter viſitet, aut ſaltem ii ad eum mittantur, quibus tuto fidi poteſt, pleroſque enim aut eum minus percipere, aut & vel maxime neceſſariorum oblivifci, in lineis quoque medicis indicatum fuit.

XII.

Mars interdum Antihecticus.

MAtrona quædam prope quinquagenaria, brevi temporis ſpatio tantum conſumta, ut quilibet vel paululum attentius inſpiciens notare potuerit, cum inſuper dolor quidam ventriculi quaſi rodens acceſſiſſet, & calores quos volaticos nominant, eandem ſæpius vexarent, tantum quidem ut interdum & animi deliquia imminuerint, me in conſilium vocat, utq; convenientia ſuggeram remedia, rogat; cum tuſſis plane abeſſet, nonniſi ab alimento ad partes in ſufficiente quantitate non delato hanc atrophiam derivavi, & quoniam in viis obſtuctis hujus mali cauſam quæſivi, præter ea, quæ communiter in ejuscemodi conſumtionibus adhiberi ſolent, medicamentum ex marte præſertim paratum commendavi, quod quidem in principio dolorem Ventriculi auxiſſe viſum fuit, cum ſemper poſt pulverem ex illo præcipue conſtantem ſumtum hic adauctus fuerit, at cum aliquamdiu continuaſſet hoc medicamentum, & dolor hic ceſſavit, & reliqua mala ſic remiſcere, ut vix elapſis tribus hebdomadis integre cum ſanitate Dei gratia in gratiam redierit, licetque, cum aliquando interea

Caſta-

Caſtaneas comediſſet, dolor Ventriculi gravativus ſucceſſerit, & hic tn. conſumtis illis in Ventriculo ſumto aliquoties pulvere lap. cancri, diutius non inſtitit; Eſt nempe & Mars antihecticus, ſi ſcilicet malum eas agnoſcat cauſas, quibus tollendis is aliâs quoque ſufficit.

XIII.

Leproſis cur quædam annumerata fuerit?

FOEmina quædam viginti quatuor fere annorum me accedit, utque de ſcabie fera, jam per ſexennium inſtante judicium meum feram, rogitat, inſtituta ordinaria inſpectione una cum honoratiſſimo meo Dn. Collega judico, illam in Leproſorium relegandam eſſe, quoniam ſine dubio ſit contagioſa quæ laboret, ſcabies, eaque vel Chirurgus, qui eam aliquamdiu tractaverat, ſe infectum fuiſſe, conqueratur, deſint vero media, quibus curam neceſſariam inſtituere poſſit, hincque malo quotidie incrementum ſumente, ne alii quoque inficiantur, ſummum ſubſit periculum: Non enim ſolum ii, qui revera lepra laborant, quorum pauciſſimi hodie inveniuntur, verum inprimis ſcabie perverſa infecti leproſis añumerantur, qui hinc ſubinde ſic cum ſanitate in gratiã redeunt, ut leproſoria relinquere, & tuto iterum inter ſanos degere poſſint: Notatu vero dignum in hac fœmina fuit, quod tributum lunare hactenus nondum ſolverit, quod achoribus quoque laborans ab iisdem quidem aliquando integre curata fuerit, at tanta ſucceſſerit ophthalmia, ut viſum ex illa fere prorſus amiſerit, qui prius non fuit reſtitutus, quam achores redierunt, quibus nunc in hunc usque diem denuo fluentibus, oculis ſat bene valet.

XIV.

Vigiliæ coctionem impediunt.

MAtrona quædam triginta ſeptem annorum, gravida, & ceteraDei gratia bona fruens valetudine, cum menſe octavo fere finito, per integram ferme noctem, ut maritum expectaret, vigilaſſet, ſequenti die ſtatim non ita bene ſe habuit, appetitum non ſolum valde imminutum notans, ſed pondus quoddam gravans in ventriculo ſentiens, unde quoque difficilius ac olim reſpiravit; cum me conſuluiſſet, ſimulque interrogaſſet an Spir. Ceras. n. conveniret? hujus uſum non improbavi, meliuſcule etiam Dei gratia poſt eum ſumtum ſe habuit, at ſucceſſit alvi fluxus ſæpius moleſtus, cui tn., quia vires non aggrediebatur, nullum medicamentum oppoſui, cumque per biduum fere inſtitiſſet, ſponte ceſſavit; patet vero ex modo relatis, quantum ad coctionem primam promovendam conferat ſomnus, ab hujus enim defectu memorata mala originem traxiſſe, nullum eſt dubium, & vel exinde quoque conſtitit, quia diutius non inſtitêre, cruditatibusque à vigiliis collectis diſſipatis, & evacuatis quaſi ſponte ceſſarunt.

XV.

Menſes in gravida fluentes.

MUlier quædam ejusdem fere ætatis, duodecim liberorum mater, decimo tertio fœtu gravida, menſe ſexto, Aquas, quæ alias partum antecedere ſolent, ex utero profluentes notat, & hinc haud immerito ab abortu ſibi metuit, obſtetricemque vocat, quæ quidem accedit, at fruſtra ambæ partum expectant, qui, licet per integras quinque hebdomadas hic aquæ, (cui ſubinde & ſanguis mixtus conſpiciebatur,) fluxus inſtiterit, non ſucceſſit, unde hoc elapſo tempore me quoque conſuluit, ubi præterquam, quod medicamenta convenientia præſcripſi, ipſam bono animo eſſe juſſi, quia retulit, quod quotiescunq; hactenus gravida fœtu præſertim maſculino fuerit, ſemper menſes tum in principio geſtationis tum ſub finem ejusdem notaverit, nec unquam tn. inde vel ſibi vel fœtui ſiniſtri quid contigerit, niſi quod, ſicuti fœmellam gerenti parcius fluxerint, ita cum aliquando nihilominus in majori quantitate ſanguinem per uterum excreverit, tum ante tempus pepererit; Sæpius nempe notatum fuit, plethoricis, qualis hæc eſt, vel gravidis non ita noxium eſſe menſium fluxum, modo non ſit nimius, quod omnibus viribus eſt impediendum, ſi enim hic vel maxime matri nullam inferat noxam, fœtus tn. inde ferme ſemper minus vitales progigni, experientia docet, an & aliæ differentiam hujus fluxus pro ſexus diverſitate obſervaverint vel obſervent? quibus conſtat, non abs re communicabunt.

XVI.

Dentes Canini.

DEntes Canini, qui non tantum quod oculis ſunt ſuppoſiti, ſed etiam propterea oculares dici meruerunt, quod portio quædam nervi oculos moventis in illos fertur, vel nunquam vel maturo cum conſilio evellantur, idque propter hanc etiam rationem, quia, licet unam ſolum habeant radicem, altiſſime tn. firmiſſimeque, ſuis ſunt infixi locellis. Sebizius in Diſp. de dentibus.

XVII.

Stranguria à cruditatibus.

VIr quidam quinque annis ſexagenario major, quadratus & robuſtus vitam agens ſedentariam, cum olim nunquam habuiſſet, quod de Ventriculo vel minimum quereretur, etſi interdum vel difficillima concoctu, aut & cibum in non adeo exigua quantitate ingeſſerit, & hoc tempore vix dubitans ventriculum ſuum quibusvis ingeſtis digerendis ſufficere, ſine ullo diſcrimine, quæ quidem gulæ arriſerunt concedit, at non pari qua olim felicitate, coquendis enim quibusvis ingeſtis non ſufficiente prima officina, non potuere non reſtare crudiores humores, qui uti aliis alia concitant mala, ita, in hoc bono ſene tam vehemen-

hementem produxerunt ſtranguriam, ut per integram noctem cum eadem conflictatus, non ſolum ſomnum capere non potuerit, ſed & inde viribus non parum privatus fuerit, ſummo hinc mane me vocavit, & imprimis, quod tam ſæpe urina ſtimulet, ſemper tn. nonniſi parvam ejusdem quantitatem excernere poſſit, conqueſtus fuit, urinamque ſimul tam crudam & aqueam monſtravit, ut dicto malo ipſum laborare nullum ſuperfuerit dubium; ante omnia itaque ut alvus aperiretur, ſolicitus fui, & hinc Clyſterem eidem applicare juſſi, quo, quod deſideratum fuit, præſtante, Mixturam convenientem tribus vicibus ſumendam præſcripſi, ſimulque ipſe ægrotus à diætæ vitio morbum ſubortum non ignorans eadem nunc ſervata præcipue tolli poſſe credens, per totum ſequentem diem à cibo & potu abſtinuit, hincque Dei gratia ſic convaluit, ut tertio die, ſe optime nunc valere, teſtatus fuerit, monitus, ut in poſterum à cibis coctu difficilioribus abſtineat, cum Senum Ventriculi quod olim præſtare ulterius non poſſint; id quod ſi & alii Senes obſervarent, vitam niſi producere, morbis tn. minus obnoxiam vivere poſſent.

XVIII.

Purgans fluentibus menſibus ſumtum.

ANcilla quædam Sanguinea, ab abundante hoc humore interdum incraſſeſcente & hinc in motu ſuo impedito non ſolum doloribus capitis gravibus correpta fuit, ſed & melancholia interdum laboravit; diu tn. continuato martis uſu, hæc mala Dei gratia ſic imminuta fuere, ut ſervitio ut olim præeſſe potuerit, ne tn. redirent ſolicita, Venæſectionem inſtituit, cui, ut eo magis prodeſſet, purgans præmittendum eſſe rata, ut ego conveniens præſcriberem rogavit, nec ego petito ejusdem defui, ſed ex Jalappa præſertim conſtantem pulverem eidem ordinavi, quo ſumto toties quoties optavit, alvum depoſuit, at ſumſerat, me inſcio, eo tempore quo menſes fluebant, unde eo quidem die nil mali ſenſit, at ſequenti die ſupervenit frigus minus conſuetum, hocque excepit calor auctior cum tanta anxietate, ut hera me propterea in conſilium vocaverit, una mecum non parum indignata, quod tempore tam importuno purgans ſumſerit, quod quippe non potuit non turbas majores ac alias movere, cum vero & alvus adhuc nimium flueret, Theriacam illi exhibere juſſi, & quidem Dei gratia feliciter, quibusvis poſt eam ſumtam turbis denuo ſedatis: Abſtineant vero mulieres menſibus rite fluentibus à purgantibus præſertim medicamentis, ſi ſanitatem non tam deſtruere, quam conſervare voluerint.

XIX.

Aurifaber inaurans.

AUrifaber quidam in inaurandis vaſis argenteis tam felix, ut inde nomen quoddam acquiſiverit, licet vel unico anno aliquot centenarios mediante

mercurio auro obduxerit, jamque per plures annos huic labori vacet, tam bene tamen valet, ut Dei gratia vix habeat, de quo queratur; cum nuper hac de re mecum ſermocinatus fuiſſet, ſequentia notatu digna retulit; Ventum imprimis faventem multum conferre, ne mercurius corpus ſubire & hinc turbas in eodem movere poſſit, ſi enim hoc mediante fumus ſtatim propellatur, vix minimum ſe notare indicium, quod huic labori vacaverit, quando vero is minus faveat, & fumus in orbem feratur, plerumqne paulo poſt ſe minus bene habere, licetque nunquam hactenus inde tremuerit, os tamen præſertim dolere, & dentes vacillare, primoque quidem ſe ſiccitatem inconſuetam percipere, hinc vero hinc inde excoriari linguam atque gingivas, & ſalivam in majori ac aliâs quantitate profluere; & in hiſce malis ſibi hactenus præter balneum ſudorem imprimis profuiſſe, nunquam autem magis ſe opus habere ut â cereviſia abſtineat quam tum temporis, ſi enim illam bibat, malum non ſolum exacerbari, verum & jam jam ceſſans revocari, nec plus ſibi podeſſe Vinum, licet hoc aqua dilutum ferre poſſit, imprimis autem ſibi conferre juſcula gallinacea, quæ ſola fere comedat, hincque poſt paucos dies ſic convaleſcat, ut, ſicut nunc videam, integerrima fruatur ſanitate; Cetera vero notatu itidem dignum eſt, quod obſervavit, mercurium non tam per os quam poros corpus intrare & humoribus commiſceri, cum enim aliquando per integrum bihorium ſub ipſo labore aurum puriſſimum in ore tenuerit, illud ſe iterum ut antea ſplendens ex eodem traxiſſe, quod contra dealbatum plane, quando aliquot horis elapſis ſic adhibuerit, viſui ſe obtulerit, unde non ita male judicavit, mercurium non tam immediate per os ſuſceptum fuiſſe, ſed una cum humoribus ad partes ſibi præ aliis acceptas os nempe & fauces delatum aurum facile colore ſuo obduxiſſe: ex dictis uti quædam mercurii hiſtoriam quodammodo illuſtrant, ita imprimis hic notes velim, quod illis, qui Salivatione utuntur, haud abs re cereviſia interdicamus.

XX.

Pulvis Sympatheticus pro anthartritico habitus.

ARthritico cuidam nobili valde commendatus fuit pulvis Sympatheticus Ulmæ proſtans, & ex Vitriolo paratus, ut nempe ſuper illum mingat, urina poſtmodum, quoties fieri poſſit, moveatur, & poſt aliquot horas infimum projiciatur, doloribus itaque vehementibus tortus illum dicto modo in uſum duxit, at tantum abeſt, ut vel minimum profuiſſet, ut potius dolores tantum augmentum ſumſerint, ut tantos ſe in vita ſua nunquam perpeſſum fuiſſe, ſerio coram me vocato teſtatus fuerit, ubi ego quidem ſicuti medicamento quodam interno doloribus his obviam ivi, ita quod pulvis dolores tantum auxerit, me totum dubitare edixi, cum non deſint, qui quævis, quæ circa Sympathias

thias tales dicuntur, argumentis non prorſus contemnendis in dubium vocant, quibus tn. conceſſis, uti quidem exempla fide digna pro iisdem ſtant, quod nocere potuiſſet hic pulvis, nullam ſubeſſe rationem, cum imprimis ratio reddi poſſit, quod tam diu hac vice â doloribus immunis vixit, unde ſine dubio materia peccans & quantitate aucta fuit, & qualitatem pejorem contraxit; ſine dubio vero hic pulvis magis commendatus fuiſſet, ſi vel ſponte poſt ejus uſum dolores remiſiſſent, quod plurimum remediorum antarthriticorum præſertim fatum eſſe, quotidie experimur.

XXI.

Pilulæ vomitum moventes.

JUvenis quidam ſeptendecim annorum, catarrho ad nares ſubito intercepto dolore capitis corripitur tam intenſo, ut non ſolum labori ſuo vacare ulterius non potuerit, verum & dolore præſertim inſtante in lectum ſe conferre opus habuerit, interdum enim is adeo remittebat, ut penitus ſublatus viſus fuerit, at ſemper quaſi cum fœnore redibat, unde cum purgans exhibitum ad votum quidem alvum moviſſet, inde tamen dolores nec minimum quidem mitigati fuiſſent, Pilulas eidem præſcripſi ex Extr. Trifol fibr. Chin. Chin. Cinnab. nat. & Caſtor. el. conſtantes, doloribus præſertim intermittentibus poſt ſingula bihoria ſumendas, at cum primo eas ſumſiſſet, brevi poſt vomitu rejecit, quod cum & ſecundo ſic factum fuiſſet, an nihilominuas continuandæ ſint hæ Pilulæ? me interrogarunt, ubi ego quidem, cum præſertim viribus vomitum valde inſidiari, indicatum fuiſſet, ſeponere illas juſſi & ſubſtituere pulverem, quem tum præſcripſi, acceſſit vero Juvenem interea Chirurgus qui Pilulas omnino continuandas eſſe judicavit, & hinc ægroto ut tertiò ſumſerit, perſuaſit, at pari fortuna, unde jam ad meum conſilium Pilulas ſepoſuit, Pulvereque uſus fuit, nec ab illo tempore ullus ſucceſſit vomitus; Nunquam nempe medicamento nimis pertinaciter inſiſtendum eſt, quod vomitum non deſideratum movet, ſicut enim ſic plerumq; præſtare non poteſt, quod expectabatur, ita vomitū ipſum quædam mala non tam imminuere, quam augere, nullum eſt dubium.

XXII.

Animi deliquium à contuſione.

MErcator quidam teneræ conſtitutionis in terram lapſus manum ſiniſtram tam fortiter eidem impegit, ut inde non parum contuſa fuerit, cumque non juvaſſet Vinum calidum applicatum, Chirurgum vocari juſſit, qui dum ſedulo inquirit, an os nullum ſit luxatum, & cetera quævis rite ſe habeant, dolores tantum auxit, ut animi deliquium ſubſecutum fuerit, unde Uxor ejusdem valde ſolicita me vocavit, at ſicut ſtatim ad ſe redierat, ita me accedente non ha-

bebat ulterius de quo conquereretur, ut tamen quæ perturbata fuerant, eo felicius & certius in ordinem redigerentur, pulv. ex Specif. Ceph. D. M. & Antimon.diaph. conſtantem præſcripſi: Sunt ſcilicet quidam, qui vel minimum dolorem ægerrime ferunt, quorum genium ſi noveris, caute omnino illos tractabis, nec tamen habes, quod â talibus deliquiis nimium tibi metuas, cum rariſſime alia aut graviora poſt ſe trahant mala.

XXIII.

Verheyen de bile ſententia.

DIligentiſſimi Philippi Verheyenii induſtria, quam in indagandis ductibus biliferis ex hepate in Veſiculam felleam adhibuit, omnino laudem meretur, cum confirmata præſertim hac experientia, innoteſcat, omnem bilem â ſanguine in hepate ſeparari, nec Veſiculam felleam tam huic quoque operæ vacare, quam bili condendæ dicatam eſſe.

XXIV.

Ani fiſtula letalis doloribus arthriticis ceſſantibus ſuccedens.

VIr quidam quinquagenario major, cum olim aliquoties arthritide laboraſſet, hinc vero vitæ genus & quidem minus felici ac quidem ſperaverat ſucceſſu mutaſſet, â dictis doloribus ſat diu quidem immunis vixit, (uti quidem non ſemel jam obſervavi, animi ægritudines morbos interdum inducere, interdum tamen & depellere aut ſaltem inhibere,) at cum ad priſtinos labores rediiſſet, licet nec tum dolores redierint, torminibus tamen primo torqueri cœpit aliquando tantis, ut & iisdem ferendis ſe vix parem crediderit, quibus laxanti cedentibus hæmorrhoidum fluxus ſucceſſit, cui, quantum ego novi, nullum unquam remedium oppoſuit, paulatim autem exulceratas fuiſſe has venas, tandem tum ex dolore fere continuo has partes occupante, tum excretis præſertim purulentis conſtitit, quæ plerumque inſigni cum teneſmo depoſuit, unde cum me propterea conſuluiſſet, de fiſtula inteſtini recti vix ulterius dubitavi, medicamentis imprimis tam adſtringentibus, quam balſamicis & travmaticis fruſtra omnino in uſum ductis, licetque aliquando injectum ſiphone liquorem multum ſibi profuiſſe crediderit, aliquando & balneum laudarit, nunquam tamen diuturnum fuit levamen, quod ex remediorum uſu percepit, unde tandem eidem perſuaſi, ut Chirurgum ad partem affectam explorandam admiſerit, qui quidem nil plane invenit, quod oculis patuiſſet, at digito eminentias minus conſuetas & dolentes, hinc inde in inteſtino recto tetigit, unde jam ſat conſtitit, veram hic opem non niſi in ferro quæri poſſe, at quia ab hoc æger mirum quantum abhorruit, & dolores ad penem uſque penetrantes

mihi

mihi ſuſpicionem moverunt, ne ductus, qualem anno quinto linearum medicarum deſcripſi, ad veſicæ collum penetret, inſuperque Chirurgus tali operationi ſufficiens non fuit ad manus, ejusdem vix mentionem facere licuit, unde ut æquo ferat animo malum ſuaſi, medicamentisque quidem, quæ Sanguinem corrigerent, & dolores mitigarent uteretur, at ei, qui perfectam curam polliceretur, & morbum hunc aliunde, quam dicto ulcere fiſtuloſo derivaret, non fideret, amice monui; vix tamen fidem inveni, cum præſertim paulo poſt medicaſter quidam acceſſiſſet, qui in bile mali cauſam quærendam eſſe, ſerio aſſeruit, dum vero eam purgantibus evacuare voluit, malum ſic auctum fuit, ut alium medicum vocare opus habuerit, qui cum itidem aliquamdiu fruſtra cum hoc hoſte pugnaſſet, tandem in meam abiit ſententiam, utut in principio ſpe quadam ægrotum erexerit, at & eventus â meis ſtetit partibus, licet enim quidam & tragæa quadam ſe illum reſtituturum promiſerit, hujusque tragææ non adeo exiguam quantitatem pluſculis florenis redemtam conſumſerit, malum tamen indies incrementum ſumſit, tandemque, uti quidem Chirurgus retulit, adeo corrupta fuere inteſtina, ut fœtorem inde excitatum vix ferre potuerint adſtantes, ipſeque paulatim quidem, ât ſic, ut omnino ſe mori ſenſerit, mortuus fuit: Nunquam itaque nimium gaudeant, qui penitus â doloribus arthriticis liberantur, cum tantum non ſemper graviora eisdem ſuccedere ſoleant mala.

XXV.

Aquarum partum antecedentium intempeſtivus fluxus inhibitus.

MUlier illa, cui per quinque integras hebdomadas Aquam quæ aliâs partum antecedere ſolet, ex utero profluxiſſe; ſubindeque huic & ſanguinis quendam fluxum acceſſiſſe ſupra retuli, cum pulverem, quem ex Coral. r. ℈i. Dent. Hippopot. & Extr. Tormentill. præcipue conſtantem præſcripſeram, vix bis terve in uſum duxiſſet, inde ſtatim omnem fluxum inhibitum ſenſit, hincque jam denuo meliorem ſpem concepit, qua quoque non cecidit, nam poſt triduum fere partus doloribus accedentibus difficulter licet, feliciter tamen filiolum vivum edidit; adeo quidem, etſi gravidis vel periculoſiſſima ſuperveniant ſymptomata, nunquam tamen deſperandum eſt, licetque non deſint exempla illarum, quæ fruſtra omnino quævis remedia in uſum duxerunt, non minor tamen eſt illarum numerus quibus æque ac illi, cujus hiſtoriam modo dedi, profuerunt; quod omnino notandum contra eas, quæ aut minus tuto gravidis exhiberi medicamenta, falſo credunt, aut, quod hic loci præſertim ſæpius contingit, non tam medicos quam mulieres in ejuscemodi caſibus conſulunt, cum ſane vel illis multum ad-

modum negotii faceſſant, ſæpeque hæ, aut diutius quam par eſt, negligenter omni ſua diligentia tractent tales gravidas, aut & ea exhibeant, quæ malum exaſperant potius quam mitigant.

XXVI.

Uvulæ voluntarius motus.

NObilis quidam Vir Catarrhis ſubinde obnoxius, cum nuper aliquamdiu in aere nebuloſo verſatus fuiſſet, ſequenti die de faucibus dolentibus conquerebatur, hincque ut eas inſpicerem me rogabat, ubi tum uvulam tum tonſillas cuticula nudatas inveni, non tamen tumentes nec inflammatas, unde mel roſatum huic malo curando ſuffecturum nullus dubitans hoc ſolum recommendavi; ſeu vero illud in uſum duxerit ſeu non, cum ſequenti die iterum rogatus has partes inſpexiſſem, eas ſic conſtitutas inveni, ut nullum nunc in iisdem defectum notare potuerim, dolores quoque ceſſaſſe, ipſe æger retulit; dum vero uvulam attentius inſpicio, ea ſubito oculis ſic eripitur, ut non niſi parvum admodum indicium ſuperfuerit, unde quæro, an retrahere eandem poſſit? & is affirmat, poſtmodum ipſo opere monſtrat, quod quoties velit, uvulam exſerere quaſi & oculis exponere, iisdemque denuo ſubtrahere poſſit: Plerorumque nempe Anatomicorum ſententia uvula duobus muſculorum paribus eſt inſtructa, quam licet Diermerbrœck pro conjecturali ſolum agnoſcat, ſe ſequentes tamen non habet conſentientes, inter quos Petrus Dion, qui Periſtaphylinos muſculos nominari, indicat, ſed eos admodum exiles & fibras potius muſculoſas quam geminos muſculos eſſe, aſſerit, & ſic litẽ quodammodo dirimit; iisdem quippe carere omnino non poterat, cum protrahenda ſit in alimentorum deglutitione, quod vero quiſpiam voluntarium eidem motum adſcripſiſſet, ego non novi, cum, niſi minus bene ſe habeat, nec percipiatur quidem in faucibus; quæ vero legiſti, pro muſculis illius non parum ſtant, cum absque illis motus præſertim voluntarius perfici nullo modo poſſit.

XXVII.

China Chinæ morborum periodicorum antidotus.

JUvenis illius, cujus nuper memini, dolor capitis, ab illo tempore ſingulis diebus horis matutinis ſic rediit, veſpertinisque ceſſavit, ut periodicus omnino nominari meruerit, quia itaque, uti legiſti, Pilulas tum ſemper vomitu rejecit, pulverique ex ſpecif. Cachect. & Cephalico conſtanti capitis dolor nec minimum quidem ceſſit, iterum in China Chinæ præſertim opem quæſivi, & hanc Cinnab. maritatam, quando dolores remitterent, poſt ſingulas ſex horas nunc in forma pulveris eidem exhibere juſſi, nec fruſtra, cum

enim

enim vix ter talem pulverem ſumſiſſet, jam dolores ſic remiſere, ut appetitus prius prorſus proſtratus redierit, & extra lectum degere potuerit, quem prius, quamdiu dolores inſtabant, ſervare opus habuerat, quin continuata aliquamdiu hac morborum periodicorum antidoto ſic à doloribus ſuis liberatus fuit, ut vix exacto quatriduo ad labores conſuetos redire potuerit, cui tamen more meo ſuaſi, ut per aliquot adhuc dies Eſſ. Cortic. modo laudati ſumeret, ut ſcilicet, ne morbus redeat, eo certius impediretur: Indies vero Cortex Peruvianus modo productum nomen magis meretur, cum morbi periodici nullam prorſus febrem comitem habentes eo mediante longe citius ac aliis remediis curentur, teſtibus præter modo adductam pluribus aliis obſervationibus.

XXVIII.

Tuſſis à carnis eſu nimio.

PUella quædam ſeptem fere annorum à quodam convivio excepta longe plus ac alias ſolet, Carnis comedit, indeque quidem adhuc ſat alacris domum rediit & cœna parciore ſumta ut alias in lectum ſe contulit, per mediam etiam noctem quiete dormivit, at hac exacta evigilans tam vehementi tuſſi correpta fuit, ut hæc pene eandem ſuffocaſſet, licetque poſtmodum exhibito Elixire Clauderiano, quod Aperitivum nominat, & pulv. Anon., qui forte fortuna ad manus erat, ſumto, aliquantum remiſerit, per aliquot tamen adhuc dies inſtitit, nec niſi Infuſo Veronic. aliquoties poto penitus ceſſit. Sed in hac ætate conſtituti plerique vel minimum diætæ errorem ægrius ferunt, frequentiusq; fere nil contingit, quam quod conviviis excepti morbis corripiuntur; inprimis vero Carnem iis non niſi in parciori quantitate eſſe concedendam, dudum accuratiores diætetici ſtatuerunt.

XXIX.

Alumen arthritico male applicatum.

VIr quidam quinquatenarius quadratus cetera & robuſtus, at jam per aliquot annos arthritidi obnoxius, & ad catarrhos pronus, inprimisque ſubinde difficulter reſpirans, ſub quibusvis tamen his malis negotiis ſuis ſic præfuit, ut ipſe quidem ſe ſanis annumerandum eſſe nunquam vel minimum dubitaverit, unde utut per opes ſuas optime potuiſſet, raro tamen me medicum, quem pro ordinario elegerat, conſuluit, præſertimque doloribus arthriticis decumbens, utut aliquoties fideliter ipſum dehortatus fuerim, cuivis tamen aures præbuit, & quævis medicamenta externa, modo levamentum quoddam promiſſum fuit, applicavit; contigit inde, quod, cum ante annum fere cum modo dictis doloribus gravius conflictaretur, balneator quidam eundem acceſſit, & remedium certiſſimum ſe noſſe, jactitavit, unde is ſtatim aures arrexit, & ut com-

communicaret, quin ſtatim applicaret, rogavit; ſicuti vero jactantia ſua hoc unice intendit balneator, ita eo promtius petito ejusdem ſatisfecit, et, uti quidem adſtans ancilla retulit, alumen præcipue in pulverem redegit, hocque exceptum albumine ovi frigidum parti dolenti impoſuit, quo quidem dolores illico ſic mitigati fuerunt, ut æger ſumme expetierit, ut remedium hoc ſæpe applicetur, cum imprimis brevi poſt lectum relinquere potuiſſet; at haud ita diuturnum fuit gaudium quod inde habebat, nam ſtatim hos dolores ſic mitigatos excepit tuſſis primo quidem vel ideo præſertim moleſta, quia præ ea ſomnum capere non potuit, at cum poſtmodum inde difficilis quoque reſpiratio augeretur & ſputo pus indies in majori quantitate rejiceret, viresque ſimul ſic deficerent, ut operibus ſuis ut olim præeſſe non potuerit, me denuo propterea conſuluit, egoque nullus dubitans ab inepta medicamenti externi applicatione nova mala derivanda eſſe, particulis nempe acribus olim per cutim exterminatis, jam in pulmonibus ſedem figentibus, difficulter admodum eadem curatum iri, ſtatim prædixi, tantum tamen, Dei gratia medicamentis præſertim travmaticis & ſanguinis acredinem corrigentibus effectum fuit, ut de lecto denuo ſurrexerit, & priſtinos labores aggreſſus fuerit; at ſicuti his nimium & ſub quavis vel noxia tempeſtate vacavit, ita ſub tempus auctumnale, quo alias dolores arthritici ipſum proſtravere, ab his quidem immunis vixit, at tuſſis iterum ſic aucta fuit, ut denuo lectum petere opus habuerit, nec vero hac vice tum repetita priora medicamenta, tum quædam his ſuperaddita vel minimum profuere, febrisque jam accedens, eum tantum exſiccavit, juxtaque & viribus ſpoliavit, ut tandem in mortis prædam ceſſerit; Suo exemplo inprimis docens, quam male arthritici doloribus ſuis promiſcue quævis externa opponant medicamenta, cum ſane ea, quæ inſenſibilem tranſpirationem potius inhibent, quam promovent, quale ſupra deſcriptum eſt, non poſſint non poſtmodum varia graviora producere mala.

XXX.

Venæſectio cuidam valde proficua.

MAtrona quædam Illuſtris ſucci licet plena, particulis tamen illis abundans, quibus abundantes Veteres bilioſos nominarunt, quamdiu quidem ſingulis ferme annis fœtus edidit, præterquam, quod iis malis ſubjecta fuit, quibus aliæ quoque gravidæ puerperæque afficiuntur, ſic ſat bene valuit, ſi præſertim in tempore Venæſectionem inſtituit, & ſanguinem tum copia peccantem, tum ob particulas modo memoratas impetuoſiore ſubinde motu moleſtum ſubtraxit, cum vero nuper per annum & quod excurrit, non concepiſſet, & V.S. præterito auctumno diſtuliſſet, primo quidem doloribus brachiorum correpta fuit, quibus Aquas quasdam Spirituoſas invicem mixtas olimque proficuas

fruſtra

fruſtra oppoſuit, quia pruritus dolore fere magis moleſtus ſucceſſit, unde hac de cauſa me vocavit, ubi cum urinam imprimis crudam inveniſſem, in principio non tam de ſanguine imminuendo quam corrigendo ſolicitus fui, & hinc jam Eſſent. ♂ Ludov. jam eam, quæ ex abiete apud nos proſtat, eidem commendavi, ſed & his diligenter licet in uſum ductis nil quicquam profectum fuit, ſed potius jam appetitus quoque prorſus proſtratus, ſomnolentia ſub veſperam tanta, ut & ſtans aliquoties dormierit, ſiccitas oris plane inconſueta, & laſſitudo ingens acceſſere, & quidem ſub vivido faciei colore adeo plane non mutato, ut ex hoc quivis eandem pro ſanâ habuiſſet, unde re iterum ad me delata de Venæſectione cogitare cœpi, in quam, utpote olim ſemper proficuam ſtatim conſenſit, imò ut quantocyus inſtitueretur, urſit; purgante itaque in forma Pilulari (â ceteris ægra abhorrente,) præmiſſo, quod non tam primo ſtatim quam ſequentibus demum diebus alvum pluries movit, ſanguinis quatuor fere uncias ê brachio ſiniſtro emiſi, unde quidem illo & hunc ſequenti die memorata mala ut prius inſtitere; at cum poſtmodum me ſuadente Eſſ. ♂tis (in pulvere enim eum nec ſumere nec ferre potuerat) uſum iterum continuaſſet, brevi poſt Dei gratia ſic convaluit, ut jam de quo queratur, vix ulterius habeat, quæ ſine dubio Venæſectione non inſtituta tam cito non convaluiſſet: hæc quidem uti eum in finem præter ea, quæ in Lineis meis medicis legiſti, producta fuêre, ne â Venæſectione nimium abhorreas, ita niſi hæcce ſimiliaque ad eam interdum admittendam te cōmoverint, quin quorundam morbos non ſolum protrahas, verum & inſanabiles reddas, noli dubitare.

XXXI.

Menſium brevi inſtantium prodromi.

DUm Mercatorem quendam cum malo hypochondriaco valde conflictantem viſito, quodam die filiam quoque ejusdem, quatuordecim annorum, decumbentem invenio, quærentique, de quibus malis ipſa queratur, reſpondetur, capitis imprimis dolorem eſſe, qui ipſi ſit moleſtus, hinc vero & nauſeam minus conſuetam in eadem notari, interdum etiam lumbos & ventrem dolere; quod quidem, cum pulſum non mutatum invenirem, nec alia adeſſent febris indicia, in menſes inquirendi mihi anſam dedit, quos cum nondum hactenus fluxiſſe retuliſſent, eosdem inſtare, ſanguinemque exitum nondum invenientem memoratas turbas excitaſſe, edixi, & vel ideo minus dubitavi, quia hæc inſtante novilunio contigere, quo tempore plerumque in hac ætate conſtitutæ puellæ minus bene ſe habent, prædicens tamen ſimul, brevi ſponte ceſſatura hæc mala, Specific. Cacheḋ. cum Cinnab. nat. eidem præſcripſi, ut nempe malum eo facilius cederet; ſicuti vero eventus prædictioni meæ reſpon-

dit, dum vix biduo exacto integre Dei gratia convaluit, ita non habere medicum, cur talibus virginum morbis perterreatur, hac obſervatione confirmatur; non poteſt enim non ſanguis per uterum exitum quærens & non inveniens turbas movere, quæ vero turbæ, cum ſanguis hiſce viis olim non fuerit aſſuetus, nec in hac ætate tantum abundet, raro periculoſæ evadunt, aut & diutius inſtant; quin martiatis medicamentis plerumque facile ſedantur, quæ ſi poſtmodum quoque continuaverint ejusmodi virgines, ſanitati ſuæ non parum conſulent, unde & huic, ut in poſterum Eſſent. martis utatur ſuaſi.

XXXII.

Omenti uſus VVoytianus.

AN uſus, quem Jo. Jac. Woytius, Practicus Regiomontanus, in Compendio Phyſiologico nuper edito Omento attribuit, dum nempe, rejectis aliorum ſententiis, quia copioſa habeat vaſa ſanguifera, receptaculum eſſe, in quo ſanguinis portio, in plethoricis imprimis, aliquamdiu retineatur, ſtatuit, ab ipſo primum fuerit excogitatus, an vero & plures eandem foveant ſententiam, ego quidem non memini; nullus tn. dubito, quin ſanguis in hac parte retentus in alios quoque uſus cedere poſſit, quin non parum conferat, ut uſui illi, qui communiter â plerisque Omento tribuitur, quod nempe partes ſubjectas foveat, ſufficiat.

XXXIII.

Impetigo bis ſalivationem eludens.

MErcatoris cujusdam Uxor, cetera egregiæ formæ, paulatim tamen ab Impetigine manus præſertim in principio, hinc vero collum quoque & tandem faciem occupante adeo defœdata fuit, ut uno remedio non ſufficiente plura eidem opponere opus habuerit; ſic nempe Vino medicato fruſtra poto in Herbarum recentium uſu auxilium quæſivit, hisceque itidem maculas tam moleſtas non delentibus acidulis ſibi conſulere tentavit, at nec hæ vel minimum profuere, nec magis Eſſentiæ per aliquot licet menſes continuatæ, nec quævis exterius applicata remedia, unde malum eundo tantas ſumſit vires, ut jam & in publicum ulterius prodire non potuerit, hincq; coacta tandem, curam per Salivationem mercurialem tum â me, tum à quibusdam aliis commendatam admiſit, ſicque ſat feliciter hæc mercurio dulci ſepties vel octies ſumto ſucceſſit; licetque impetigo cura finita non ſtatim evanuerit, paulatim tamen ſic ceſſit, ut curam non fuiſſe fruſtraneam abunde patuerit, uti quidem & in lineis medicis me narraſſe recordor; at non ita diu conſtans fuit gaudium, quod exinde concepit, vix enim trimeſtri elapſo hinc inde priores maculæ comparuere, licetque iisdem ſtatim priora remedia, que nempe ſupra

recenſu-

recenſui, diligentiſſime denuo oppoſita fuerint, & hac vice tamen malum ſic increvit, ut ipſamet Salivationem denuo inſtituendam eſſe, conſultum duxerit; hincque præmiſſis præmittendis mercurium dulcem iterum tam diu ſumſerit, donec illa ſucceſſit, imo quando remiſit, ſemper eam mercurio iterum ſumto revocavit, donec nunc ſalivatione adhuc inſtante omnes maculæ ſic evanuere, ut earum nec minimum quidem ſuperfuerit indicium, unde jam eo majorem ſpem fovit, in poſterum ab iisdem ſe immunem victuram, ideoque curam utut faſtidioſam & moleſtam ſummis tamen extulit laudibus; at dum hac ipſa de cauſa trimeſtri & quod excurrit elapſo hunc ipſum eventum aliis quoque communicare mecum conſtituo, priusque inquiro, an adhuc tam integra fruatur ſanitate? tum per alias, tum brevi poſt ipſamet refert, malo jam tertio pullulanti ſe denuo quædam remedia opponere, at multum vereri, ne priſtino i. e. nullo cum ſucceſſu, nec metum hunc fruſtra aluit, indies jam iterum impetigine latius ſerpente, & majus faſtidium movente: Adeo vero nec ſalivatio mercurialis ſemper præſtat, quod quidem expectatum fuerat, inprimisque hic diſcant Tyrones, non facile de devictis morbis præſertim chronicis triumphum canendum eſſe, antequam certo nempe conſtiterit, iisdem reditum quoque remediis in uſum ductis interclusum fuiſſe.

XXXIV.

Sanguinis inſignes profuſiones diu poſt memoriam ſui refricantes.

VIr quidam ſexagenario major cum ante ſex fere menſes ingentem ſanguinis quantitatem per nares perdidiſſet, ab illo tempore tam difficulter reſpirare cœpit, ut graviora inde imminere mala, haud immerito ſibi metuerit, cum vero diligenter martiatorum medicamentorum uſum continuaſſet, & hæc dyſpnoea ſic ceſſavit, ut per quasdam hebdomadas vix habuerit, quod ullam moleſtiam concitaſſet; at his elapſis dolores nephritici ſupervenere, qui eo magis eundem incommodarunt, quo minus olim iisdem ſubjectus fuit, unde brevi temporis ſpatio vires inde ſic amiſit, ut vix incedere ulterius potuerit, non ſumſit tamen fruſtra medicamenta hiſce doloribus opoſita, ſed alvo præſertim primo quidem Caſſia, hinc Clyſtere aperta, brevi poſt ab iisdem liberatus fuit; ſucceſſere autem dolores, quos ob partem affectam pleuriticos nominare potuiſſes, cum præſertim difficilis reſpiratio iterum acceſſerit, non niſi tamen ſpurios nominandos eſſe, ob febris abſentiam ego judicavi, & iisdem Veronicam præſertim ſæpe proficuam oppoſui; quævis vero hæc mala originem ſuam imprimis ſanguinis deperditioni debere, ego quidem nullus dubito, cum ſanguis ſic ſpiritibus orbatus motum ſuum ut olim perficere non

poſſit, & hinc inde ſtagnans aliquamdiu non poſſit non minus conſuetam ſuam præſentiam malis variis indicare.

In qua ſententia magis me confirmavit Virguncula quædam duodecim annorum, quæ ſicuti ſub idem fere tempus, (uti quidem ambos hos caſus in lineis medicis deſcriptos invenies,) non minus ſanguinis per easdem vias perdidit, ita per ſe teneræ conſtitutionis non niſi poſt aliquot hebdomadas vires ſic collegit, ut iterum in publicum prodire potuerit, paulatim tamen ſic cum ſanitate in gratiam iterum rediit, ut noxam aliam â ſanguinis deperditione ulterius non eſſe metuendam, Parentes ejusdem dilectiſſimi toti ſperaverint, at ſpe ſua fere ceciderunt, cum nuper doloribus hinc inde in corpore vagantibus, jamque pedes, jam manus invadentibus corriperetur, quos ſicuti ipſimet â dicta hæmorrhagia derivarunt, ita tantum abeſt, & iisdem contradixiſſem, ut potius idem plane ſtatuerim, cum tanta ſanguinis deperditione non ſolum motus ejusdem tardior reddatur, verum & ſanguis minus perfectus poſtmodum generetur, qui ad partes delatus iisdem particulis ſuis rigidis & inæqualibus dolores infert. Nunquam itaque parvi habendæ erunt ſanguinis immodicæ profuſiones, quæ quippe præter ea mala, quæ ſtatim inducunt, plerumque diu admodum poſt memoriam ſui refricant, indeque medicus, qui ut hoc impediat, ſolicitus eſt, laborem ſane non inanem aggreditur.

XXXV.

Renum Calculus in Gravida.

MErcatoris cujusdam Uxor Juvencula, cum primo gravida nullam ferme inde moleſtiam percepiſſet, & geſtationis tempore feliciter abſoluto, pari felicitate peperiſſet, nulla dubitavit, quin & in poſterum graviditas haud ita multum negotii ſibi ſit faceſſura, indeque eo magis peregrinum ipſi fuit, cum ſecundo gravidæ lumbi magis quam prius dolerent, quos dolores tamen quamdiu mediocres fuerunt, ſic ſat æquo tulit animo, nec aliud remedium, quam lapides cancri iisdem oppoſuit, at cum paulatim incrementum ſumſiſſent, & ante ſex fere hebdomadas tam vehementes evaſiſſent, ut ipſam proſtraverint, vomitu præſertim quorumvis ingeſtorum accedente, me vocavit, utque conſilium ſuggeram, anxie petiit; ubi cum regionem renis dextri præcipue eſſe, de qua queratur, notaſſem, ceteraque quævis nephriticos eſſe hos dolores, detegerent, ſicuti quidem hactenus ſemper ê re hoc malo decumbentium eſſe, notavi, ſi inprimis in principio alvus moveatur, ita & hic laxante opus eſſe indicavi, cumque Potiunculam ſe ſumere non poſſe, & â Clyſteribus ſe abhorrere, teſtaretur, Caſſiam in forma boli eidem exhibui, at & hanc vix ſumtam bis vomitu rejecit, unde dolores ſemper aucti fuere, tandem-

demque aliis quoque remedium laudantibus, ut Clyſter applicaretur, ipſamet rogavit, nec eam facti pœnituit, cum enim quater alvum moviſſet, dolores remiſere, & vomitus plane ceſſavit, unde jam quævis aſſumta, & inter hæc medicamenta quoque retinuit, urina quoque quæ antea cruda & aquea extiterat, naturali propiorem acquiſivit colorem; recruduere tamen ſubinde dolores, unde calculum quidem motum at nondum in veſicam delatum judicavi, & hinc hunc promoventem pulverem ê lap. ♋ & Balſ. Peruvian. ſicc. imprimis conſtantem ſæpius ſumendum præſcripſi, unde tandem frigus quidem ſummum ſupervenit, tantumque pedes debilitati fuerunt, ut iisdem inſiſtere ulterius non potuerit, at & paulo poſt ſimul veſica eandem magis quam unquam urſit, cujus cauſa mox patuit, dum una cum excreta Urina calculum albicantem durum & aſperum excrevit, quem omnium malorum cauſam extitiſſe, cum omnia poſt eum excretum evanuerint, patuit; Ut vero in poſterum Baccas Juniperi commendatas habeat imprimis ſuaſi, quas quippe in ſimilibus caſibus non parum prodeſſe, mihi ſat certo conſtat: Gravidis vero nephriticis ea remedia, quæ non Gravidis ſic ſat tuto ſuaderi ex hac obſervatione diſces.

XXXVI.

Arthritici dolores laxante aucti.

SCriba quidam jam per aliquot annos arthriticus, nec rerum medicarum prorſus ignarus, cum nuper filiolæ ergo me conſuluiſſet, ipſe tum malo ſuo conſueto decumbens, cum conſilium filiolæ dediſſem, varia de arthritide diſſerere cœpit, imprimisque mecum ſtatuere, quod remedia externa ſicuti raro revera aliquamdiu juvent; ita ſæpius non absque noxa in uſum ducantur, hincque ſe ſemper maxime ſibi proficuum inveniſſe, quando patienter dolores, donec ſponte ceſſaverint, tulerit, retulit; imprimis autem ſe notaſſe, ſubjecit, quod doloribus arthriticis præſentibus purgantia minime conveniant, quin vel laxantia interdum eosdem non parum exaſperent; ſic ante biduum, ut alvum obſtructam reſeraret, ſe quasdam Pilulas Francofurtenſes ſumſiſſe, utut vero iisdem ſcopum ſuum attigerit, dolores tamen non ſolum auctos ſed & alias partes occupantes ſe ſtatim poſtea ſenſiſſe; quod idem & aliis ſic eveniſſe, ego reſpondi, hincque non deeſſe, qui laxantia quoque ſumere recuſent, qualem quidem olim novi, qui ut alvo obſtructa aliud quam Clyſteres adhibuiſſet remedium, nullo modo perſuaderi potuit; nec ſane deſunt rationes, quæ & laxantium uſum impugnant, in motu enim tum poſitis humoribus acribus, iisdem mediantibus hi magis moventur quia acriores redduntur: Clyſteres ergo merito aliis remediis præferuntur.

XXXVII.

Tuſſis febris principium.

NObiliſſimorum Parentum filiola quatuor & quod excurrit annorum, cum per bene longum temporis ſpatium cibi nimium ingeſſiſſet, tandem inde minus bene ſe habere & febricitare cœpit, primo quidem per triduum continuo, at poſtmodum alternis diebus, ubi quidem bis paroxyſmus â frigore initium traxit, at tertio eodem inſtante tuſſire cœpit, duravitque hæc tuſſis per integras quatuor horas, nec prius remiſit, quam ſicut alias frigori ita nunc illi calor febrilis ſucceſſit, ut adeo tuſſim ejusdem vices geſſiſſe nullum ſuperfuerit dubium, particulis nempe peccantibus & crudis, quæ alias frigus movent, ad aſperam arteriam delatis & eandem tam diu irritantibus, donec humorum maſſæ intimius mixti ejusdem quoque motum accelerarunt: Utut verò varia huic tuſſi oppoſita fuerint medicamenta, nil quicquam tamen iis ceſſit, donec calor febrilis ſuccedens eandem abegit, nec vero aliis hic medicamentis opus fuit, quam febrifugis, quæ ſicuti febrim ita & tuſſim curarunt.

XXXVIII.

Crocus Metallorum diureticus,

JUvenis quidam Melancholia ſic conſtituta, ut quotidie non adeo injuſtus metus, eam in Maniam degeneraturam, ſubfuerit, laborans, cum varia alia medicamenta fere fruſtra ſumſiſſet, tandem etiam Vinum Croci Metallorum viribus impRægnatum bibit, unde non ſolum ad votum quidam vomitus ſucceſſere, & alvus aliquoties aperta fuit, verum & imprimis notatu dignum videbatur, quod per illum diem urinam quoque in longe majori ac aliâs quantitate excreverit, adeoque hoc medicamentum una eademque vice tres inſigniores excretiones promoverit, inter quas ſicuti ultima imprimis in morbis chronicis tantum non ab omnibus magni habetur, ita identidem difficilius longe quam reliquæ promovetur, unde, ubi præſertim vomitu ſimul opus eſſe, indicantia denunciant, ut eo citius in hoc remedium conſentias, vel hæc quoque cauſa te moveat, cum imprimis Celeberrimus Stifferus egregie probet, hunc crocum immerito quibusdam eſſe, nimiumque ſuſpectum, quin ſi in minori doſi & ſæpius cum aliis medicamentis eodem exhibito, urina etiam promovetur, hoc modo, quem ipſe ſuggerit, ſine dubio non abs re in uſum ducetur.

XXXIX.

Papillæ tumor ſponte diſſipatus.

ALius quidam juventutis annos vix ingreſſus tumorem circa papillam mammæ ſiniſtræ notat, huncque cum matri detexiſſet, eam hac de cauſa valde ſolici-

ſolicitam reddit, quæ & propterea chirurgum in conſilium vocat, qui metum ejusdem non parum auget, dum non ſolum malum minime contemnendum judicat, ſed & neſcio quo impoſito emplaſtro tumor ſic increſcit, ut & quodamodo dolere inceperit, unde & ego hac de cauſa conſulor; accedens hinc & tumorem propius inſpiciens explorans que glandulas hanc partem conſtituentes aliquantum induratas invenio, ſimulque recordor, olim in me ipſo & fratribus quin poſtea aliquando in liberis ejuscemodi quid notaſſe, ſponteque nullo applicato remedio, hunc tumorem iterum diſparuiſſe, & hinc, ut hic quoque emplaſtrum removeatur, omnisque metus deponatur, ſuadeo; nec fruſtra, ab illo enim tempore tumor imminutus fuit, nec jam Dei gratia vel minimum habet de quo queratur Juvenis cetera quoque optima gaudens ſanitate: Non deſunt nempe mala, quæ medicamentis potius exaſperantur quam curantur, hincque, ubi præſertim conſtat, aliis quoque ſponte eadem evanuiſſe, medicamenta quoque diſſuadere interdum remedium afferre poteſt.

L X.

Vermes in urina non conſpicui.

MUlier quædam, ſi colori ſoli fidendum eſſet, ſaniſſimis annumeranda, cum marito mortuo aliquamdiu minus bene ſe habuiſſet, me propterea in conſilium vocavit, ubi querenti, quod caloribus quos volaticos vocant, ſubinde vexetur, indeque non ſolum priſtina alacritate rei domeſticæ præeſſe non poſſit, verum & indies magis macreſcat, cum urina, quam imprimis ut attente inſpicerem, rogaverat, mihi quidem nec minimum malum prodidiſſet, & marito phthiſi defuncto eam diu adſtitiſſe, noviſſem, hecticæ quendam ſubeſſe metum judicavi, & ut ea, quantum fieri poſſet, inhiberetur, medicamenta convenientia ordinavi; at me expectationi ejusd. non ſatisfeciſſe vel inde mihi innotuit, quia brevi poſt alium medicũ mihi ſurrogavit, cujus rei cauſam prætendit, quod ex urina, vermibus ipſam laborare, non conſpexerim, ut amici ejusd. paulo poſt retulerunt, eoque me impulerunt, ut, an reſponſum quod dedi, talia ex urina conſpici minime poſſe, defendi ſerio poſſit? accuratius mecum perpenderim, nec unicam vero inveni rationem, quæ ut ſententiam mutaſſem, me impuliſſet; licet enim hactenus in pueris quibusdam notarim, urinam quæ viridiuſcula eſt, vermes ſæpius indicare, plures tamen etiam curæ meæ traditi fuerunt, qui urina tali excreta â vermibus immunes vixerunt, niſique alia quam anthelmintica iisdem adhibuiſſem remedia, vix ac ne vix quidem cum ſanitate in gratiam rediiſſent; & ſic quidem reliqua quævis, quæ in urina vermes prodere perhibentur, ab aliis quoque morbis originem ſuam trahere poſſe, dubitanti haud ita difficulter demonſtrari poterit; cum vero hæc urinam ſanorum ſimillimam oſtenderit, nec cogitare quidem de vermibus potui, cum præſer-

tim

tim & reliqua, de quibus conqueſta fuit, eorum nec minimam quidem ſuſpicionem injecerint: Omnino vero optandum eſſet, ut omnes genuini medici ingenue, ubi opus eſt, faterentur, non pauca eſſe, quæ ex urina conſpici minime poſſunt, ſic enim & rarius de talibus interrogarentur, nec iis, qui talia fateri non erubeſcunt, indies novæ de iisdem querelas movendi ſuggererentur cauſæ.

XLI.

Sterni Dolor.

DOcti cujusdam Viri Filiola duodecim annorum puella, cum aliquamdiu catarrho laboraſſet, nec ſputo tantum rejeciſſet, quantum quidem â reliqua maſſa humorum ſeparatum fuiſſe, ſat conſtabat, inde paulatim pejus ſe habere cœpit, & de dolore os ſternum præſertim occupante conqueri, cum appetitu ſic proſtrato, ut vix juſculum comederit, unde Parentes me in conſilium vocarunt, egoque, quia ex quibusvis ſignis abunde conſtabat, adeſſe humores, qui extravaſati, quamdiu ê corpore non exturbentur, non poſſint, non eſſe moleſti, illos indicantibus quibusvis permittentibus ſtatim purgante aggreſſus fuiſſem, niſi ipſa meridies inſtitiſſet, & juſculum eam comediſſe, mater retuliſſet; purgationem ergo in craſtinum differens, pulverem ex Antim. diaph.℈j. conſtantem bis eidem exhibere, partemque dolentem Unguento ex Ung. Pectoral. Ping. Capon. Sperm. Ceti & ol. Lil. alb. compoſitum inungere juſſi, quibus rite peractis, ſudore blando pulveris uſum ſubſequente, dolores, Dei gratia, ſic remiſerunt, & cetera quoque tam bene ſe habuit, ut ſequenti die alia medicina eam opus non habere judicaverim: In quibusvis vero talibus doloribus diaphoretica raro fruſtra commendantur, nec opus eſt, ut, ſi voto noſtro ſatisfecerunt, alia quoque adhibeamus, quibus tamen, Sudoriferis non ſufficientibus, vix carere poſſumus.

XLII.

Feces diu in Inteſtinis ſtabulantes.

PUella quædem quinque annorum, cum per aliquot dies febricitaſſet & per hos dies parum admodum comediſſet, alvum etiam quotidie fere apertam habuiſſet, quin hæc aliquando purgante quoque ſubducta fuiſſet, diebus morbi decimo fere & undecimo nihilominus tam inſignem fecum craſſiorum quantitatem depoſuit, ut & adſtantes fere pro nimia habuiſſent, unde & mihi indicarunt, at ego, uti noveram febrem ortum ſuam aliunde non duxiſſe, quam à cibis diu in nimia quantitate ingeſtis, ita quin feces inde collectæ eam non parum foverint, nullus dubitans, pro convaleſcentiæ cito ſubſecuturæ ſigno hoc habui, hincque matrem bono animo eſſe juſſi; hic vero produxi, ut,

ut conſtet, quamdiu feces quoque duriores in inteſtinis ſubinde latitare poſſint, quantumque propterea interſit, ut in febribus, in quibus indicantia reliqua permittunt, purgantia non jam ſemel ſolum in uſum ducantur, ſed interdum aliquoties iterentur.

XLIII.

Animi deliquium à medicamento tempore paroxyſmi ſumto.

EAdem hæc puella, cum aliquando paroxyſmus febrilis, (tertiana nempe febre laborabat,) ultra viginti quatuor horas duraſſet, ſic tamen remiſiſſe viſus fuiſſet, ut jam ſat tuto medicamenta febrifuga continuari denuo poſſe, vel ipſemet ſtatuerim, non ſolum enim ſudor largior ſucceſſerat, verum pulſus tam celer ut antea non erat, ceteraque itidem melius ſe habere cœperat, cum tamen Eſſ. Chin. Chin. ſumſiſſet, brevi poſt tam male ſe habuit, ut deliquio animi ſuperveniente illico ego vocatus fuerim, ubi cum in omnia diligenter inquiſiviſſem, & imprimis ex pulſu denuo celeriore ipſam adhuc febricitare deprehendiſſem, hoc ſymptoma aliunde quam â ſumto ante paroxyſmum finitum medicamento derivandum non eſſe, judicavi; quia vero me accedente, vires iterum collegerat, aliud medicamentum non præſcripſi, potiusque cum poſtmodum paroxyſmum revera finitum eſſe quævis ſigna abunde teſtarentur, poſt ſingulas quatuor horas laudatam modo Eſſentiam exhibere puellæ juſſi, quæ & Dei gratia febrem penitus extinxit; Confirmatur vero hac obſervatione tum mea tum aliorum experientia, quamdiu quidem paroxyſmus febrium intermittentium inſtet, medicamenta tuto non exhiberi, ſic nempe occupato tum Spirituum rectore, ut à medicamentis in opere ſuo non tam juvetur, quam impediatur, unde poſtmodum non poſſunt non quædam mala ſuccedere.

XLIV.

Suggillationi oppoſitum minus conveniens remedium.

HUjus ipſius puellæ Mater cum ſub illud ipſum tempus Gallinarum curam gerens in terram lapſa fuiſſet, dextram faciei partem tam fortiter lapidi in via poſito alliſit, ut inde oculi præſertim regio ſtatim ſuggillari inceperit, ne nimium hâc deformaretur, ſuſpicionemq; non juſtam moveret, imprimis ſolicita fuit, licetque alio tempore Spirit. Vini Camphoratus hoc malum feliciter impedierit, quia tn. leviter læſa cute nunc applicatus magnum pruritum excitavit, neque oculo noceat, metuit, illius uſum ſtatim denuo ſepoſuit, conſuluit vero forte fortuna tum accedentem Chirurgi cujusdam ſocium; qui neſcio quod Cataplaſma ex exſiccantibus tn præcipue conſtans eidem applicavit, unde quidem colores variegati diſcuſſi quodammodo fuere, at ſucceſſit dolor capitis dentiumque tam acutus, ut jam ipſamet medicamentum rejecerit, hunc inde

D inductum

inductum fuiſſe, nulla nempe dubitans, nec ego improbare ejusdem ſententiam omnino potui, cum ſanguis ſic in motu ſuo adhuc magis impeditus, tum vaſa diſtendendo, tum alios humores in motu ſuo interturbando non potuerit non eſſe moleſtus.

XLV.

Aqua poſt Laxantia pota, alvum movens.

PUella, cujus febricitantis bis jam mentionem feci, poſt largiorem illam ſecum depoſitionem alvi obſtructione laborare cœpit, cum vero reſtare nihilominus, quæ febrem foveant, non dubitarem, & in febribus intermittentibus alvum apertam habere, non parum juvet, ut hæc iterum ſolveretur, ſolicitus fui, â medicamentis autem ſumme abhorrenti primo quidem alimentis laxandi vim habentibus aperire alvum tentavi, hisque non ſufficientibus folia quoque Senn. cum iisdem coquere juſſi, at nec hæc ſcopo meo ſatisfecerunt, donec mater poſt ſumtos tales cibos potum ſtatim ſuggeſſit filiolæ, hoc enim ſumto brevi poſt alvus officio ſuo reſpondit, idque toties feliciter ſucceſſit, ut notatu dignum judicaverim, cum ſæpe in alvo aperienda, ubi purgantia non poſſe non nocere creditur, aut & ſumere illa decumbentes detrectant, aliaque remedia itidem non admittunt, vel expertiſſimis medicis aqua hæreat, ubi talia noviſſe, aut & eorum recordari non parum ſubinde juvat; diluendo vero & particulas laxantes evolvendo aqua pota præſtare poteſt, quod ab aliis fruſtra expectas.

XLVI.

Ardor Ventriculi Infuſo Thee ſuſcitatus.

MAtrona quædam gravida, præter alia mala, quibus una cum aliis in hoc ſtatu viventibus obnoxia eſt, imprimis ardore ventriculi interdum tantum afficitur, ut & â querelis ſe continere non poſſit, unde continuo fere ſiliquam dulcem ſecum geſtat, quia nempe ea ſumta præſentaneam ſtatim affert opem, cum nuper Infus. Thee bibiſſet, brevi poſt ardorem dictum ſic excitatum inde notavit, ut & remedio ſuo conſueto opus habuerit, quoniam vero non tam infuſo quam alii cuidam cauſæ hoc adſcripſit, eo minus ab hoc potu abſtinuit, & hinc haud ita diu poſt, iterum aliquot ejusdem patellas evacuavit, cumque priorem effectum iterum notaſſet, me hac de cauſa interrogavit, ubi in principio miratus fui, cum Inf. Thee ardorem Ventriculi potius inhibere quam excitare credidiſſem, at re propius conſiderata, quia non ita multum hujus infuſi bibit, hinc quidem motam non vero ſufficienrer dilutam & promotam fuiſſe materiam acrem; cui hoc malum originem ſuam debet, judicavi, nullus tamen dubitans, quin ſi plus infuſi bibiſſet, tandem remedio quoque fuiſſet.

XLVII. *Men-*

XLVII.

Menſes ſponte ſuccedentes.

VIrgo quædam novendecim annorum, ab illo tempore quo tributum lunare ſolvere primo debuiſſet, hujus non ſoluti varias quoque pœnas dedit, dum nempe non ſolum ſub illud præſertim tempus, quo debitum hoc ſolvendum fuiſſet, male ſe habuit, totamque faciem ſic inflatam & hinc deformatam nacta fuit, ut per aliquot dies converſationem cum aliis fugere opus habuerit, verum & humorum in glandulis maxillarum motus impeditus easdem ſic magnitudine auxit, ut viſui patuerint, quin difficilius etiam inde reſpirarit, & inde varia quoque medicamenta in uſum duxit; utut vero martiata præſertim, & ipſum quoque martem crudum per bene longum temporis ſpatium ſumſerit, & aloen ejusdem uſui ſedulo interpoſuerit, alioque tempore Succinata quoque diu continuarit, pediluvia inſtituerit, & plura huc ſpectantia non intermiſerit, tantum tamen abeſt, & hiſce vel minimum profeciſſet, ut per integros quatuor annos nec guttam quidem ſanguinis ex Utero depoſuerit, unde tandem aliquamdiu quævis medicamenta ſepoſuit, & ecce! nil minus cogitanti præterito auctumno menſes fluere cœperunt, quibus interea ordinem ſuum ſervantibus cetera Dei gratia longe melius ac olim ſe habet; Sic vero ſæpius, quæ medicamentis obtinere nullo modo potuimus, tandem ſponte ſuccedunt, quod ſicuti merito nos movet, ne vel in graviſſimis caſibus deſperemus, ita ne medicamentis ſubinde adſcribamus, quod forſan ſic ſponte evenit, inde ſimul diſcimus.

XLVIII.

Caſei eſum ſubſequens diarrhœa.

VIr quidam nobilis, cum forte amicum quendam viſitaſſet, & Caſei ab hoc appoſiti nimium comediſſet, cibo huic non aſſuetus, nauſeam ab illo tempore minus conſuetam ſenſit, hinc vero in alvi fluxum incidit, tam diu inſtantem, ut & medicamentis ſe opus habere crediderit, unde me hac de cauſa vocavit, at ego cum nec viribus inſidiari nec alio modo nocere notaſſem hanc fluxum, eum in principio non tam inhibendum, quam promovendum eſſe cenſui, hincque in principio eidem ſolum Rhabarbarum exhibui, ſed ab adſtringentibus omnino abſtinendum eſſe judicavi, licetque valde ſibi metuerit, ne inde malum augeretur, tandemque graviora ſubſequerentur ſymptomata, fruſtraneus tamen fuit hic metus, brevique poſt ſponte magis quam medicamentis inhibitus ceſſavit hic fluxus, ipſeque integre convaluit: Nunquam vero cauſa tam manifeſta alvum movente adſtringentia ſtatim in uſum ſunt vo-

canda ſed ab iisdem tam diu eſt abſtinendum, donec fluxus revera nimius videatur, quod raro tamen ſic continget.

LXIX.

Maxillarum tumor menſium fluxum antecedens.

FOEmina quædam dolorum ergo, quibus menſibus inſtantibus jam per aliquot annos torquetur, me conſulens, cnm in quævis antecedentia diligentius inquiſiviſſem, retulit, menſes ante vigeſimum annum ſe nunquam habuiſſe, ad illud vero tempus usq; ulcera plura in maxilla inferiore non ſine ſuma moleſtia ſe aluiſſe, cum non ſolū magnos intulerint dolores, ſed & â diligentiſſimis Chirurgis ad cicatricem vix ac ne vix quidē deduci potuerint, ſicuti vero hi ſemper prædixerint, ulcera dicta non ſanatum iri, donec aliquando menſes fluere inceperint, ita quoque eveniſſe, quam primum enim hic fluxus ſucceſſerit, ulcera conſolidata fuiſſe, nec in hunc usq; diem vel minimum ſibi negotii faceſſere, niſi quod cicatrices, quas una monſtravit, faciem deforment; Novum vero non eſt, menſium fluxu quacunque de cauſa impedito glandulas præſertim circa maxillas & in collo poſitas intumeſcere, cujus rei ſicuti præcedenti demum obſervatione mentio quoq; facta fuit, ita ſi opus eſſet plures adhuc hiſtoriæ adduci facile poſſent, ſemper vero notavi pleraque medicamenta fruſtra hiſce tumoribus opponi, qui contra ſuccedente menſium fluxu niſi penitus evaneſcunt, incrementum tamen ulterius non ſumunt, & ſic haud ita difficulter tum diſſipari poſſunt.

L.

Varicoſis conducens Spiritus Vini Camphoratus.

MUlier quædam, cum vix tres quatuorve fœtus edidiſſet, varices in pede præſertim dextro notavit, cum poſtmodum ſæpius adhuc concepiſſet, ſemper incrementum ſumentes, & hinc ultimis imprimis geſtationis menſibus non parum moleſtiæ creantes, adeo ut aliquoties vix incedere ulterius potuerit, decimo præcipue fœtu gravida per aliquot hebdomadas lectum tenere opus ſola hac fere de cauſa opus habuit, dolores vero & inde tandem aucti fuerunt, quia cute læſa ſanguinis quædam pars extravaſata in cruſtas induruit, quæ pede moto ſic eundem affecerunt, ut interdum vix â clamoribus ſibi temperare potuerit; huic ſicuti quies præſertim profuit, adeo, ut fere ſemper mane poſtquam de lecto ſurrexit, vix habuerit, de quo quereretur, ita reliqua fere omnia remedia fruſtra in uſum duxit, niſi quod maximum levamen ſenſit, quando mediantibus linteolis Spiritum Vini Camphoratum applicavit; quod vel ideo communicatione dignum judicavi, quia non deſunt, qui hunc Spiri-

tum

tum in tali caſu vix adhibere audent, ut nempe iis, eum maxime proficuum in uſum ducendi animus addatur.

LI.

Hæmorrhoidum dolor fomento cedens.

VIr quidam Sexagenario major, rariſſime hactenus morbis obnoxius, ſæpiusque in Itineribus conſtitutus, eo magis parterritus fuit, cum nuper non ſolum ſanguinē per vaſa hæmorrhoidalia profundere cœpiſſet, ſed & hunc fluxum tantus comitaretur dolor, ut & incedere vix potuerit, nactus Uxorem ſolicitam, & medicamentorum plurium non ignarā quæ domeſtica nominantur, huic propterea hoc negotium primo credidit, quæ & quantum in ſe fuit, præſtitit, jam nempe oleum neſcio quale illinendo, jam butyrum, quod certis menſibus colligitur, eodem modo adhibendo; verum enim vero dolores inde potius aucti fuerunt, quam vel minimum ſedati, unde tandem & meum conſilium deſideravit, egoque qui hactenus plerumque obſervavi, oleoſa & pinguia parum in his doloribus pellendis contuliſſe, hæc ſtatim ſeponere juſſi, locoque illorum mucilaginem Sem. Cydon. commendavi, hacque non juvante, vaporibus ex aqua calida Hb. convenientibus alterata ſuſceptis partem affectam ut foveret, ſuaſi, quod & præ reliquis omnibus remediis ſibi profuiſſe, non ita diu poſt in platea mihi obviam factus retulit, ſimulque an ſcarificatione, quam tum etiam laudaveram, nihilominus opus habeat? interrogavit, quam vero, cum ſimul ſe jam ab omni dolore immunem vivere, teſtaretur, ut in aliud tempus differret, conſultum duxi: Sat vero tuta ſunt, quæ hic legiſti, in hæmorrhoidum dolore, remedia, communiaque licet, non tamen ſemper tyronibus nota, in quorum gratiam hæc maxime ſcribuntur.

LII.

Venæſectionis metus.

SCribæ cujusdam Uxor triginta & quod excurrit annorum, per quadriennium in conjugio licet vivens non fœcundo tamen, hinc ſine dubio in varia incidit mala, quibus etiam eo plura oppoſuit remedia, quo pluribus fruſtra plane uſa fuit, ſuaſit inter cetera quidam Venæſectionem, in quam tandem monente præſertim Patre, licet difficulter admodum conſenſit, ſimul tamen adeo ab eadem ſibi metuit, ut non ſolum Chirurgo vix viſo toto corpore contremuerit, ſed & eadem feliciter licet peracta, in animi deliquium inciderit, quin ab illo tempore longe pejus quam prius unquam ſe babuerit; hæc cum nuper ex omnibus ſignis gravida mihi Venæſectionem, tum ob difficilem reſpirationem de qua querebatur, tum quia olim ſub ſingulos menſes ſe multum admodum ſanguinis per uterum perdidiſſe, ſimul referebat, ſuadenti indicaſſet, pro

contraindicante ſufficiente habui, aliaque potius remedia eidem præſcripſi, quam quod ulterius Venæſectionem urſiſſem: & ſane ubi tantus adeſt â Venæſectione metus, ab ea melius abſtinetur, quam quod graviora iis, quæ forſan avertere potuiſſet, eadem mediante inducuntur mala.

LIII.

Digiti pedum manuumque ſibi invicem adnati.

CUm hiſce diebus obſtetrix quædam mihi indicaſſet, natum fuiſſe fabro ferrario cuidam filiolum, cujus tum manuum tum pedum digiti ſic non ſint conſtituti, uti quidem aliâs eſſe ſolent debentque, ſequenti ſtatim die, ut ipſemet inſpicerem, fabrum ferrarium adii, primoque pedes inſpexi, in quibus ambobus digiti intermedii tres tam arcte ſibi invicem adnati fuere, ut unum & individuum corpus paruerit, nec vel digitorum nomen meruiſſet, niſi unguiculis interdiſtinctum fuiſſet, propius vero ſimul iisdem etiam tum maximus tum minimus in utroque pede digiti & quidem mediante quadam membrana juncti fuerunt, ut adeo nullus plane liber extiterit, quod magis adhuc in manibus comparuit, in quibus ambabus digiti illi intermedii tres non ſolum æque arcte conexi videbantur, ſed & unico ſolum ungue inſtructi erant, pollice utroque etiam iisdem ſat arcte, digito vero minimo mediante membrana, quali anſeres ſunt inſtructi, adhærentibus; inveneram ibi Chirurgum, qui dividere cultro digitos eos, qui poterant, â reliquis volebat, at ego conſultum duxi, ut fœtus tam tenelli vix duos dies nati adhuc parceret, & ad minimum per quatuordecim expectaret dies, cum præſertim & minus bene ſe haberet, adeoque metuendum fuit, ne ſi vel maxime ex morbo mortuus fuiſſet, alii tamen id operationi chirurgicæ adſcripſiſſent.

LIV.

Eryſipelas ſudatorii Coriariorum uſum ſubſequens.

TInctoris cujusdam Uxor nulla dubitans, in laſſitudine, quam perſentiebat, ſe ſibi melius, quam ingrediendo Coriariorum ſudatorium conſulere non poſſe, illud ter adiit, & ultimo quidem bis eodem mediante ſudorem in tanta quantitate provocavit, ut ipſamet illum pro ſufficiente habuerit; non ſimul tamen ſic & ſcopum ſuum obtinuit, uti quidem optavit, laſſitudine nempe inſtante, & frigore tantum non continuo moleſto ſuccedente, unde vix triduo elapſo Eryſipelate tam gravi correpta fuit, ut non ſolum facies inde mirum quantum intumuerit, verum & reliquis partibus muneri ſuo ut antea non vacantibus, in lectum proſtrata fuerit, unde meum conſilium expetiit, egoque ea, quæ aliâs in hoc malo jam laudavi, ipſi itidem commendavi, unde Dei gratia melius ſe habuit. Nimium vero ſudori nos quoque vacare poſſe, ex hac

hiſtoria

hiſtoria diſces, quem ſi intermiſiſſet hæc Tinctrix, ſine dubio hoc tempore ab Eryſipelate immunis vixiſſet.

LV.

Verrucæ levi remedio curatæ.

CUm nuper coram quadam muliere, Ophthalmiæ mentio injecta, & in hac ſæpius capillorum reſciſſionem aliquoties non parum profuiſſe, relatum fuiſſet, ea narravit, jam ante aliquot annos filiam ſuam graviter quoque dicto malo laboraſſe, hincque præter alia remedia & modo memoratum ſe in uſum duxiſſe; ſicuti vero denſum admodum capitillium tum invenerit, ita ferme ſe obſtupuiſſe, cum ſub illo verrucas hinc inde capillis inhærentes viderit, quæ imprimis et magnitudine ſua, dum hordei integri grana ſingulæ æquaverint, conſpicuæ fuerint, quemadmodũ vero ſcopum ſuũ cujus ergo capillos reſciſſerit filiæ in tantum quidem obtinuerit, quod tum dolor remiſerit, tum rubedo plane diſparuerit, reſtitantem tamen & pupillam totam obtegentem, viſumque fere in totum in hoc oculo impedientem maculam albam ſe magis ſolicitam nunc reddere, quam olim ipſa ophthalmia reddiderit, nec fruſtra ſolicitam eſſe, ego quidem ſubjunxi, cum omnia narrata filiam ſuffuſione nunc laborare, ſufficienter prodant; ita vero longe feliciorem ſe fuiſſe in abigendis verrucis, aliquoties enim decocto Meſenterii Vitulini lotas eaſdem ſic diſparuiſſe, ut nec indicium quidem illarum ſuperſit: Quod remedium per ſe ſat tutum & minus contemnendum ſicuti ego judico, ita tamen nec verrucas ſemper ſtatim, non præmiſſis aliis medicamentis, tollendas eſſe, hæc obſervatio docet, cum nullum ſit dubium, materiam, ex qua illæ ortum ſuum duxerunt, ad oculum delatam, non parum ad producendum illud malum contuliſſe, quod vel ideo, quia rariſſime obſervatur, hic produxi.

LVI.

Placentæ Uterinæ uſus Verheyianus.

PLacentæ uterinæ uſum, judicamus affinem eſſe uſui Pulmonum in iis, qui in lucem editi aura fruuntur liberiori: ut nimirum ſicuti hi materiam quandam vitali flammæ alendæ ſummæ neceſſariam beneficio pulmonum jugiter ex aëre hauriunt, ita in fœtu, ubi feriantur pulmones, ejusmodi materia per reſpirationem gravidæ in hujus ſanguinem reſumpta, ope placentæ ab illo ſeparetur, & ſanguini fœtus admiſceatur: & veluti in reſpirantium pulmonibus aliqua heterogenea materia continuo ſecedit â ſanguine, ita etiam in placenta uterina quædam ſanguinis recrementa ex arteriis umbilicalibus in venas geſtandis deponuntur. Verbæ ſunt Phil. Verheyen, quibus novum Placentæ Uterinæ uſum adſtruere videtur, de quo tamen judicium meum adhuc ſuſpendo.

LVII. *Sali-*

LVII.

Salivatio Melancholicæ mortem accelerans.

VIrgo quædam triginta ſex fere annorum, jam ante plures annos plethorica nempe & ſucci plena veneris œſtro percita, cum honeſtè tamen eidem ſatisfacere non potuiſſet, in melancholiam inde, paulatim in furorem uterinum degenerantem incidit, â qua quidem aliquoties liberata fuit, at non niſi ope extremorum remediorum, unde humorum nativa bonitas inverſa fuit, eaque hinc non ſolum colorem priſtinum floridum amiſit, verum & ſubinde difficilius reſpiravit, intumeſcere etiam qua pedes cœpit, ſicque ferme hydropica evaſit, at & huic malo tam ſtrenue obviam ivi, ut priſtinam ſanitatem eam recuperaſſe, omnibus fere viſum fuerit, quæ eo majori ſuis ſolatio fuit, quia ſimul per integros fere ſeptem annos parum admodum melancholici in eadem notatum fuit; ſed ſicuti hoc modo non ſolum ſanguis bonus iterum auctus fuit, ſed ea quoque, quæ ad venerem ſtimulare ſolent, incrementum ſumſere, inde quidem juvenem amare cœpit, qui multa promittens ſed pauca ſervans quin tandem locum mutans priſtinam revocavit melancholiam, in principio vix notatam, at cum & matris ejusdem dilectiſſimæ mors ſuperpeveniſſet, tantum auctam, ut occultare eandem ulterius non potuerit, unde & varia deliramenta protulit, imprimisque ſe ſagam eſſe, tam conſtanter aſſeruit, ut, quam ſolide quoque Viri plures præclari ei contrarium demonſtraverint, nullo modo tamen ut ſententiam mutaret, perſuaderi potuerit, licetque juxta remedia quoque plura eaque generoſa adhibita fuerint, iisdem tamen hac vice nil quicquam effici potuit, nec acidulæ utut diu potæ vel minimum ejusdem mentem mutarunt, nec quoque Emetica fortiora & Venæſectiones plus præſtarunt, unde tandem familiaribus ejusdem cum ea vivere ulterius non potentibus, & ſperantibus ſimul mutationem aeris locique convaleſcentiam ejusdem promovere poſſe, in alium locum translata fuit, ubi vero malum tantum augmentum ſumſit, ut & loci Prætor eodem Eidem interdixerit, unde jam omnino de loco quodam publico cogitandum fuit, ubi ego conſultus, ne quicquam intentatum relinqueretur, ut Salivatio mercurialis prius inſtitueretur ſuaſi, quæ & vix ter quaterve ſumto ☿rii dulcis ſcrupulo unico tam feliciter ſucceſſit, ut jam ſpes quædam convaleſcentiæ affulſerit, at quia ſimul plurimum ſalivæ non tam expuit quam deglutiit, ſubito, mercurio licet continuato ſalivatio ceſſavit, viresque ejusdem adeo defecerunt, ut non ſolum mercurius ſeponendus fuerit, ſed & animi deliquium ſuperveniens alia medicamenta requiſiverit, quibus me abſente & per litteras ſolum conſilia ſuggerente, utut præſens medicus pro viribus conſuluerit, nil quicquam præſtari potuit, ſed vix tribus elapſis diebus, iisdem una cum corpore plane conſum-

tis

tis in mortis prædam ceſſit: Sine dubio vero viſceris cujusdam vitium in eadem ſubfuit, cujus indicium abundans abdominis durities extitit, quod tamen non tam pro contraindicante quam urgente ſalivationis ſigno habui, at quia hæc tam brevi ſponte ceſſavit, non potuere non ea ſubſequi mala quæ per ſe jam debilem & conſumtam vita privarunt: mecum vero exinde qui didiceris, non facile talem curam, ægro, cui ipſe præſens eſſe non potes, ſuadendam eſſe, fruſtra memorata non legiſti.

LVIII.

Dolores vagi terrorem ſubſequentes.

Virgo quædam triginta fere annorum, vel leviſſima de cauſa tanto terrore afficitur, ut toto corpore contremiſcat, hincque paulatim tantum manuum præſertim tremorem contraxit, ut iisdem interdum vix quicquam perficere poſſit, unde ne tandem in convulſiones hic degeneraret, varia remedia eidem oppoſuit, nuperque pulverem quendam aliâs in hiſce malis non parum commendatum aliquamdiu in uſum duxit, utut vero illo mediante hunc quidem ſcopum obtinuerit, quod convulſionibus nunquam correpta fuit, is tamen impedire non potuit, quin ante menſem & quod excurrit, dolores primo capitis, hinc vero & artus occupantes ſucceſſiſſent, tam intenſi quidem, ut primam noctem non ſolum inſomnem, ſed & ejulando conſumſerit; unde jam ego in conſilium vocatus primo quidem alvum medicamento conveniente ſubduxi, hincque ſub noctem pulverem, cui opium addideram, eidem exhibui; at dolores inde parum admodum remiſerunt, unde jam, quibusdam quoque ſcorbuti indiciis ſe exſerentibus, antiſcorbuticis præſertim hoc malum aggreſſus fui, quæ & levamen quoddam attulerunt, non vero tantum, ut dolores omnino remiſiſſent; unde ſerum particulis acrioribus ſcatens quantitate quoque peccare, nullus dubitans, ad purgantia redii, & Pilul. ex ☿ dulci Magiſt. Jalapp. & Extract. Helleb. n. conſtantes eidem præſcripſi, quibus ter ſumtis, nec adeo parvam ſeri quantitatem per alvum exturbantibus, Dei gratia dolores ſic profligati fuerunt, ut me poſtmodum eandem denuo viſitante, vix habuerit, de quo conquereretur; ego vero nihilominus antiſcorbutica continuare juſſi, ut nempe in poſterum quoque ab hiſce doloribus eo diutius immunis degert; quam injuſte vero purgantia ê foro medico proſcribere nonnulli tentent, ex dictis denuo patet, indeque prudens non tam illorum phaleratis verbis aures præbebit, quam ſat tuto experientiæ ſat fundatæ fidet.

LIX.

Febris Ephemera ab hypocauſti nimio calore.

VIr quidam doctus, poſtquam aliquamdiu aeri frigidiuſculo expoſitus domum rediiſſet, ibique hypocauſtum magis ſolito calefactum inveniſſet, ſtatim quidem hoc ægre tulit, at quoniam nihilominus illud non reliquit, ſed per tres fere horas in eodem ſubſtitit, labori intentus nullam in principio noxam inde percepit, donec ad cœnam vocatus de ſella ſurgens vix pedibus inſiſtere potuit, laſſitudinemque inconſuetam tantam ſenſit, ut vix membrum movere potuerit, appetitum etiam imminutum notavit, & hinc eo citius in lectum ſe contulit, ſperans, ſomnum cuncta hæc mala diſſipaturum, ſicuti vero ſub ingreſſum frigore inſigni & dentes concutiente correptus fuit, ita hoc ſequens calor cum difficili reſpiratione ipſum tam inquietum reddidit, ut vix dormire potuerit, unde jam pejora metuens poſt mediam noctem Mithridatium ſibi afferri curavit, & hujus quantitatem conſuetam ſumſit, ac indormiens paulo poſt ſudori vacavit, unde poſtmodum Dei gratia ſic evigilavit, ut de lecto ſurgere potuerit, cumque mihi cuncta hæc ſequenti die enarraſſet, nec quicquam mali reſidui deprehendiſſem, alia medicina eum non indigere, judicavi: Non fruſtra igitur nonnulli quantum poſſunt hypocauſti calorem fugiunt, cum atomos igneas ê fornace expirantes non quivis eodem modo ferant, quæ non aſſuetis imprimis ſubinde non parum moleſtiæ faceſſunt.

LX.

Rene altero carens non ſterilis.

FOemina illa, quam Anno Linearum medicarum primo Renem dextrum excreviſſe retuli, uti me illis jam typis expreſſis & quidem diu poſt memoriæ lapſus certiorem reddidit, quod nempe olim non tam dextri quam ſiniſtri lateris dolores habuerit, & hinc in illo latere ſitum renem tum excreverit, ita hoc imprimis nuper confirmavit, cum in dextra parte doloribus cum prioribus ferme convenientibus correpta fuiſſet, qui haud inanem metum mihi injecerunt, ne huic jam revera contingeret, cujus olim â me immerito accuſatus fuit, â quo tamen calculo poſtmodum excreto me liberavit, hunc enim nunc dictorum dolorum cauſam extitiſſe, non habebam quod vel minimum dubitarem; eo ipſo vero ſimul in memoriam mihi revocatum fuit, quod, cum à graviſſimo tum malo convaluiſſet hæc ipſa, Parentes ejusdem non parum ſoliciti fuerunt, ne perdita hac parte Sterilis evaſerit, & ſic ad conjugium in poſterum contrahendum minus apta exiſtat, quam vero ſententiam ſicuti tum rationibus idoneis refutavi, quod nempe, ſi vel maxime renes huc aliquid conferrent, de quo tamen multi adhuc dubitant, ſuperſtes omnino ſufficeret, qui vires jam in ſe uni-

tas fortius exſerere poſſet, ita elapſis quatuor fere annis, cum felix conjugium iniiſſet, quam parum in mea ſententia falſus fuerim, eventus abunde docuit, vix enim per annum in conjugio vixerat & ecce! filium peperit, fœcunditatis uberrimum teſtem: Non habent itaque, quæ per infortunium tale renem amiſerunt, tam quod â ſterilitate ſibi metuant, quam quod merito peritos ſolicitos reddunt, quando altero rene laborare incipiunt; quis enim & hoc perdito diu easdem ſuperſtites eſſe poſſe ſibi imaginabitur, cum homo tam neceſſaria ſeri ſeparatione, quæ in renibus perficitur, carere minime poſſit; ſi vero juxta hæc meo exemplo excitati & alii memoriæ lapſus fateri atque detegere non erubuerint, hæc me ſic communicaſſe minime pœnitebit, cum talia contingere quotidie, nullum ſit dubium, maxime autem ê re Medicinæ ſit, ut veritas ſemper innoteſcat.

LXI.

Renum mala in fœtum propagata.

HÆc ipſa vero, dum â doloribus Nephriticis convaleſcentem viſitavi, retulit, filiolo ſuo non ita diu ſuperſtiti ſe mala ſua quævis communicaſſe, ſicut enim is, quamdiu ſupervixerit, dum nunquam ſine clamoribus urinam emiſerit, eo ipſo ſat indicarit, cum urina quædam excerni, quæ hunc dolorem concitent, unde & arenulæ in linteis repertæ fuerint; ita in cadavere ejusdem aperto, alterum renem tam corruptum inventum fuiſſe, ut non ſolum Chirurgus ſed & adſtantes ſpectatores pro tali agnoverint; inter morbos ergo hæreditarios merito renum quoque morbi numerantur, cum idem præter modo narratam aliæ etiam hiſtoriæ teſtentur

LXII.

Purgantia quævis vomitum moventia.

NOvi olim puellam quandam, quæ catarrhis præſertim obnoxia aliquoties purgantibus opus habuit, ſeu enim ſerum abundans & extravaſatum non omne per nares & os, quas partes plerumque occupabat catarrhus, evacuatum, ſeu pars ejusdem non exigua, uti quidem vix evitari poteſt, in ventriculum delata fuerit, commodius hoc quam iisdem mediantibus ê corpore non exturbari, hactenus ſæpiuſcule notavi; hincque & huic ſæpius eadem præſcripſi, imprimisque ex Jalappa conſtantia aliquoties ſumſit; verum enim vero quotiescunque tale medicamentum in uſum duxit, ſeu jam modo dictum ingrediens præcipuum extiterit, ſeu Scammonium eidem ſurrogatum fuerit, ſemper hæc alvum vix ac ne vix quidem, vomitus vero tam vehementes moverunt, ut tandem ſemper majori rationis lumine fruens ab iisdem plane abhorruerit,

 toties-

totiesque hoc contigit, ut ipſa vomitu opus non habenti purgantia commendare vix ulterius auſus fuerim, utut & catarrhis ceſſantibus iisdem nunc facilius carere potuerit; facilius quidem pueris vel quævis purgantia vomitum movent, quam adultis, at ego quidem quam diu medicinam facio, nullum unquam me vidiſſe memini, in quo prorſus omnia purgantia talem effectum edidiſſent, unde & caſum, ut communicaretur, dignum judicavi.

LXIII.

Urina à potu nimio cruda.

VIxit haud ita pridem hic loci matrona quædam, quæ aliquoties urinam tam crudam minxit,ut aquam ea potius quam hoc excrementum retulerit, unde & aliquoties me propterea conſuluit, egoque in principio Ventriculum accuſandum eſſe, cenſens, in hujus conſtitutionem inquiſivi, referenteque ea, ſe non habere, quod de hoc queratur, cum non ſolum appetitu polleat, verum eundem nunquam gravatum ſentiat, in renibus cauſam quærere volui; at cum poſtmodum diligentius in mores ejusdem indagaſſem, fideque digni mihi retuliſſent, eam ſubinde potu corpus non tam quantum requiritur, humectare, quam inundare, jam de alia cauſa vix ulterius fui ſolicitus, cum ſic viventibus talis urina quaſi naturalis exiſtat, naturalemque potius tum induens colorem quam hunc aquarum ſervans morbos denunciet; licet vero hæc melius ſibi conſulere non potuiſſet quam potus moderatione, ut tn. tum hoc vitium ſemper negavit, ita ab eodem non deſtitit, donec tandem omnis ſuperflua aqua, exitum ulterius non inveniens ipſam ſuffocavit: ante omnia vero urina tali exhibita medicus in potus quantitatem inquirat, qua nempe nimia exiſtente non tam medicamentis opus erit, quam debita temperantia, aut cauſæ, quæ ſitim forſan excitat, correctione, licetque non deſint, qui ſunt negaturi, ſe in potu modum excedere, hiſce tamen ſolis non ſemper credas, ſed ut per alios quoque hujus rei certior reddaris, eſto ſolicitus, niſi ſubinde errorem committere velis.

LXIV.

Iſchiadici dolores pertinaces.

VIr quidam Nobilis ſeptuagenario major olim Venationibus deditus, & hinc corpus variis aeris injuriis ſæpiuſcule exponens, utut cetera ſic ſat bene valeat, nec ullum ferme à ſenectute incommodum perſentiat, doloribus tamen iſchiadicis identidem tam gravibus afficitur, ut & pedem vix movere poſſit, unde hac de cauſa varia hactenus remedia in uſum duxit, Coriariorum nempe noſtratium ſudatorio non ſemel ſolum uſus fuit, veſicatoria parti dolenti imponi, & ſic veſicas excitari curavit, variis ſpiritibus oleis atque unguentis

guentis eandem ſæpius perfricuit, emplaſtra etiam diverſa applicuit, quin & interna medicamenta ſumſit, at omnia omnino fruſtra, ut adeo malum tam inveteratum & radicatum videatur, ut difficulter admodum cura plenaria ſperari poſſit, cumque quo pluribus utitur remediis eo magis dolores augeantur, ipſemet ſecum conſtituit, in poſterum omnia remedia ſe ſepoſiturum, qua in re me conſentientem habuit, qui unice ſuaſi, ut partem, quantum quidem fieri poſſet, calidam ſervaret, & eum in finem alibi jam commendatam cati ſylveſtris pellem ipſi commendavi; tum ſenectus nempe, tum mali diuturnitas impediunt, ne integrè diſſipari hi dolores poſſint, ne vero curam nimium urgendo in tanta ſenectute graviora producantur mala, meo quidem judicio præſtat medicamenta ſeponere, quam ſub haud inani metu continuare.

LXV.

Febris ſcabioſi.

JUvenis quidam Mercator, quamdiu quidem apud exteros degit, à ſcabie immunis vixit, nec vel ulla victus aut lectorum mutatione illam unquam contraxit, at cum ante annum & quod excurrit à peregrinationibus ſuis domum rediiſſet, & more olim conſueto vivere denuo cœpiſſet, primo quidem pruritum inſignem hinc inde in corpore ſenſit, cumque huic ſcalpendo mederi voluiſſet, paulatim tam ſcabioſus evaſit, ut ſe hoc malo laborantium catalogo eſſe inſerendum vel aliis tacentibus ipſemet nullus dubitaverit, vix vero propterea ullo remedio uſus fuit, niſi quod purgans aliquando ſumſit, eoque quidquid mali in corpore lateat, evacuatum iri, ſperavit, nec me ſcabiei ergo vocaſſet, niſi calor febrilis aliquando acceſſiſſet, à quo ſibi vel ideo magis metuit, quia nullus ferme dubitavit, febrem, qua olim intermittente diu laboravit, redituram; & accedens ego ipſum non parum febricitantem inveni, at, quia ſimul furunculos hinc inde fere inflammatos monſtravit, ab hiſce potius quam aliunde febrem derivandam eſſe, judicavi, hincque bono eundem eſſe animo juſſi, hanc enim febrem non ita diu duraturam, nec me opinio fefellit, cum enim vix bis terve medicamentum ſudoriferum ex Antim. Diaph. præcipue conſtans ſumſiſſet, febris omnino extincta fuit, ſcabies vero nec Eſſ. Purific. Clauderi in magna admodum quantitate in uſum ductæ, nec balneo per tres hebdomadas continuato vel minimum ceſſit, ideoque, ut tandem Unguentum mercuriale ſuaſerim me adegit, quod & Dei gratia voto ſatisfecit: Febres autem ſcabioſorum plerumque, modo à ſcabie revera deriventur, haud tam difficulter curari, hæc obſervatio confirmat.

LXVI.

Morbo periculoſo ſe decumbere falſo credens ancilla.

ANcilla quædam Campidunenſis, cum lites eidem cum ſorore interceſſiſſent, & hinc irata valde fuiſſet, brevique poſt menſibus licet fluentibus nec corpore ſatis veſtibus munito illud tamen frigori acriori diu expoſuiſſet, inde domum rediens aliquamdiu vix membrum movere potuit,veſtibusq;induta rigida quaſi ſtetit, rigoremque hunc paulatim diſcuſſum cum laſſitudo minus conſueta, Cordisque quædam anxietas ſubſequerentur, ſtatim peſſima quæque metuit, in lectum ſe contulit, & mortem jamjam inſtantem ſe expectare dixit; hincque ſequenti ſtatim die hera ejusdem me in conſilium vocavit, ubi cum ſingulas circumſtantias probe perpendiſſem, pulſum plane naturalem deprehens nec ex ceteris quoque vel minimum mali elicere potens, non niſi à menſium fluxu, quem poſt dictum exceptum frigus plane inhibitum fuiſſe retulit, debito citius ceſſante dicta mala derivanda eſſe, judicavi, hincque omnem prorſus metum deponere juſſi, & quoniam tum urina prodidit, corpus abundare humoribus vitioſis, tum oris amarities detexit, illos non abs re bilioſos nominari, purgans ex Radic. Jalapp. gr. xv. & diagryd. Sulphur. gr. vij. conſtans eidem præſcripſi, quod quidem vicies alvum movit, tamque inſignem materiæ peccantis quantitatem eduxit, ut jam & hac de cauſa, fœtorem præſertim, qualis ê mortuis exhalare ſolet, ſe manibus percipere ſibi imaginata, ſe certo morituram, adſtantibus perſuadere quovis modo voluerit; unde & denuo me vocarunt, at accedens omnia in tam bono ſtatu conſtituta inveni, ut non tam medicamentis, quam monitis, ne tantum metui daret, lectumque iterum relinqueret, & ſervitia ſua denuo aggrederetur, opus eſſe, duxerim, nec me opinio mea decepit, cum enim tum meis tum poſtmodum heræ monitis paulatim aures præbere incepiſſet, ſequenti die ſic convaluit, ut medicina ſe ulterius non indigere, per filium meum forte prætereuntem mihi nunciarit: Sicuti vero jam ex lineis medicis non ſemel legiſti, ancillas præſertim aut morbos fingere, aut & eos pro gravioribus ac quidem revera ſunt,ut habeantur, ſummopere ſæpius expetere, ita quotidie hujus rei certior fio, hincque in proverbium quaſi apud me abiit, me lubentius tractare velle vel præcipuum quendam Virum quam ancillam, in quo ſiquidem ſicuti non habeo, quod â fraudibus mihi vel minime metuam, ita & monitis meis longe exactius atque lubentius parebit, quam vel infimæ ſortis ancilla, quæ inſuper & hoc vitii habent, quod omnia fere medicamenta contemnunt, rariſſimeque medici juſſa rite exequuntur, in quo & ea, cujus modo hiſtoriam dedi, peccavit, quæ quippe Mithridatium, quod ſumere juſ-

ſeram,

ſeram, non ſumſit, & hinc ipſa in cauſa fuit, quod per noctem bis terve adhuc ſeceſſit: Ut autem hæc talia Tyronibus innoteſcant, non parum intereſſe, mihi quidem videtur, cum niſi hic cautos ſe gerant, errores committere poſſint, quibus vel in principio Praxeos non parum ſe proſtituunt.

LXVII.

Glandularum poſt aures tumor.

MAtrona quædam Nobiliſſima quarto fœtu gravida octavo fere menſe doloribus capitis prehenditur tantis, ut & inſomnes inde duxerit quasdam noctes, dumque partem affectam manibus hinc inde explorat, poſt aures præſertim, & juxta maxillas tumorem inæqualem notat, & hunc inprimis doloris cauſam extitiſſe nulla dubitat, utque tumor hic diſſiparetur, hincque dolores ſimul mitigarentur, conſilium meum rogavit, & ego glandulas eſſe, quæ intumuere tactu deprehendens, interne quidem pulverem ex Antim. diaphoret. & Cinnab. nat. præp. conſtantem, externe vero Spir. Vin. Camphorat. commendavi, quæ in uſum ducta, Dei gratia ſic profuere, ut vix exacto triduo omnis tumor diſparuerit, doloresque itidem plane ceſſaverint, quod nuper, cum alia de cauſa Eandem adiiſſem, ipſamet retulit: Multum nempe intereſt, ut ejuscemodi glandularum tumoribus in principio ſtatim rite obviam eatur, ſicuti enim tum plerumque non adeo difficulter diſſipantur, ita neglecti & eo demum tempore, quo partem deformare incipiunt, curæ ſubjecti non raro tantam duritiem acquirunt, ut omnia remedia ſæpe ſat diu fruſtra adhibeantur, interdumque tandem ferro quoque opus ſit.

LXVIII.

Funiculi Umbilicalis nodi.

CUm nuper cariſſima mea Uxor Dei gratia feliciter decimum quintum fœtum edidiſſet, neſcio quis adſtantium obſtetricem interrogavit, quomodo funiculus umbilicalis ſe habuerit? an plures in eodem adhuc notarit nodos? indeque, quod pluries puerpera ſit conceptura, ſpes ſubſit? illaque reſpondente, quod omnino aliquot adhuc filios olim ſit paritura, ego quoque ſciſcitari cœpi, unde ipſa in nodis illis filios â filiabus diſcernere poſſet? eaque retulit, eos nodos filios indicare, qui colore rubro ſint ſuffuſi, ex albicantibus autem filias non ita falſo prædici, idque plerumque ſic ſe habere, ſe jam plurium annorum experientia didiciſſe: Sicuti vero nodorum horum longe alia ſubeſt cauſa, quam quod, ex iisdem liberi futuri vel numerandi vel & dignoſcendi eſſent, ita nolim credas, me ejuscemodi fabulis fidem adhibere, non tamen omnino nil juvat noſſe ejuscemodi vulgi ineptias, tum quidem,

dem præcipue ut eo facilius refutentur, tum quia mulierculæ medicum harum rerum ignarum & cetera pro minus perito habent, unde utut ſtatim ſimul refutaverit, modo tamen quod communiter ſtatuitur, referre poſſit, Auctoritati ſuæ interdum non parum conſulet, quæ quidem, ut quæ modo legiſti, communicaverim, me moverunt.

LXIX.

Quartana brevi curata.

MErcator quidam quinquagenarius olim diætam ſtrictiorem ſervans, poſtquam novam duxiſſet Uxorem, noctu præſertim ab eadem blande coactus, ut plures quam olim cibos ingeſſerit, inde brevi poſt pejus ſe habuit, & hinc primo catarrhis magis quam olim divexari cœpit, qui tamen brevi ceſſantes Uxorem non permoverunt, quin & in poſterum cibis eundem oneraſſet, unde tandem ante bimeſtre fere cum noctem prius inquietam duxiſſet, de lecto ſurgens frigore minus conſueto correptus fuit, quod inſequens calor anxietatem cordis comitem habens Uxorem permovit, ut non ſolum ei perſuaſerit, ut lectum repetierit, ſed & me in conſilium vocaverit; ubi accedens ex pulſus celeritate de febre præſenti non dubitavi, utut urina naturali ſimillima extiterit, qualem tamen eam in principio vel acutiſſimarum febrium non ſemel deprehendi, hinc vero cuinam febrium claſſi ſit inſerenda adhuc hærens Potiunculam ſudoriferam eidem præſcripſi, qua ſumta Dei gratia tam bene ſe habuit, ut cum altero mane redirem, ſe plane convaluiſſe crediderit, pulſum quoque nunc plane naturalem inveni, nec tam difficulter ut heri reſpiravit, de lumborum vero & capitis dolore conquerebatur, unde cum imprimis urinam jam valde tinctam excreviſſet, ne febris intermittens ſubſit metui, paroxyſmoque expectando hinc remedia oppoſui, eumque jam devictum credideram, cum tertio quoque die eundem non febricitantem inveniſſem; licet reſtitans laſſitudo, & urina nondum in melius mutata mihi ſuſpicionem injecerint, & ut medicamenta continuare juſſerim, permoverint, nec vana fuit mea ſuſpicio, nam vix exacto die â prima invaſione tertio febri denuo correptus fuit, unde me, quem honorario dato jam dimiſerant, denuo vocarunt, & ego de febre eaque quartana eo minus dubitavi, quia jam paroxyſmo inſtante iterum urinam plane naturalem excreverat, quæ eodem vix finito ſtatim magis tincto denuo colore, reſtitare adhuc in corpore, quæ novum producere poſſint paroxyſmum, abunde prodidit, magis itaque jam huic hoſti obviam ire cœpi, nec absque inſigni ſpe victoriæ brevi obtinendæ, quia in urina licet tinctiore nihilominus nubecula coctionis teſtis conſpiciebatur, paroxyſmique tam vehementer ac alias in hoc morbo ſolent, eum non poſtraverant, febrifugis ergo aliis ſal ammoniacum depuratum imprimis addidi, cujus doſi conveniente auctos pulveres ali-

quoties ſumſit, & ecce! dum tertius inſtat paroxyſmus, ne vel metu eundem revocet, chartis cum Uxore ludens, ejus loco toto corpore ſudore perfunditur, huicque ut eo melius vacet, in lectum ſe confert, jamque adeo nil mali perſentit, ut ſequenti die ſe paroxyſmo plane immunem vixiſſe, gaudens retulerit; & cum ab illo quoque tempore urina naturalem ſervaſſet colorem, in uſum jam ducta Eſſent. Cort. Peruviani, ne malum redierit, Dei gratia feliciter impeditum fuit: Non omnem vero quartanam longam & curatu difficilem eſſe, hac obſervatione confirmatur, quæ quoque quodammodo innuit, quomodo hoc prænoſcere Medicus poſſit.

LXX.

Vomitus poſt lapſum innoxius.

Virguncula quædam nobiliſſima, duodecim annorum, ipſamet ab honoratiſſima Matre petens, ut ê cella potum petere liceat, cum ſervo in eandem mittitur, dum vero per primam & in atrium tendentem ſcalam deſcendit, ſuper lubrico quodam gradu pedem figere recte non potens ſuper ipſam ſcalam prolabitur, & cervicē præſertim eidem graviter allidit, deportatur hinc in hypocauſtum, ibique diligentiſſime inquiritur, an vel ubi læſa fuerit? & quoniam nec minimum quidem læſionis indicium comparet, ipſaque non niſi de dolore cervicis queritur, omne periculum abeſſe credit mater, & ea ad alia domeſtica negotia reditum parat, dum autem hunc in finem diſcedit, de ventriculo querelas movet, neque vomitus ſubſequatur, ſe vereri, indicat, & hoc ipſo magis quam prius perterretur ejusdem amantiſſima mater, hincque me, ut conſilium ſuggeram, illico vocat, ubi accedens itidem in externis partibus nullam plane læſionem notavi, ſemper vero magis magisque Ventriculum accuſabat, unde applicare eidem panem calidum juſſi, hincque quidem levamen quoddam ſenſit, at brevi poſt vomitus ingens ſubſecutus fuit, quo quæcunque quæ haud ita pridem ingeſſerat & magnam pituitæ quantitatem rejecit, jamque quodammodo melius ſe habuit; ſicuti vero Illuſtri Patri metuenti, ne vas quoddam ſanguivehum in pectore ſit læſum, metum hunc exemi, ita ut tum ſanguis forſan in ipſo capite extravaſatus nocere non poſſet, & Convulſiones impedirentur, Potiunculam convenientem præſcripſi, qua ſumta in lectum ſe contulit, & per integram noctem dormivit, maneque evigilans non niſi de cervice adhuc dolente conqueſta fuit, quem dolorem ſacculis convenientibus mitigavi, nec ullo graviore malo alio ſuccedente brevi poſt Dei gratia integre convaluit: Non itaque ſemper vomitus lapſui ſuccedens mali quid denotat, licetque merito nos ſolicitos reddat, tam certi tamen periculi eſſe non poſſumus, quin illud certo prædicendo ſubinde falleremur.

LXXI.

Oculos Cancri colligendi modus.

Oculos vel potius lapillos cancri colligendi modum talem nuper mihi deſcripſit, Pharmacopœus quidam, qui ſe ipſum vidiſſe teſtatus eſt; In fluvios nempe illos, in quibus in Polonia præſertim præter piſces varios cancri quoque in magna admodum copia capiuntur, projiciuntur faſciculi virgultorum oblongi conſperſi hinc inde ranis partim aſſis, partim jamjam putreſcentibus, qui ut aquæ immergantur, quantum requiritur, lapidibus onerantur, & quando ſic aliquamdiu ſub aqua delituere, denuo extrahuntur, plenique tum canceris in foveam prope littus hunc in finem effoſſam aquaque plenam projiciuntur, & in hac brevi tempore cancri ſuos lapides deponunt, qui cancris iterum captis colliguntur, & poſtmodum hinc inde divenduntur: quæ quidem fide non prorſus indigna vel ideo communicatione digna judicavi, quia beatus, ſumme ſuo tempore Induſtrius Sachſius, utut reliqua quævis quæ huc ſpectant, ſedulo collegerit, hujus tamen collectionis nec verbo quidem meminit.

LXXII.

Vinum in cibum non ſemper cum fructu adhibetur.

Vir quidam arthriticus, cum nuper iterum per aliquot hebdomadas hoc malo decubuiſſet, tandem ſic convaleſcere cœpit, ut pedibus iterum uti & ambulare per cubiculum potuerit, vino ergo jam ſic ſat tuto fidi poſſe, & vires inde maritum citius collecturum credens ſperansque uxor, carnem Vitulinam in eodem coxit, & eam oppoſuit, quam & cum appetitu comedit, quin juſculo non parum delectatus fuit, at parum profuit ipſi hæc momentanea quaſi voluptas, dum non ſolum brevi poſt dolores cum fœnore redierunt, ſed & hiſce denuo devictis licet, appetitus tamen ab illo tempore proſtratus fuit, adeo, ut non ſolum quævis cum nauſea ingeſſerit, verum & cibum in Ventriculo corrumpi potius quam in chylum bonæ notæ mutari, vel ex ructibus nidoroſis & halitus fœtore continuo inſtante judicavit, hincque purgante ſe opus habere credens me propterea conſuluit, nec ego improbare ejusdem ſententiam potui, hincque conveniens eidem ordinavi, quod an vel qua fortuna ſumſerit? ego quidem non reſcivi; hæcce vero hac potiſſima de cauſa hic produxi, ut occaſionem habeam detegendi, quod ſicut in hoc ita in aliis pluribus cibos ex vino paratos tam utiles ac quidem nonnullorum palato ſunt grati, non invenerim, ſicuti enim quosdam novi, qui ab iisdem abhorrent, ita qui iisdem vel ſumme delectantur, ſubinde tamen poſt eos vix ſumtos de capitis dolore ſomnolentia & torpore quodam conquerentur, nec deſunt tam rationes, quibus hos cibos inſalubrium numero eſſe inſerendos conſtat,

ſtat, quam quæ evincerent, eos pro ſalubribus merito haberi; conſumuntur & avolant mediante igne eæ vini partes, quæ maxime ſunt proficuæ, ſubſtituiturque iis Saccharum hodie nonnullis tantum exoſum, ut omnino ê medicina proſcribere illud tentent; hoc enin niſi vel in nimia quantitate additur, ejuscemodi cibis vix gulæ ſatisfiet: hincque ego non niſi rariſſime tales cibos convaleſcentibus, quibus multi vel & utiles credunt, concedo, quoſdam enim morbos revocare poſſe, nullum eſt dubium, multo minus vero ipſis ægrotantibus proderunt.

LXXIII.

Hæmorrhoidum fluxus Juveni proficuus.

JUvenis quidam octodecim annorum cum aliquamdiu diarrhoea laboraſſet, materque hoc notans excrementa inſpexiſſet, ipſum multum etiam ſanguinis cum fecibus excernere notavit, hincque ne quid periculi ſubſit metuens, me propterea interrogavit, ubi cum juvenem quoque examinaſſem, isque ſe hunc ſanguinis fluxum jam per aliquot annos notare, illumque nunquam vel minimum moleſtiæ inferre, aut alio modo obeſſe, indicaſſet, idemque procerum ſuccique plenum corpus abunde confirmaret, brevique poſt mithridatio ſumto diarrhoea ſponte ceſſaret, illum medicamentis non habere opus, judicavi; cum ubi ſanguis abundat, non poſſit non prodeſſe, ſi interdum aliquantum imminuatur, modoque modum non excedat, hic hæmorrhoidum fluxus, huic Juveni ſemper ſit profuturus; patet vero ex dictis nos interdum malis ſubjectos eſſe, quæ vix notamus aut notata parum curamus, non ſemper vero absque noxa, non parum enim ſanitati ſuæ conſulit, qui talia & ſimilia in tempore medico detegit, cum interdum & medicamentis opus eſſe conſtet, imprimisque medicus talium malorum ignarus interdum quædam exhibere poſſet, quæ iisdem præſentibus non poſſent non nocere.

LXXIV.

Partum ſibi ipſi difficilem reddens.

AUrifabri cujusdam Uxor, cum ſuper triginta octo annos nata conjugium demum iniiſſet, bis quidem feliciter non tamen ſine difficultate quadam peperit, at cum tertio hunc ipſum laborem aggredi opus habuiſſet, dolores urgentes tantum abeſt ut debito modo ſecundaſſet, ut potius iis inſtantibus ejulaverit, & non ſine clamoribus, ut hi ipſi dolores tollantur, petierit, unde quoque tum temporis tandem fœtum mortuum enixa fuit, hincque quarto gravida merito cautior fieri, & dolores partus non tam fugere quam ſecundare debuiſſet, at & hac vice partu inſtante ſemper clamando inſtitit, ſe doloribus ſuis ferendis non eſſe parem, corpus disrumpi, ſeque parere non poſſe, niſi

 tollan-

tollantur, hincque adſtantes, cum nec precibus nec minis eam permovere potuiſſent, ut muneri ſuo ſatisfeciſſet, in conſilium me vocarunt, & ego accedens in principio quidem ferme credidiſſem, dolores alios eſſe, quæ ipſam torqueant, cum præſertim ſerio teſtata fuiſſet, per totum fere geſtationis tempus ſe ſimiles dolores perpeſſam fuiſſe, hincque Potiunculam, quæ quidem tormina & dolores, ſi qui ſubeſſent, nephriticos ſedare potuiſſet, at eos qui partum promovent nullo modo impedivit, præſcripſi, ipſeque donec allata fuit, expectavi, hincq; eo melius obſervare potui, quales ſint dolores, de quibus conquerebatur, quos cum ſemper magis magisque partus prodromos eſſe, viderem, potiunculam quidem allatam eidem exhibui, at brevi poſt ſerio monui, niſi ſe fœtumque graviſſimo periculo exponere velit, ut dolores hos ſecundet, tantum tamen abeſt ut in principio dictis meis vel minimum paruiſſet, ut potius me abire juſſerit, nec ego, me eandem juvare non poſſe videns dictis reſtiti, ſed monitis ſeriis prius repetitis eidem valedixi; jam vero demum mentem mutavit, & ad partum ſe magis accinxit, cui labori Deus tam clementer benedixit, ut filiolum ſanum & incolumen in lucem ediderit: Utut ergo dolores partus probe ab aliis ſint diſcernendi, ſi tamen revera eosdem hoc nomen mereri conſtiterit, ſedulo ſunt hortandæ mulieres, ut illos ſecundent, cum ſæpe poſtmodum, ubi magis opus eſſe videtur, ſi vel quovis labore revocare vellent, revocare tamen nullo modo poſſint.

LXXV.

Secundinarum extractio laudata.

VIx ab hac domum redeuntem acceſſere me duæ fœminæ referentes, ſutoris cujusdam Uxorem feliciter quidem peperiſſe, at reſtare ſecundinam, hincque ſe rogare ut remedium conveniens præſcribam, nec defui ego illarum petito, ſed pulverem ex ſecund. Hum. pp. & ⊖ Vol. ſuccin præcipue conſtantem ordinavi, hocque ſumto niſi ſtatim ſuccedat hic ſecundus partus, ut obſtetrix in ſecundina extrahenda celebris vocetur, ſuaſi, nec fruſtra, cum enim pulvis non tam has reliquias quam ſanguinem moviſſet, uti quidem plerumque in ſimilibus caſibus contingere ſolet, obſtetricem qualem ſuaſi vocarunt, hæcque tam feliciter muneri ſuo, Dei gratia præfuit, ut vix hora elapſa integram ſecundinam luci dederit: Semper nempe extractionem, modo ab iis, qui, quæve rite didicerunt, adminiſtratur, præſtare multis medicamentis, hac obſervatione iterum confirmatur; non tam itaque ab eadem dehortandæ, quam ut caute inſtituant, quomodoque inſtituere debeant, monendæ inſtruendæque ſunt eæ præſertim, quæ aliâs etiam huic muneri vacant.

LXXVI.

Clyſter vomitu rejectus.

HOdie litteræ mihi traditæ fuere, â quadam Veterinario judicio pollente ſcriptæ, qui quidem pluribus in pago ſuo conſilia ſuggerit, interdum ſic ſat ſalubria, at quando caſus difficilior videtur, ad me eundem defert, conſiliumque meum rogat; in dictis itaque litteris retulit, decumbere in pago ſuo mulierem jam ſeptimo menſe gravidam alvi obſtructione pertinaciſſima, vel ideo quibusvis majorem injicientem metum, quia Clyſterem ab Obſtetrice applicatum brevi poſt vomitu rejecerit, hincque alio laxante maxime opus habere; detulerat autem ad me has litteras hujus tam graviter decumbentis mulieris maritus, hunc ergo ſtatim de hernia, quam ſubeſſe ſuſpicabar, interrogavi, is autem nil quicquam de eadem ſibi conſtare, reſpondit, unde, ut per obſtetricem inquirat, & inteſtina loco ſuo mota blande reponi curet, juſſi; ſimulque Infuſ. Lax D. D. Mannag. in majori ac aliâs doſi, in qua in talibus caſibus aliquoties jam cum fructu commendavi, præſcripſi, ſimul iterum ſubjungens, ut, ſi quis tumor, in abdomine notetur, hujus præcipue cura geratur, vix vero tumoris memineram, & is reponit, imò vero tumorem non adeo parvum circa umbilicum alit Uxor, & ab hoc omnem ſuum dolorem derivat, unde ſicuti jam de hernia umbilicali ſufficienter conſtitit, ut hujus præcipua geratur cura, repetii; ſic vero mentem medicorum, qui ſunt ê vulgo, ſæpe vix ac ne vix quidem percipiunt, niſique quæſtiones identidem mutentur, vix in veram morbi cognitionem devenies, ſic ego quidem in hoc caſu dum in herniam inquiſivi, voce germanica Leib-Schaden / poſtmodum vero corrupta illa Bünckel uſus fui, ad quam, uti legiſti, illico reſpondit; Nullum itaque unquam pœnitebit, ſi vel maxime interrogando inſtiterit.

LXXVII.

Vini potus alvum tardiorem reddens.

MErcator quidam induſtrius dum in emendis variis linteis occupatus ſubito dolorem contrahit lumborum ſiniſtrum tantum torquentem, ut non ſolum ab hoc labore deſiſtere coactus fuerit, verum & difficillime reſpirarit, cumque Emplaſtrum quod Balneator impoſuerat, nil quicquam juviſſet, & dolor ſemper augeretur, meum conſilium petiit, præſcriptaque â me Potiuncula diaphoretica tantum Dei gratia profuit, ut, cum ſecundo die rediiſſem, jam liberius reſpirarit, doloremque fere penitus ſublatum eſſe, indicarit; quoniam autem urina prodebat, latitare in primis viis humores excrementitios, ut hi exturbentur conſultum ducens, purgans quod alias ipſi ſex vel ſeptem ſedes certo moviſſet, præſcripſi, at, utut & poſt hujus uſum dolores iterum magis

mitigati fuerint, vix tamen bis alvum movit, tamque parum materiæ peccantis eduxit, ut ipſemet Pilulas Francofurtenſes quoque ſumſerit, ſed nec hæ quod olim præſtitere; dolore vero ſemper magis remittente, cerevisiam cui hactenus Vinum lymphatum ſubſtituere me ſuadente debuiſſet, purum autem & quidem haud ita vetus Neccaricum ſubſtituerat, denuo bibere cœpit, & ecce alvus ſponte fluit, quæque retenta fuerant, brevi excernuntur, ipſeque Dei gratia integre convaleſcit; adeoque ſemper conſuetudinis quædam eſt habenda ratio, potusque minus conſuetus uti hic alvum tardiorem reddidit, ita in aliis eandem interdum plus debito ſtimulat.

LXXVIII.

Syncope ab hæmorrhoidum nimio fluxu.

MErcatoris cujusdam Uxor, quadragenaria major, cum olim aliquoties per venas hæmorrhoidales multum admodum ſanguinis perdidiſſet, inde in Cachexiam incidiſſet, niſi Dei gratia martis uſus eandem inhibuiſſet, eo magis vero de ſanitate recuperata gaviſa fuit, quoniam conjugio contracto fluxus ille ſanguinis in principio ſic remiſit, ut jam ſe penitus ab eodem liberatam crediderit, licetque poſtmodum aliquoties redierit, quoniam tamen nimius non videbatur, eundem parvi admodum habuit, & hinc parvam admodum aut ſane nullam ejusdem geſſit curam, unde accidit, ut cum nuper eodem inſtante cum ancilla lectum compoſuiſſet, is tantum ſubito augmentum ſumſerit, ut gravis ſyncope ſupervenerit, materque nulla ferme dubitans ipſam cum ſanguine animam profudiſſe, abſente præſertim marito ſumme perterrita fuerit, unde ut quam citiſſime accederem, eo magis per ancillam urſit, cui petito, quia ea me forte fortuna in platea offenderat, eo citius ſatisfacere potui; jam vero me accedente ſic ad ſe redierat, ut quæ contigerint ipſamet narrare potuerit, licet omni vitali colore ſic orbata, ut mortuam magis quam vivam repræſentarit, adſtringentibus hinc & ſanguinis fluxum inhibentibus opus eſſe judicans, iis, quia ſimul de doloribus infimi ventris querebatur, eo fidentibus opium quoque immiſcui, & Potiunc. ex talibus ingredientibus conſtantem ter ſumendam eidem præſcripſi, qua etiam Dei gratia ſcopum meum ſic obtinui, ut omni ſanguinis fluxu remittente ſequenti die ſic ſat bene ſe habuerit; ut tamen in poſterum eam eo citius impediret & averteret, pulverem ſub initium ejusdem ſumendum præſcripſi, Gelatin. C. C. commendavi, & inprimis ſub illud tempus quietam eſſe juſſi: motum enim hac vice ſanguinis fluxum adauxiſſe non eſt quod dubitemus, quietemque hinc in talibus morbis fruſtra non commendari, ſponte patet.

LXXIX.

Clyſter fluentibus menſibus tuto adhibetur.

SUb meridiem hujus diei me acceſſit obſtetrix quædam referens, ſe ad Viduam quandam vocatam fuiſſe, quæ utut pilulas purgantes ſumſerit, non ſolum tamen alvum inde apertam nunquam habuerit, ſed jam, præterquam quod crebrius vomat, torminibus quoque ventris laboret, ut ejulatibus totam compleat domum, petiiſſe vero â ſe ut Clyſterem applicet, ſed hanc operam ſe illi præſtare non audere, quia ſimul menſes fluentes habeat, niſi ego conſentiam; re aliquantum perpenſa, cur clyſter hic applicari non poſſit, nullam ſubeſſe rationem, reſpondi, modo non ſit acrior, quin melius in hiſce doloribus non ſuppetere remedium, addidi, & hinc ut quantocyus applicet, juſſi: nec vero revera ratio ulla ſubeſt, cur menſibus fluentibus Clyſter per alia indicantia neceſſarius tuto applicari non poſſet, cum fluxum hunc nec impediat, nec niſi acerrimus ſit, augeat; ſic vero plerumque mulierculæ ubi non debebant, nimium ſibi metuunt, ſat audaculæ contra, ubi vel maxime metu opus eſſet.

LXXX.

Diarrhœa in puero diu inſtans.

NObiliſſimorum Parentum filiolus vix annuus in tantam magnitudinem & quidem juxta omnes dimenſiones excrevit, ut omnes, qui ipſum viderunt, ad minimum biennem judicaverint, cetera quoque Dei gratia tam bene valuit, ut pro ſaniſſimo habuiſſent Parentes, niſi continua diarrhœa laboraſſet, quam in principio quidem parvi habuerant, at cum jam non per hebdomadas ſed & per aliquot menſes inſtitiſſet, puerque non quidem inde debilitaretur, multum tamen faſtidii & moleſtiæ ſui curam gerentibus faceſſeret, variis remediis eam inhibere tentarunt, nec fruſtra eadem adhibuerunt, at ut nunquam adhibuiſſent, brevi poſt ſummis exoptavere votis, ſucceſſere enim Convulſiones, quas tum ob ſummam vehementiam, tum quia miſerum puellum illico quibusvis privarunt ſenſibus, epilepticas non potui non nominare, conſultusque propterea eo magis ſedula ut earum gereretur cura, omnibus viribus commendavi, præſcripſi hinc pulverem ex variis antepilepticis imprimis autem Caſtor. conſtantem, huncque per pluſculos dies quotidie puello exhibere juſſi, isque Dei gratia tantum profecit, ut, ab eo tempore, quo in uſum duci cœpit, convulſiones nunquam redierint; rediit vero alvi fluxus, cui jam nullo modo obviam iverunt, licetque per integrum adhuc annum inſtiterit, tantum tamen abeſt, ut puer inde pejus ſe habuiſſet, ut potius optime valuerit, ſponteque tandem ceſſans hoc tam diu

inſtans

inſtans malum omnino proficuum nominandum nunc alia mala poſt ſe non traxit, puellusque Dei gratia jam trienni major pancratice valet: ſine dubio vero hæc diarrhoea â dentitione originem ſuam traxerat, â qua proficiſcentia mala, niſi vires aggreſſa fuerint, aut vitæ inſidias ſtruxerint, ſubinde non tam curare quam vel interdum fovere oportet, quod niſi feceris, ne mireris ſi graviora ſubſequantur.

LXXXI.

Lac â gravida profuſum atque retentum fœtus perſentiunt.

PLurium liberorum mater quædam, aliquoties jam gravida per dimidium fere geſtationis tempus tantum lactis per mammas profuderat, ut ſæpe metuerit, ne fœtus inde aut mortuos aut ſaltem minus vivaces edat; edidit tamen eosdem ſic ſat vitales & qua corporis habitum pinguiores parentes, at non fuiſſe revera pingues, vel exinde patuit, quia integro octiduo nondum exacto toto corpore ſic conſumti fuerunt, ut cutis vix oſſibus hæſerit, ex iisdem etiam aliquot poſt exantlatos graviſſimos morbos vix annui in mortis prædam ceſſerunt; ultima vice gravida, aliquoties mirata fuit, quod nec guttam quidem lactis per mammas perdiderit, quia tamen cetera bene ſe habuit, & de fœtus ſanitate ex motu ejusdem ſat valido judicare potuit, non tam mali quid, quam bona exinde augurata fuit, nec ſpes eandem fefellit, peperit ſiquidem filiolam ut elegantiſſimam, ita pinguedine vera abundantem, quæ quippe hac vice, utut ſolam aquam biberit puella, non tam conſumta, quam aucta fuit: patet inde, quod lactis ê mammis profluxus, ſi vel maxime fœtui minus noceat, non tamen conducat quoque, quin longe magis ê re illorum ſit, ſi liquor hic nutritius in mammis ad partus tempus usque ſervetur, cum partem ejusdem & in utero in fœtus alimentum cedere, nullum ſit dubium.

LXXXII.

Eclipſin ſolarem ſubſequentes pauci morbi.

NOn ſemel hiſce diebus rogatus, ſcribo autem hæc ad finem vergente anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum nonageſimo nono, ſeculi hujus penultimo, num praxim nunc frequentem habeam? acque multi ſint, qui morbis decumbant? non potui non reſpondere, me minus frequentem eandem non habuiſſe per integros hos quindecim & plures forte annos, quibus frequens fieri cœpit, cum aliquoties jam per integrum diem vix unicam præſcripſerim formulam, aliâsque pro exigua admodum habuerim praxi, ſi de die hunc laborem ſexies vel ſepties ſolum iterare opus habui, alios autem easdem plane movere querelas, quin tum ex precibus, quæ pro ægrotis funduntur publicæ, tum

infre-

infrequentia funerum ſufficienter conſtare, quod pauciores per bene longum temporis ſpatium nunquam quam nunc decubuerint, ſponte itaque nonnulli huic meæ reſponſioni ſubjecerunt, fruſtraneus ergo fuit metus, quem tam multi, ab inſigniori illa quæ præterito auctumno in ſole conſpici potuit, Eclipſi foverunt, dum præſertim illorum plures morbos malignos & periculoſiſſimos, eandem ſubſecuturos, tam firmiter crediderunt, ut & de alexipharmacis atque præſervantibus medicamentis ſoliciti fuerint, quorum tamē metum mire corroboravit, quia & medici quidam non ſolum hunc metum juſtum nominare, ſed & talia medicamenta præſcribere non dubitarunt, quo ipſo tamen prudentiorum ſe riſui expoſuerunt, ſicuti enim hoc revera ſic ſe habet, quod tantum abeſt, quod hæc Eclipſis morbos epidemios & frequentiores poſt ſe traxerit, ut & ii, qui chronicis loborarunt, potius levamen quoddam ſenſerint, ita multo minus, ne in poſterum, & quod nonnulli perſuadere conantur, poſt integrum biennium, triſtes ſuos affectus edat, habemus, quod merito metuamus; ſi enim illa tam manifeſta & in oculos quorumvis incurrens ſolis obſcuratio nil quicquam noxæ intulit, unde quæſo eæ derivari poterunt, ſole interea jam dudum tamque diu priſtino ſuo ſplendori reſtituto; non habet itaque quiſpiam quod vel minimum ſibi ſub Eclipſibus metuat, quin ſi plura talia extarent exempla, uti quidem non prorſus nulla extant, Eclipſes potius boni quam mali quid denunciare, in poſterum audacius enunciari poterit.

LXXXIII.

Dentium dolorem in quodam ſedans remedium.

CONvivio exceperam Senem quendam ſeptuagenario majorem, hic cum teſtatus fuiſſet, ſe ſuper orbe ſtanneo poſitos cibos comedere non poſſe, hincque ligneum mei apportare curaſſent, ſubjecit, ſe nihilominus aliquando in orbe ſtanneo inveniſſe auxilium, quod in pluribus aliis remediis fruſtra plane quæſiverit, ſi enim ſuper inferiore orbis talis parte accendatur & comburatur chartæ cujusvis pagina, in ſuperiore exudare unam alteramve guttulam liquoris, quem oleum ſtanni, illi qui hoc ſecretum ſe docuerint, nominaverint, quod inditum denti dolenti, tam ſubito dolores ſibi ſuſtulerit, ut nunquam ab ullo remedio magis præſentaneam perſenſerit opem, nec fruſtra idem aliis poſtmodum ſe ſuaſiſſe: ſimili fere modo liquor ex cochlearib⁹, quibus coqui utuntur, ligneis elicitus, cui ſimiles attribuuntur vires, adhibetur; licet vero par fatum hæc quoque remedia, quod alia quæcunque in his doloribus commendata ſine dubio maneat, quod nempe licet aliquot dolore laborantibus levamen quoddam ſint allatura, pluribus tamen nil quicquam ſint conductura, ſi tamen innotuerint, non prorſus uſu ſuo carebit.

LXXXIV.

Laxans vehementer purgans.

MAtrona quædam tenerioris conſtitutionis, cum ab ultimo puerperio menſes nunquam fluxiſſent, an conceperit neſcia, tam diu quidem, donec certi quid conſtaret, patienter ſe expectaturam firmiter ſecum conſtituit, & propterea conſilio ſe opus habere, minime credidit, at cum poſtea dolores infimi ventris acceſſiſſent,& hos quidem aliquamdiu ſic ſat patienter tulit, at cum per plures dies non ſolum inſtarent, verum & quotidie augerentur, ut meum conſilium petierit, eam adegerunt; egoque præſertim hic ut Laxans reliquis medicamentis præmittatur, opus eſſe judicans, (in primis ſiquidem viis latitare peregrinos humores, qui hos dolores vel maxime foveant, per ſigna manifeſta conſtabat, ipſaque inſuper de alvi obſtructione querebatur) Potiunculam ex Infus. Laxat. D. Mannag. ℥jß. ſpecif. Cach. Ludov. & Extr. Rhabarb. ana gr. XV. Aquæ Cinnam. S. V. ʒij. conſtantem præſcripſi, quam & ſequenti die ſumſit, ſed ſicuti ego quidem prædixeram non tam alvum blande bis terve ſubduxit, ſed per totum illum diem eandem ſæpius ſtimulavit, ut adeo fortiſſimum purgans me præſcripſiſſe crediderit,cum imprimis tum per noctem, tum ſequentibus tribus quatuorve diebus hic alvi fluxus non tam vel minimum remitteret, quam ſemper fere augeretur, unde tandem hoc iterum ad me detulit, utque hunc nimium alvi fluxum inhiberem ſerio rogavit; utut vero Pilul. exExtr. Tormentill. & Theriac. Cœleſt. eidem fruſtra non oppoſuerit, notatu tamen dignum videtur, quod hæc ipſa Potiuncula, quæ quibusdam aliis vix alvum moveret, in hac tantas concitaverit turbas: ſed ſicuti hinc patet, nos nunquam certos eſſe poſſe, quot ſedes hoc illudve purgans ſit moturum, ita ex hac obſervatione ut cauti ſimus in exhibendis purgantibus; diſcimus, ſi enim hæc purgans paulo fortius ſumſiſſet, nonne vel in ſummum vitæ periculum conjecta fuiſſet?

LXXXV.

Appetitus cibi potusque novæ ſedes.

DUmPhilippusVerheyen diligentiſſime in ſingularumCerebri partium uſum inquirit,ad eminentias quæ â figuræ quadam ſimilitudine natium teſtiumq; nomen obtinuere delatus ſequentia de iisdem diſſerit: Mihi ab annis aliquot haſce partes in diverſorum animalium cerebris conſideranti inceſſit ſuſpicio, an forſitan monticulorum natiformium munus circa cibi, teſtiformium circa potus appetentiam verſaretur. Suſpicabar enim priores in bove ove & ſimilibus animalibus, idcirco cum proportione majores eſſe, quoniam illa victui quæritando fere ſemper intenta ſunt, potu vero ſe facile nec adeo frequenter

terreplent, in homine autem easdem protuberantias fore minores, quia ipſe variis rebus occupatus de cibo minus ſolicitus eſt, & licet ſæpe reliqua negotia victus ergo perficiantur, hoc non fit ex ipſa natura, ſed ex ſpeciali hominis intentione: neque tamen protuberantias teſtiformes homini adeo parvas eſſe, quia equidem ille magis quam præfata bruta potui vacare ſolet: Hæc ſententia an doctorum applauſum ſit inventura, tempus docebit, novitate autem ſua ſic ſe mihi commendavit, ut hic produxerim.

LXXXVI.

Scorbuti quædam Signa.

CUm heri domum redeo, quædam me expectat, quæ mariti urinam monſtrans ſimul ut remedia convenientia ſuadeam, me rogat; urinam vero dum propius inſpicio, eamque ſanorum ſimillimam invenio, more meo interrogo, de quibus malis æger queratur, ut nempe ex reſponſo dato melius quam ex urina judicare, & poſtmodum etiam ejusdem petito ſatisfacere poſſem, dolores illa artus præſertim occupantes nominat, qui, utut nullum aliud hic indicium præbeant, dum partes affectæ nec intumeſcant, nec colorem nativum mutent, nec conſueto magis caleant, nec etiam motus earum vel minimum impediatur, eum tamen ſubinde tantum torqueant, ut ſe iisdem ferendis ulterius haud ita diu parem futurum, aliquoties credat, & hinc eo magis opem medicam deſideret; & hæc quidem mihi ſtatim ſuſpicionem quandam labis Scorbuticæ injecerunt, unde, ut adhuc certior ſententiæ hujus fierem, an gingivas interdum habeat cruentas? interrogavi, uxoreque aſſerente, nullum fere eum cibum comedere, quo maſticato ſanguis è gingivis non eliceretur, nullus ulterius de malo dubitavi, hincque anteſcorbutica eidem præſcripſi, quæ aliis quoque profuiſſe notavi, inter quæ Eſſent Abietis præſertim nominari meretur: Sic vero pluries jam, quin tantum non ſemper non tam ex urina, quo morbo is, qui eam ad me deferre curavit, laboret, deprehendi, quam variæ interrogationes inſtitutæ mihi prodiderunt, imo ſi vel urinæ, quæ jam aliquoties unum alterumve morbum ſic ſat certo indicavit, nimium fidi, & hinc, non præmiſſis neceſſariis quæſtionibus judicavi, non ſemel jam falſus fui: Eum vero cujus hiſtoriam modo dedi ſcorbuto laboraſſe, vel exinde quoque conſtitit, quia Uxor ejusdem, eum diu admodum victu duro minusque ſalubri uſum fuiſſe, retulit.

LXXXVII.

Confectio Alkermes adulterata.

AD quendam vocatus, qui olim per viginti & quod excurrit anos pharmacopœorum caſtra ſecutus fuerat, cum de variis aliis notatu dignis diſſeruiſſet,

mentioque Confectionis Alkermes injiceretur, de hac ſancte teſtatus fuit, ſe aliquoties magiſtris adſtitiſſe, qui vel tantum hujus Confectionis, uti quidem falſo eandem nominaverint, ut pondere centenario metiri opus habuerint, pararint, nunquam tn. nec granum quidem kermes, aut vel guttam ſucci ex hiſce granis expreſſi eidem immiſcurint, ſed jam hoc jam alio prohibito modo colorem tamen Confectioni convenientem conciliare ſtuduerint; nihilominus autem hos ſuppoſititiam hanc compoſitionem in magna admodum quantitate divendiſſe: Non habemus vero, quod miremur, ſi pluries medicamenta non præſtiterint, quod quidem merito expectamus, cum ſæpe in aliis quoque caſibus quid pro quo ſubſtitui, adulterataque medicamenta pro veris divendi, communis plurium tum medicorum tum medicamentis opus habentium ſit querela.

LXXXVIII.

Febris urina adhuc tincta cedens.

VIr quidam ſexagenario major, quoniam hactenus integerrima ſanitate Dei gratia fructus fuit, eo magis ſibi metuit, cum nuper uno alterove leviore licet morbo corriperetur, imprimisque hic metus valde auctus fuit, cum ultimò frigori antecedenti calor tantum auctus ſucceſſiſſet, ut integram noctem inſomnem transegerit, ſummo ergo mane me vocavit, inque cauſas antecedentes inquirenti, reſpondit, quod aliquamdiu dolore poſt aurem ſiniſtram in totum brachium ſe extendente laboraverit, hocque partim ſudore partim ſuffumigio partim applicato Balſamo quod album nominant, mitigato quidem at nondum omnino diſcuſſo corpus aeri frigidiori & humido ſimul debito citius expoſuerit, hincque nuncio triſtiori accepto dicta mala excitata poſtmodum fuiſſe, credat; licet vero de calore nimio non parum conqueſtus fuerit, anxietas quoque quædam acceſſerit, quia tamen in pulſu nullam plane mutationem notabam, urinaque ſanorum ſimillima extabat, nec ullum aliud ſignum quod merito pro malo agnoſcere potuiſſem aderat, ſtatim nil mali ſubeſſe ſperavi; ut tamen ſi vel me inſcio, adeſſet, eidem occurrerem, potiunculam Cordialem eidem præſcripſi, qua ſumta Dei gratia tam bene ſe habuit, ut, cum rediiſſem, ſe integre convaluiſſe, retulerit, iterare tamen hanc ipſam Potiunculam juſſi, unde per noctem tam bene dormivit, ut ſequenti die de lecto ſurgere potuerit; at hoc ipſo die urinam tinctionem excreverat, unde metui, ne forſan febris intermittens ſubſit, at metus meus fruſtraneus fuit, ab illo enim tempore conſilio meo ulterius non indiguit: licet itaque urina tinctior interdum de febre latitante teſtetur, interdum tamen & morbi deſinentis eſt indicium, quod uti in hoc ita & in pluribus tale extitit, ſi præſertim brevi naturalem colorem iterum acquiſiverit, aliâs ſiquidem

dem illa adhuc tincta non facile fidendum eſſe, in lineis medicis jam legiſti.

LXXXIX.

Febris in puero facile curata.

ILluſtrium parentum filiolus nondum biennis optime Dei gratia ſe habens ſubito langueſcit, in matris ſinum reclinat, & alias cibi appetentiſſimus ſic ab eo abhorret, ut nil quicquam edere voluerit, calet quoque toto corpore hincque Parentes permovet, ut me vocent; accedens difficilius quidem reſpirantem invenio, non vero tantum calentem, ut merito gravius malum ſuſpicari potuiſſem, â dentitiore itaque & pituitæ â catarrho antecedente in ventriculo detentæ copia mala hæc derivanda cenſens, cum alvi quoque fluxu laboraret puerulus non niſi Antim. diaphor. alio quodam pulvere auctum eidem præſcripſi, quod & Dei gratia ſic ſuffecit, ut ſequenti die eum ſalvum & incolumen invenerim, ut tamen difficilis reſpiratio adhuc reſtans curaretur, ſpir. ✳ci Anis uſum eidem recommendavi; ſed ſæpe hoc in puerorum morbis ſic contingit, unde ne in judicando præceps ſis, merito inde diſces.

XC.

Munditiei nimium ſtudioſus.

NOvi olim Virum quendam, qui uti cetera quoque ſanitatis ſtudioſiſſimus fuit, ita inprimis multum intereſſe, ratus, ut excernenda rite excernantur, non ſolum quotidie aliquoties alvum depoſuit, ſed & valde ſolicitus fuit, ne vel minimum quidem reſtitet, hincque tantum ſtudium in detergendis natibus adhibuit, ut plus chartæ inſumſerit quam aliâs vel pluribus ſuffeciſſet, quin hoc non contentus, plerumq; digito quoque exploravit, an feces quædam ſint reſiduæ, & has inventas eodem mediante removit, at hac in re nimium eundem fuiſſe, poſtmodum ipſemet fateri coactus fuit, cum pars dolere inciperet, & ſanguinem quoque interdum funderet, hinc modo memorata minus jucunda mihi revelavit, cumque præſertim tum temporis unus alterve fiſtulis ani laborarent, annon & tale ſubſit malum? ſerio inquiſivit, utut vero partem inſpectam non tam læſam & exulceratam, quam quodammodo inflammatam invenerim, quod malum etiam facillime Mucil. Sem. Cydonior. ſublatum fuit, ut tamen in poſterum, niſi talia mala contrahere velit, â nimia hac munditie abſtineret, ſedulo eundem hortatus fui: ſemel enim læſas has partes non niſi difficulter admodum iterum conſolidari, non ſine moleſtia ſæpius jam expertus fui.

XCI.

Spongiam ſiccam attingere non valens.

MAtrona quædam Illuſtris cum haud ita pridem antipathiæ & idioſyncraſiæ quædam exempla narrarentur, de ſe ipſa retulit, ſe â pueritia ſua ſpongiam ſiccam attingere nunquam potuiſſe, quin nec in hunc usque diem poſſe, ſique hoc tentare velit, quin de Spongia ſicca attingenda vel cogitet ſolum, ſe horrore totum corpus concutiente corripi, hincque, niſi ab aliis humectata ſibi eadem porrigatur; ſe illa uti minime poſſe, aliaque ut eidem ſubſtituat, opus habere, uti contra humore jam imbutam absque ullo horrore tractet; & nunc quidem hanc averſationem ſibi quidem minus eſſe moleſtam, dum aliis ut humectetur ſpongia, mandare poſſit, at olim, dum aliæ nòn tam pro idioſyncraſia quadam quam pravo more habuerint, hincque cogere ſe tentarint, aliquoties fere in animi deliquium ſe incidiſſe, unde tandem & hæ â rigore ſuo deſtiterint. Eandem vero hæc averſatio cauſam agnoſcere videtur, quam, quod alii â certis quibusdam ſonis ſtridore præſertim æque abhorrent, in quam tamen penitius indagandi provinciam aliis trado.

XCII.

Sanguinis in gravida fluxus ſignum quoddam.

MAtrona quædam nobiliſſima, aliquoties jam gravida, geſtationis quoque tempore non parum ſanguinis per uterum depoſuit; ſicuti vero non tam aliunde quam ab ipſa ſanguinis abundantia hunc ejusdem fluxum, tum ex habitu ejusdem ſuccipleno, tum fœtibus, quos edidit, ſanis & in ſuo genere perfectis abunde patuit, ita ne tamen nimius fieret, ſemper quædam medicamenta adhibuit, imprimisque diligentius ac aliâs eorundem uſum continuavit, quando jam jam inſtare fluxum notavit; interrogata quodnam inſtantis ejusdem ſignum haberet? reſpondit, hoc ſe hactenus nuncquã fefelliſſe, quando nempe urinam non ſolum majori ac aliâs quantitate reddat, ſed & quando ſæpius ad eandem reddendam & interdum etiam fruſtra ſtimuletur, ſemper enim brevi poſt dictum fluxum ſubſecutum fuiſſe; Uti vero non parum profuit, ſi hoc prodromo ſe oſtendente in tempore, quæ fluxui inhibendo dicata ſunt, diligenter adhibuit, dum niſi illum hoc modo plane inhibuit, ſaltem notanter imminuit, ita ejuscemodi ſigna vel maxime noviſſe juvat, dum ſic ſemper principiis obſtare poſſumus, quod & hîc non parum juvat, qui ergo & plura ejuscemodi aliarum indicia dicti fluxus intempeſtivi communicaverit, rem medicis imprimis genuinis gratiſſimam præſtabit.

XCIII.

Canis tempeſtatem præſagiens.

FAmiliari olim amicitia per aliquot annos gaviſus fui cujusdam Senis integerrimi, qui ſicuti ſemper Canes aluit, ita eosdem ſibi tam parentes habuit, ut vel geſtus ejusdem noverint, & ad hos illius juſſa ſic ſat ſtricte executi fuerint, quin ipſi Canes aliquamdiu ejusdem conſuetudine uſi ſic quaſi eundem redamare cœperunt, ut vel vi aliquoties abacti nihilominus redierint, hic vero in illo, quem ultimo aluit, præſertim notavit, quod ſemper tempeſtatis mutationem præſagierit, non quidem magis ac aliâs latrando, aut gramen edendo, quod & in aliis notatum fuit, ſed quam primum hic nil ferme aut parum admodum comedit, quin vel carnem porrectam intactam reliquit, tempeſtatis in pejus mutatio tam certo inſtitit, ut raro exinde eandem fruſtra prædixerit, uti contra eandem faventiorem denuo haud fruſtra ſperari, quando Canis ut olim edere cœpit, ſic ſat certo conſtitit; quod cum mihi narraſſet, aliquoties poſtmodum eundem de tempeſtate futura interrogavi, caneque aut edente, aut cibum averſante quid ſperandum metuendumve ſit? aliquoties non ſine admiratione ſic prædixit, ut eventus omnino reſponderit: Nemo vero, ſpero, ſiniſtre interpretabitur, quod hæc de Cane hîc interſerui, cum ad hiſtoriam naturalem ſpectent, & inſignis ille Medicus Paullini integrum de iisdem tractatum maximo Studio colligere non dubitaverit, in quo & huc ſpectantia plura invenies.

XCIV.

Scabies melancholicam non juvans.

MElancholica quædam paulatim præter malum ſuum primarium ſcabiem quoque contraxit, quæ in principio neglecta tam altas egit radices ut deinde vix ac ne vix quidem extirpari denuo potuerit, licet enim præmiſſis præmittendis tum balneo uſa fuerit, tum unguento, quod alios plures juvit, partes pleraſque affectas diligenter inunxerit, non tamen tam ceſſit inde malum quam indies auctum fuit, licetque ego in principio ſpem quandam conceperim, malum primarium, Melancholiam ſcilicet inde mitigatum iri, & hæc tamen ſpes me plane fefellit, ſcabie enim fere tota obducta manus violentas ſibi ipſi inferre voluit, dum vero mecum in cauſas inquiro, cur huic ſcabies tantum non profuerit, quantum quidem aliis quibusdam profuiſſe legitur, attentiusque quæ de eadem relata fuêre conſidero, non tam ab humoribus peccantibus & melancholiam foventibus ad extremas partes delatis, quam ſumma melancholicæ negligentia & hinc ſorditie non conſueta eandem originem ſuam traxiſſe, non poſſum non judicare, unde & illi non potuit vel minimum melancholiam.

liam imminuere, quam ſine dubio imminuiſſet, ſi critica nominari meruiſſet; judicaturus ergo de tali Scabie, ante omnia in cauſas inquirat, ſi enim has non tam internas, quam externas agnoſcat, in melancholia parum admodum conferet.

XCV.

Gravida pinguis parens.

MUlier quædam ſæpius gravida ſexies vel ſepties jam notavit, quod graviditatis tempore non ſolum colorem faciei vividum plane non mutet, ſed & totius corporis habitu tam notatu dignum ſumat incrementum, ut & alii hoc in eadem obſervent, hincque in principio non tam gravida quam pinguior facta credatur, cum præſertim & manus & facies longe pinguiores ac olim pareant, & hæc quidem abdomine increſcente non decreſcunt, ſed una cum reliquo corporis habitu quotidie augeri videntur; verum enim vero non veram fuiſſe hanc pinguedinem nec partes corporis tam revera auctas quam inflatas fuiſſe exinde ſat clare conſtat, quia edito fœtu ſicut abdomen ſubſidet, ita reliquæ partes unico quaſi momento iterum ſic extenuantur, ut cui paulo ante inter pingues locum non plane infimum facile conceſſiſſes, jam inter macras numerari quovis jure poſſit; Sanguis ſcilicet, quam non gravida in magna quantitate per uterum deponere ſolet, non omnis in fœtus uſus inſumtus ſanguiveha vaſa totius corporis magis ac olim diſtendit, hincque inflantur & quaſi pinguior paret hæc, at eodem iterum exitum inveniente, denuo detumeſcunt, corpusque ad priorem redit formam: Quosdam vero non tam pingues eſſe, quam parere, ex dictis diſces.

XCVI.

Varices menſium inſtantium indices.

Fæmina quædam cum vix ſecunda vice concepiſſet, varices in pedibus præſertim notavit, quibus, quia nullam fere moleſtiam inferebant, nullum etiam remedium oppoſuit, at uti alia mala eundo ſumunt vires, ita & hoc quo ſæpius utero geſſit, eo magis invaluit, adeo, ut tandem hæ venæ tumefactæ & apertæ aliquoties fuerint, ſanguinemque quidem non tam profuderint quidem, quam extillarint, at aliquando tantum intumuere, ut per aliquot hebdomadas inde pedum uſu plane deſtituta aut ſedere aut decumbere opus habuerit, nec tum medicamentis variis in uſum ductis vel minimum quidem effecit, quod tamen eo minus curavit, quia novit poſt partum ſponte hunc tumorem imminutum iri, & hinc reliqua quoque mala evanitura, ſic enim aliquoties jam contigiſſe meminerat; Verum enim verò licet & hac vice ſpe ſua non omninò ceciderit, dum nempe abſoluto partu omnis tumor diſparuit,

ſparuit, dolor tamen, utut interdum intermiſerit, non gravidæ eidem æque ac gravidæ aliquoties moleſtus fuit, dumque attentius, quo redibat hic dolor, tempus obſervat, deprehendit, illud ſemper eſſe, quod menſium conſuetum fluxum proxime antecedebat, idque tam ſæpe, ut poſtmodum dolor Varicum certum menſium jamjam inſtantium ſignum ipſi extiterit; ſicuti autem ex dictis non parũ confirmatur ſanguinis inſtantib⁹ menſib⁹ turgeſcentia & motus â conſueto non parum mutatus, ita ſimul venarum harum cum utero intimior conſenſus inde non male adſtruitur, adeoque in plethoricis præſertim ſubjectis in menſium obſtructione quin & aliis quibusdam morbis mulierum, non poterit non ſummè conducere Venæſectio, quæ in pede inſtituitur.

XCVII.

Nicotianæ fumus alvum movens.

CUm nuper quodam alvo pertinaciter obſtructa laborante, aliquot amici eundem viſitaſſent, uti fieri ſolet, ſinguli quidem aliquod remedium commendarunt, inter quæ facile parabilis nomen præ reliquis mereri mihi quidem videbatur illud, quod adſtans quædam mulier commendabat, dum nempe cereviſiæ nicotionæ fumum inſufflare juſſit, & hanc potam certo alvum moturam, ſanctè teſtata fuit; licet vero & fidem invenerit, dum vel ipſam nicotianam comeſtam purgantes interdum exſerere vires conſtat, & tyrones adhuc in arte fumum Tabacci ore ſugendi, ſi illum non tam ore emittant quam deglutiant, ſæpe inſigni ſua moleſtia experiuntur, dum inde per ſuperius & inferius guttur multum ſæpe purgantur, an tamen & inter tuta ſemper referri poſſit, merito dubitatur, cum vehemens ſit, vomitumque ſæpius itidem excitet, quem in pluribus alvi obſtructionibus non tam movere quam inhibere & impedire opus habemus; inprimis vero non tam tenuioris conſtitutionis quam robuſtis & quadratis hominibus hujus remedii uſum concedes.

XCVIII.

Hydrops ſanabilis.

MAne quædam ruſtica urinam attulit, Patris ſui eſſe interſerens, utque ei conſilio adſim, rogans, cruda exiſtente eadem de Ventriculo affecto imprimis cogitavi, & hinc de hujus malis interrogare cœpi, at ea reſpondente, illum non tam de ullo alio malo queri, quam quod hinc inde toto corpore intumeſcat, & ante aliquot dies quidem hic tumor aliquoties iterum diſſipatus fuerit, jam vero continuo partes, quas ſemel occupavit, diſtendat, quæ ad hunc præſertim morbum ſpectant expiſcari cœpi, hincque certior factus, ipſum jam per aliquot hebdomadas male ſe habere, palleſcere, diffi-

culter quidem incedere, non vero ſimul & reſpirare, alvum quotidie adhuc deponere, ſitim facile ſedare poſſe, at tumorem ſemper incrementum ſumere, Aqua intercute eum quidem laborare ſtatui, at tali, quæ vel Celſo jam teſte, haud ita difficulter curari poſſit, modo ea, quæ conveniunt, adhibeantur remedia, & decentem ſui curam gerat æger; Potum ergo, Aquam Bacc. Juniper. viribus mediante coctione inprægnatam eſſe juſſi, medicamentum vero ex Limat. ♂ & pulv. Rad. Jalapp. reſ. n. præcipue conſtans præſcripſi: quo ſicuti Dei gratia plures alios curatos memini, ita & hunc non fruſtra uſurum, modo & reliqua obſervanda obſervet, ſpero.

XCIX.

Phthiſis menſium diuturnam obſtructionem ſubſequens.

POſt meridiem me acceſſere duo ruſtici Bavari itidem urinam monſtrantes, quam Uxoris ſuæ eſſe, alter eorum aſſeruit, tinctior vero hujus color, quodque ſimul minus clara extitit, mihi ſtatim gravioris mali ſuſpicionem injecit, cumque ipſimet me non interrogante menſium obſtructorum mentionem feciſſent, ſimulque quod difficulter admodum reſpiret, indicaſſent, quod & hic hydrops ſubſit, ariolatus fui; at cum omnem tumorem abeſſe retuliſſent, ſolumque ut menſibus obſtructis remedia opponam urſiſſent, jam me accinxi ad ſcribendam formulam ex marte præcipue conſtantem, at dum calamum arripio, maritus interrogat, quid mihi de ſputo, quod purulentum in magna quantitate rejiciat, videatur? annon menſes ſint, qui ſic corrupti per has partes exitum quærant? dumque eo ipſo me movet, ut jam in alia, quæ phthiſin comitari ſolent, ſymptomata inquiſiverim, ſicque certior reddor, illam toto corpore conſumi, interdum de calore totius valde moleſto queri, & ſudoribus viribus præſertim inſidiantibus divexari, jamq; de hoc malo eo minus dubitavi, quo certiora hæc ejusdem eſſe ſigna ſolent, cumque jam per quinque & quod excurrit hebdomadas ægrotam lectum relinquere non potuiſſe, ſubjunxiſſet, peſſima quæque metuenda prædixi, ne tamen omnino derelinqueretur, Electuar, conveniens eidem præſcripſi: Non vero tam menſes movendos eſſe in ejuscemodi ſubjectis, quam primario morbo occurrendum, cum ſæpius in iisdem non tam abundet, quam deficiat ſanguis, experientiſſimorum medicorum eſt ſententia; quin an talis phthiſis revera curari poſſit, ego quidem totus dubito.

C.

Capitis dolor brevi curatus.

VIr quidam in dignitate publica conſtitutus, dum muneri ſuo ſedulo præeſt, inde catarrhum primo & hinc dolorem capitis oculi præſertim ſiniſtri regio-

regionem occupantem contrahit, qui tantus fuit, ut & oculus ipſe inde rubuerit, & per illud tempus vix ulli labori præeſſe potuerit, parvi tamen eundem in principio vel ideo habuit, quia quotidie quidem horis matutinis rediit hic dolor, at poſt meridiem ſic remiſit, ut ejusdem nec minimum quidem veſtigium ſuperfuerit, at cum tandem ſemper diutius inſtaret, & hinc ferme ægrotum proſterneret, me propterea in conſilium vocavit, ſtatimque narravit, ſe olim Argentorati ſimili prorſus malo aliquamdiu laboraſſe, ſicque inde debilitatum fuiſſe, ut ſtudiis vacare vix ac ne vix quidem potuerit, tumque celebrem quendam ibi medicum ſe propterea in conſilium adhibuiſſe, huncque non ſolum in temporibus veſicas excitaſſe, ſed ſanguinem quoque è pede in non ita exigua quantitate ſubtraxiſſe, & inde non ſolum malum illico ceſſaſſe, verum & interea, viginti jam annis elapſis, ſe ab illo penitus immunem vixiſſe, ut itaque iterentur hæc remedia, ſe quidem conſultum ducere, quid tamen mihi de iisdem videatur? ut indicem, ſimul rogavit; & ego mali fomitem non tam in ipſa parte affecta ac humorum maſſa quærendum eſſe ratus, tam generoſis præſidiis nondum eſſe opus judicavi, hincque potius medicamenta quædam interna, quæ aliâs jam, me in talibus morbis periodicis proficua inveniſſe, alibi legiſti, commendavi, quæ ſine dubio fruſtra in uſum non ducet: Sicuti vero cura deſcripta omnino notatu digna eſt, & interdum ſine dubio locum habet, ita quod morbi præſertim periodici vel poſt plures annos interdum redeant, hac obſervatione confirmatur.

CI.

Epilepſia rationem plane evertens.

AB hoc domum rediens brevi poſt vocatus fui, ad ægrotam quandam, apud quam plures adſtantes inveni, quæ, cum quibus opus eſſe credideram, ordinaſſem, varia me interrogarunt, tandemque, quædam ex iisdem recenſuit, ſe jam per pluſculos annos alere filium nunc quadragenaria majorem, huic epilepſiam, qua graviſſima laboret, adeo rationis uſum evertiſſe, ut ejus nec minimum quidem reſtet indicium, non ſolum enim nil quicquam eum proferre, quod percipi poſſet, ſed & nudum absque omni pudore, jacere, lectumque commaculare, & plura alia tanti ſui mali indicia tantum non quotidie edere, & hoc quidem malum poſt trigeſimum demum ætatis annum eundem contraxiſſe, nec ullam ejusdem cauſam procatarcticam ſe noſſe, quam quod aliquoties â magiſtro, qui duriuſcule eundem tractaverit, in caput quoque percuſſus fuerit; Et ſane hæc nobiliſſima ſenſuum arx non ſemper impune fert, ſi quovis modo duriuſcule tractetur, ut ergo imprimis capiti parcant, qui ut verberibus excipiant ſibi ſubjectos, opus habent, non injuſte monentur,

tur, quantum vero & quam atrox ſit malum Epilepſia vel ex modo narratis abunde patet.

CII.

Febris diuturna iteratis vomitoriis cedens.

VIr quidam in equeſtri dignitate conſtitutus, Italus, cum in bello, quod nuper Veneti cum Turcis geſſerunt, variis conflictibus atque obſidionibus interfuiſſet, tandem, utut ab hoſte vix læſus fuerit, fructus tamen belli minus expectatos perſenſit, dum primo quidem febre maligna cum parotide, hinc eadem tertiana intermittente duplici, & tandem quoque continua per novem & quod excurrit menſes laboravit, indeque primo quidem toto corpore conſumtus fuit, hinc vero abdomine adeo intumuit, ut de hydrope inſtante nemo dubitaverit, jamque ipſimet nec minima quidem convaleſcentiæ ſpes vel ideo ſuperfuit, quia & ipſi medici, quorum aliquot conſuluit, peſſima quæque prædixerunt; acceſſit vero eundem præter alios Medicus quidam Germanus, & ex Antimonio paratum medicamentum emeticum, pluribus laudibus extulit, â quo pluribus tum adhuc in Italia exoſo admodum & ſuſpecto medicamento, licet in principio abhorruerit, monitus item, ne tali remedio fidat, à ſupremo ſuo Duce fuerit, quoniam tamen mori maluit, quam diutius cum tam variis morbis conflictari, tandem deſperabundus illud in uſum duxit, licetque vehementem admodum exſeruerit operationem, quia tamen levamen quoddam attulit, ter adhuc iteravit, ſicque Dei gratia â febre penitus liberatus fuit; at reſtitit abdominis tumor & cum eo hydropis haud injuſtus metus, hincque gaudium de profligata febre non erat perfectum, ut autem tale redderetur, idem medicus omnem lapidem movit, ſcopumq; ſuum Vino medicato purgante Dei gratia obtinuit: Viſcera nempe in hoc bene adhuc erant conſtituta, indeque materia peccante & fomite febrili per vices eductis, humores vias ſuas eo, quo olim modo remetiri cœperunt, malaque inde inducta ceſſerunt; diſces autem inde, in febribus, quæ erroribus diætæ præcipue ortum ſuum debent, utut jam diu inſtiterint, fruſtra tamen vix adhiberi Emetica, quin interdum ſic ſat tuto aliquoties iterari, ubi tamen, ut cautum ſe gerat medicus, omnino opus eſt.

CIII.

Calculus Cerebri.

HIc ipſe Perilluſtris Eques Florentia oriundus, cum nuper Medicorum ibi celebrium mentio fieret, uti inter hos Franciſcum Redi numerandum eſſe, nullum eſt dubium, ita de eodem retulit, quod, cum ante aliquot annos in cauſam mortis ejusdem cultro anatomico inquiſitum fuerit, calculos in ipſo cerebro

cerebro repererint, qui huic operæ tum præfuerint, licet autem diligenter in morbum antecedentem inquiſiverim, de hoc tamen nil plane referre potuit, at utut alii forſan jam retulerint aut ſint relaturi, ut tamen pluribus & hoc modo innoteſcat, non prorſus abs re futurum judicavi; Curioſiſſimo dum vixit, Viro poſt mortem etiam curioſis curioſam meditandi occaſionem ſuppeditante.

CIV.

Variolæ appetitum non ſemper proſternunt.

Puer quidam ſex vel ſeptem annorum, cum aliquamdiu Dei gratia optime valuiſſet, ſubito de malis illis, quæ variolas antecedere ſolent, queri cœpit, quas & ſucceſſuras eo magis credidi, quoniam tum plures hic loci hoc malo decumbebant, nec vel minimum hujus rei mihi ſuperfuiſſet dubium, niſi puer ſimul appetitu tantum polluiſſet, ut niſi plus cibi tantum tamen quantum vel ſaniſſimus ingeſſerit, cum plerisque aliis hic niſi omnino deficiat, imminutus tamen & parvus admodum reſtet; verum enim vero ſicuti ſub hoc tam bono appetitu variolæ nihilominus hinc inde eruperunt, ita is nec iisdem præſentibus vel minimum imminutus fuit, ſed puer cibis vix ac ne vix quidem exſatiari potuit, cum præſertim ego ſerio interdixiſſem, ne nimium cibi illi ſuggereretur; merito enim ſuſpectus eſt appetitus auctior in illis præſertim morbis, in quibus plerumque aliâs proſternitur, ſique illi ſatisfiat, vires quæ in morbo depellendo requiruntur, in cibum coquendum inſumtæ utrique labori non ſufficiunt, ſicque ſuccumbunt, & identidem morbus letalis evadit, qui ſervata diæta facile curari potuiſſet. Sicuti vero hic puer, dum nihilominus Cibus ipſi ſubtractus fuit, Dei gratia convaluit, ita qui idem & aliis ſuaſerit, longe certius ſcopum ſuum obtinebit, quam quando ægroti petitis ſatisfecerit.

CV.

Variolæ & morbilli in eadem domo diverſos invadentes.

DUm hujus de Variolis obſervationis ſchedæ meæ me memorem reddunt, eædem mihi refricant memoriam ſequentium: Sub illud ipſum nempe tempus Mercator quidam me vocavit, ut adſtarem filiolis ſuis de iis malis querentibus, quæ tum morbillorum tum variolarum ſolent eſſe prodromi, quæ licet interdum aliquantum à ſe invicem differant, non raro tamen ſic inter ſe conveniunt, ut vel experientiſſimus medicus certi quid prædicere vix ſuſtineat, de quo tamen non multum eſt ſolicitus, cum iisdem medicamentis ambo hi morbi opus habeant, nec nocere poſſit, ſi eadem plane quæ in mor-

billis in variolis etiam commendentur remedia; & hiſce ergo, cum præſertim nullum ſymptoma urgeret, ea præſcripſi medicamenta, quæ aliâs in promovendis his malis proficua reperi; pulverem nempe ex Antim. diaphor. & C. C. Phil. calc. præſertim conſtantem, & ecce! biduo elapſo binos ex his Variolis, binos vero morbillis laborare ſic conſtitit, ut nullum ſuperfuerit dubium; cumque convaluiſſent, nec qui morbillis laborarunt, variolas contraxerunt, nec qui his decubuerant illis correpti fuerunt; patet autem ex dictis, quod prudens medicus judicium de his malis tam diu ſuſpendere debeat, donec ipſe eventus, quale propriè ſit, docuerit, niſi falſa prædicere malit.

CVI.

Alvi obſtructio in Gravida.

Fœmina quædam non prorſus ignobilis, tenerioris conſtitutionis, jam per aliquot annos gravida præſertim alvum adeo obſtructam habet, ut, niſi medicamentis utatur, raro admodum eandem deponat, hincque varia propterea jam per bene longum temporis ſpatium in uſum duxit, licetque nullum fere remedium fuerit, quod in principio voto ejusdem non ſatisfeciſſet, quotiescunque tamen unum alterumve diutius continuavit, illud poſtmodum fruſtra omnino ſumſit, & ut de alio ſolicita fuerit, opus habuit, unde poſt plurium aliorum conſilia, tandem meo quoque uſa fuit; jamque hoſtem hunc ſe deviciſſe credidit, cum poſt uſum Elix. Aper. Clauderi â me commendati per aliquot menſes alvus, uti quidem debebat officio ſuo reſpondiſſet; at cum poſt hæc & quidem in Itinere denuo concepiſſet, quam diligenter quoque Elxir hoc ſumſerit, vix tamen alvum aperire eodem ulterius potuit, unde nihilominus per litteras nunc, ut aliud conſilium ſuggererem, petiit, ubi quidem Paſſul. min. Lax. commendavi, quas quippe in ſimili caſu quibusdam egregie profuiſſe memini, ſi vero & hæ non ſufficerent, aut idem cum aliis hactenus adhibitis medicamentis ſubirent fatum, Clyſteres aliis remediis anteferendos eſſe, judicavi; non poteſt ſiquidem non viribus tum matris, tum fœtus inſidiari ſemper continuatus laxantium uſus, ſi præſertim interdum opus fuerit, ut & purgantia quædam admiſceantur, ubi contra Clyſteres mitiores vix noxam inferent.

CVII.

Animi deliquium in puerpera.

Matrona quædam propinqua mihi cognatione conjuncta cum filiolam edidiſſet, quæ vix tribus elapſis hebdomadis abſceſſu inſigni in natibus laboravit, & hujus apertioni propius adſtitiſſet, ſeu miſerta filiolæ, ſeu abhorrens ab ejuscemodi operationibus ſubito tam male ſe habere cœpit, ut fe-

re in terram prolapſa fuiſſet, niſi filia natu major hoc obſervans eam monuiſſet, ut in lectum ſe conferat; quod cum difficulter præſtitiſſet, per aliquod temporis ſpatium vires vix denuo colligere potuit, & tum viſu tum auditu ſe aliquamdiu caruiſſe, teſtata fuit; quin me propterea vocavit, cum vero me accedente vires jam collegiſſet, ceteraque Dei gratia ſat bene ſe haberet, medicamento non eſſe opus judicavi, nec quoque niſi quod laſſitudo quædam ſucceſſerit, aliud inde malum ſubſecutum fuit: Uti vero puerperæ præ aliis animi deliquiis ſunt obnoxiæ, ita quæ in iis cauſandis vel minimum conferre poſſunt, ſedulo vitent, cum interdum & graviora mala poſt ſe trahere ſoleant.

CVIII.

Convulſiones ſubito invadentes.

NUdius tertius vocatus fui ad mercatoris cujusdam filiolam ſemeſtrem cetera bono corporis habitu præditam, & hinc pro ſana habitam, licet ſæpius integras noctes ejulando conſumſerit, raroque niſi geſtata quieverit, non tam quidem hujus mali ergo, quod quippe pro malo medicinam requirente non agnoverunt, quam quia, cum mater eandem è lecto ſuſtuliſſet, cum paulo ante riſiſſet, ſubito convulſionibus tam vehementibus correpta fuit, ut iisdem ſenſuum primariorum inprimis organis inſidiantibus eandem fere pro mortua habuerit, unde & ut quamprimum fieri poſſet, accurrerem, per ancillam eo magis urſerunt; nec defui ego petito, ſed illico acceſſi, at puellam jam in paululum meliori ſtatu reperi, ad ſe ſiquidem ſic redierat, ut nunc continuis clamoribus revera convulſivi quid alentibus vitæ quidem præſentis ſufficientia ediderit ſigna, at parentes fere æque ac ante convulſivis aliis motibus perterruerit, præſcipſi ego Liq. C. C. Succin. & Mixturam ex Aq. Epil. Puer. & Specif. Cephal. conſtantem, ut nempe hæc tum vehiculi loco eſſet, tum ſæpius etiam præter hunc uſum exhiberetur, quoniamq; medicina me adhuc præſente afferebatur, ipſemet liquoris guttas tres dicto modo eidem quaſi infundo, quas & deglutiit, clamare tamen ante bihorium elapſum, non deſiit, quo elapſo iterum convulſiones at non tam vehementes eandem torſerunt, quæ continuatis his medicamentis poſtmodum Dei gratia omnino ceſſarunt; ut vero eo certius & in poſterum ab iisdem immunis maneret, hæc ipſa medicamenta aliquamdiu adhuc continuare juſſi: Non prorſus nihili vero eſſe habendos ejulatus infantum tam continuo inſtantes ex dictis facile colliges, ſine dubio enim in hac puella humores acriores qui prius alibi dolores concitaverant, nunc convulſivorum motuum auctores extitere, utut & dentitionem inſtantem non prorſus nil contuliſſe, vix dubitem.

CIX.

CIX.

Aurium ulcera in pueris.

TInctor quidam honeſtus filiorum ſuorum amantiſſimus, hinc etiam eo majorem ſanitatis illorum curam geſſit, & cum in uno illorum mater pus in non exigua quantitate ex aure dextra profluens notaſſet, me ſtatim propterea conſuluit; ſicuti vero vel puris copia de materiæ peccantis abundantia abunde teſtata fuit, ita ut hæc quantum fieri poteſt, imminueretur, bis terve purgans præmiſi, & hinc Ol. Amygd. amarar. expreſſ. cui Balſ. Peruvian. immiſceri curaveram, mediante bombace parti affectæ applicare juſſi, quod remedium Dei gratia tantum profuit, ut haud ita diu poſt puerulus integre convaluerit: Haud ita difficulter nempe hæc ulcera, in pueris præcipue, quibus etiam ſunt communia, curantur, nec fruſtra parentes qui illorum ergo ſibi metuunt, ſolatio eriguntur, cum ego quidem eadem vel neglecta nullum unquam damnum intuliſſe meminerim.

CX.

Dolor ad os Sacrum.

VIr quidam quinquagenarius, olim doloribus nephriticis valde tortus eo magis perterritus fuit, cum nuper poſt vehementiores animi motus iidem fere dolores reditum minarentur, noſcens quippe quam difficulter primo ab iisdem liberatus fuerit; hincque brevi poſt me in conſilium vocavit, cum vero in partem dolentem inquirenti non tam lumbos quam regionem oſſis ſacri digito quaſi monſtraſſet, ventriculus non ita male ſe haberet, nec qua urinam ulla difficultas notaretur, pro nephriticis eos nunc non agnovi; ſed quia quoque de reliquarum partium laſſitudine minus conſueta conquerebatur, â ſanguine craſſiore & hinc inde in corpore imprimis autem circa dictam partem in motu ſuo impedito hos dolores derivandos eſſe, judicavi, hincque præmiſſo Clyſtere, poſtquam nullum levamen notavit, pulveres ſanguinem ſuæ nativæ conſtitutioni, & ſic ſimul motui conſueto reſtituentes præſcripſi, poſt quorum uſum laſſitudo quidem remiſit, at inſtitit ſemper dolor circa os ſacrum, unde jam partem affectam Spir. Rorismarini probe perfricare juſſi, quod Dei gratia tantum ſibi profuiſſe poſtmodum retulit, ut dolores inde penitus diſcuſſi fuerint, at hic ipſe ſpiritus forte fortuna ad partes genitales diſperſus in iisdem pruritum atque ardorem quendam excitavit; cetera vero quam bene ſubinde internis medicamentis externa quoque jungantur, hæc obſervatio confirmat.

CXI.

Oris ſui Dominus.

VIr quidam peregrinus, jam diu inflatione abdominis laborans, & hinc à tympanitide ſibi metuens, vitæ vero amantiſſimus ut eo certius hoc malum averteret, imprimis diætam quoque ſtrictam admodum ſervavit, & vix tantum comedit, quantum corpori alendo requiritur, quod cum non ſolum laudarem, ſed & admirarer, cum pauci ſint, qui ſic ad diætæ regulas vivunt, is quidem reſpondit, ego ſum Dominus oris mei, nec ei unquam tam quod deſiderat & appetit, quam quod reliquo etiam corpori prodeſt, ſuggero; hac in ſententia ſicut ipſum confirmavi, ita omnino optandum eſſet, ut plures tales oris ſui Domini reperirentur, non ſolum enim ſic multi morbi feliciter averterentur, ſed & iidem jam præſentes longe facilius curarentur, quantum enim faſtidii genuinis medicis vel ſolum os, cui habenæ laxantur, faceſſat, non niſi parum expertum latere poteſt.

CXII.

Calculus Saccharum Candi præſentans.

VIr quidam multis in Rempublicam meritis inſignis, plethoricorum, modo his locus adhuc aliquis concedatur, uti quidem optimo jure concedi poſſe videtur, claſſi merito inſerendus, hactenus quidem Venæſectione bis in anno inſtituta tam bene ſibi Dei gratia conſuluit, ut â gravioribus morbis immunis omnino vixerit, niſi enim, quod furunculi aliquoties in pedibus ſuborti fuerunt, & interdum difficilius reſpiravit, nunquam habuit, de quo conqueſtus fuiſſet; nec vero hæc ipſa mala tanti fecit, ut ipſi vel minimum injeciſſent metum; at cum nuper ſæpius ad urinam excernendam ſtimularetur, & hujus ergo â ſomno alias ſat profundo excitaretur, quin & teneſmum notaret, horum malorum cauſam in viribus deficientibus quærens, ætate nondum adeo provectus non parum triſtabatur, & hinc me quoque conſulebat, ubi ego quidem cauſam non tam in virium defectu, quam ſero acriore quærendam eſſe judicavi, & hinc ad hoc corrigendum oculos cancri præſertim commendavi, quibus aliquoties in uſum ductis calculum excrevit, quam dicta mala excitaſſe ſicut ipſemet minime dubitavit, ita & mihi monſtravit, ubi cum propius & ad lumen eum inſpexiſſem, Saccharum Candi rubrum ſic æquavit, ut vix ovo ovum ſimilius exiſtere poſſit, tum colore nempe, tum pelluciditate, tum & duritie, nec tam pro calculo, quam tali Saccharo dictorum ignarus eundem habuiſſet; ſicuti vero propterea præſertim me vocavit, ut, quomodo in poſterum novorum talium hoſtium proventus impediri poſſet, indicarem, ita Rob Juniperinum, â baccis nauſeam quandam alenti com-

mendavi, ex quo fructu nempe petita remedia in hujus mali principio imprimis raro fruſtra adhibentur.

CXIII.

Cardialgia graviorum malorum metum injiciens.

SAcerdos quidam jam diu inter hypochondriacos locum inveniens, cum nuper aliquoties concionatus fuiſſet, & iræ quoque indulſiſſet, Cardialgia inde correptus nullus dubitavit, aut abſceſſum circa has partes colligi, aut quandam excreſcentiam, quæ denuo tolli non poſſit, ſubeſſe, hincque me propterea ipſemet adiit, & ut conſilium ſuggeram, ſolicite petiit; ubi cum in quævis ſedulo indagaſſem, non tam dicta mala dolorem in præcordiis, de quo nunc gravante nunc urente queratur, quam humores acres bilioſos ad os ventriculi ſiniſtrum delatos concitare, judicavi, ipſumque cetera Dei gratia ſic ſat bene valentem bono animo eſſe juſſi, cum hæc mala inter inſanabilia minime ſint numeranda, ſed medicamentis convenientibus non ita difficulter cedant, qualia propterea eidem præſcripſi, martiata nempe, & ea ad petitum ejusdem in Pilulari forma, quibus quippe in corrigendis ejuſcemodi humoribus alia palmam non ita facile præripient.

CXIV.

Embryo ſesquimeſtris.

MAtrona quædam honeſta aliquot jam liberorum mater, cum poſt ultimum puerperium per quinque fere menſes menſibus nunquam laboraſſet, inde, utut quædam conceptionis ſigna in ſe notarit, de eadem tamen magis ac aliâs dubia fuit, & hinc eventum anxia expectavit; accidit vero, dum filiolus, cujus nuperrime hiſtoriam dedi, convulſionibus tam ſubito correptus fuit, quod hoc tantum eandem perterruit, ut brevi poſt nullo omnino præcedente quidem dolore, at comite inſigni ſanguinis profuſione maſſam ex utero rejecerit, in qua quid latitaret, ut certior fieret, me vocavit, propius ergo inſpicienti ſtatim oculis obverſa fuit veſicula tenuis pellucida, aqua clara repleta, ovum gallinaceum magnitudine fere æquans, & in maſſam carneam appendentem dimidia ſui parte ſe recondens, â qua dum veſiculam ſic ſat caute ſeparare tento, hæc in medio rumpitur, & aquæ dimidia fere pars profunditur; jamque magis in oculos incurrit embryo funiculo ſuo umbilicali â dicta maſſa, quæ exinde ſecundinæ nomen ſibi vindicavit, & magnitudine pugnum virilem fere ſuperavit, pendens, quem haud ita difficulter reſciſſo funiculo in lucem protraxi, cui totus expoſitus licet longitudine vix dimidium digitum minimum æquarit, tam perfecte tamen omnes jam partes dignoſci â ſe invicem poterant, ut adſtantes, quibus monſtrabam, ſat demirari non potuerint,

rint, & oculi enim & nares, & os, & aures, & præter has capitis partes artus quoque, horumque digiti, quin, quod, ſi ſupervixiſſet, olim in virum fuiſſet evaſurus, vel nudis oculis patebat, utut tum ex Matris computo tum ipſa ejusdem parvitate ſic ſat conſtiterit, illum ætate ſesquimeſtri multo majorem non eſſe: Sicuti vero ex dictis quædam confirmantur, quæ fœtus in utero hiſtoriam ſpectant, magnitudo nempe ſecundinæ notatu digna, quæ quippe ipſum fœtum una cum veſicula in cujus fundo latitavit, ter magnitudine ſuperavit, claritas item & copia aquarum, quas vel hæ qualitates excrementorum numero eximunt, quin & longe majus ipſo Embryone ſpatium occupantes idem teſtantur, & quæ forſan ſunt plura alia, ita quam ſolicitæ eſſe debeant mulierculæ, prægnantes præſertim, ut animi affectus nimios avertant, eadem hæc obſervatio docet.

CXV.

Cryſtallus vertiginoſum juvans.

VErtiginis apud quandam Illuſtrem Matronam dum hoc ipſo die mentio fiebat, ea retulit, ſe noſſe virum quendam, qui hoc malo tam graviter laborarit, ut vix incedere ulterius ſolus potuerit, quod, quoniam ipſum in munere ſuo perficiendo non parum impedierit, ſe commoverit, ut de remedio conveniente cogitarit, commode autem in mentem ſibi veniſſe lapidem, quem appenſum pro vertiginis antidoto certa haberi, jam ſæpius audiverit, & hunc ſe huic viro mutuo dediſſe, qui eum cum reddiderit, ſancte teſtatus fuerit ab illo tempore, quo eum de collo geſtarit, ſe à vertigine plane immunem vixiſſe; lapidem poſtmodum eadem monſtrante, eum Cryſtallum inveni, quam in hoc malo commendari jam puer audiveram, ſat tutum ſane remedium, quod niſi juverit, nullum tamen unquam damnum inferet.

CXVI.

Guttam roſaceam curatam ſequentia mala.

MErcatoris cujusdam Uxor juvencula, & formæ adhuc ſtudioſa, ſcorbutici tamen quid in maſſa ſanguinea alens, cum primo quidem hæc labes ori præſertim & linguæ inſidiata fuiſſet, utut medicamenta eidem oppoſuerit, non tamen tam ſolicita de eadem fuit, ut ea, quæ requiritur, diligentia eadem continuaſſet, unde paulatim & in ipſam faciem ſe diffudit, ibique puſtulas illas, quæ ſub guttæ roſaceæ nomine veniunt, in tanta copia excitavit, ipſamque elegantiſſimæ prius formæ ſic deformavit, ut mirum quantum â ſe ipſa diſtulerit, quo magis autem ei forma ſemper curæ cordique fuit, eo magis etiam in remedia huic malo opponenda inquiſivit, & hinc eorum etiam quam plurima in uſum duxit, at omnia omnino eadem, id eſt, minus fa-

vente fortuna, dum tum poſt interna tum externa remedia ſedulo & ſæpe ſat diu in uſum ducta malum non tam mitigatum quam indies auctum fuit; licet vero poſt quædam externa medicamenta tam male ſe habuerit, ut aliquoties ſerio ſecum conſtituerit, ſe in poſterum nemini fiſuram, ſemper tamen amor & ſtudium formæ hanc quoque intentionem vicit, & quamprimum novum quoddam remedium commendabatur, illud quoque tentare auſa fuit, & hinc cum haud ita pridem opifex quidam acceſſiſſet, qui hoc malo ſe olim itidem laboraſſe aſſeruit, & perfecte ſe reſtitutum fuiſſe, ipſa facie ab omni prorſus labe immuni probavit, huic ſtatim aures præbuit, licetque curam difficillimam fore, prædixerit, patienter tamen ſe quævis laturam, modo ab hoc malo liberetur, animum obfirmavit; liquorem itaque acerrimum & tantos dolores inferentem, ut aliquoties pene inſaniam induxiſſet, per aliquot hebdomadas parti effectæ illevit, tandemque ſcopum ſuum quidem obtinuit, quod nempe puſtulæ illæ tantum non omnes omnino conſumtæ fuere, & cutis ſic quaſi conſolidabatur, ut jam absque dolore hunc ipſum liquorem illinere potuerit; at quo magis ceſſit hoc malum, eo magis conſtare incepit, particulas ſanguinis acriores, quæ olim hic ſeparatæ fuere, eidem nunc denuo confundi, dum non ſolum menſium fluxum aliâs ordinarium inhibuerunt, (quod & alteri cuidam, quæ eodem tempore, eadem de cauſa eandem curam adhibuerat, contigiſſe, illa retulit,) ſed & calorem quendam accenderunt, tam urentem & moleſtum, ut præ eo ſomnum capere vix potuerit, hincque me denuo vocare opus habuerit; ubi, cum acceſſiſſem, ipſemet quidem miratus fui, faciem tantum non penitus priſtino nitori reſtitutam, at ne mala adhuc graviora ſubſequantur, omnino curandum, ſimul judicavi, & hinc medicamenta huc ſpectantia præſcripſi, quæ qua fortuna in uſum duxerit, forſan olim indicabitur: Interea certum eſt, quod ſi medicus talia ſuaderet, tam ſedulo ejusdem mandata nemo exequeretur, unde vix mirum eſt, quod nonnunquam empirici præſtant, quod medici vix poſſunt, qui nempe, mala quæ inde ſuboriri poſſunt, noſcentes, talia medicamenta ſuadere non audent, nec ſane niſi rariſſime ab iisdem ſuaſa adhiberentur.

CXVII.

Vomitus à potu mutato.

PRæceptoris cujusdam ſolertiſſimi filiolus, unicus, nondum trimeſtris, utut poſt partum ſtatim minus bene ſe habuerit, brevi tamen convaluit, & hinc parentum ſpem per quasdam hebdomadas ſic ſatis erexit, tam diu nempe, quamdiu mammas mater eidem præbuit, at cum neſcio qua de cauſa has ipſi ſubtraxiſſet, & lacti cereviſiam Sacchar. Cand. edulcoratam ſubſtituiſſet, ab illo tempore iterum pejus ſe habere cœpit, dum non ſolum magis inquietus extitit,

titit, ſed & vomitu quævis aſſumta inprimis autem hunc potum novum rejecit; unde ego conſultus fui, cumque prius interrogaſſem, quo potu filiolæ ablactatæ nunc ſat feliciter educatæ uſæ fuerint? & mater aquam nominaſſet, cur hanc ipſam filiolo non dediſſet? quærendo inſtiti, cauſamque illa adducente vires pueri, ut nempe his cereviſia pota eo melius conſuleretur, ſcopũ ſic non obtentum iri, judicavi, ſi enim vel maxime cereviſia eidem ſufficeret, quomodo tamen non retenta hoc præſtabit? at ipſam cereviſiam hos vomitus excitaſſe, cum non ſolum facile in ventriculo aceſcat, ſed & Saccharo magis corrumpatur quam corrigatur, nullus dubitans, hanc ipſam plane ſeponere & illi Aquam Carn. Cydon. ſicc. & ſem. Anis. alteratam ſubſtituere juſſi, ſimulque ventriculum roborans medicamentum præſcripſi, quod Dei gratia tam feliciter ceſſit, ut, cum aliquot diebus poſt mater Uxorem meam viſitaſſet, ipſa retulerit, filiolum ſuum Dei gratia jam optime valere, vomitusque mutato denuo potu illico ceſſaſſe: Vix vero qui liberos tenerioris inprimis conſtitutionis amat, in tam tenella ætate cereviſiam illis exhibebit, cum aquam coctam longe melius ferant, nec hæc multum nocere poſſit, licet merito lac maternum quibusvis aliis potibus præferatur.

CXVIII.

Hydrops Vini generoſi potui cedens.

HYdropis metum non ita exiguum in pectore alentem Italum quendam dum nuper viſitavi, & de potu quoque, urina, quam parciorem excernebat, nos ſolicitos eſſe juberet, cereviſia nempe, quam fuſcam nominant, quam hactenus biberat, utut ea & Baccis Juniperi alterata fuerit, ejusdem fluxum minimum juvante, Vinum ego diureticum, cui quippe â teneris aſſuetus fuerat, commendavi, niſique hoc ſiti levandæ ſufficeret, aut aqua diluere, aut & Decoctum conveniens juxta illud in uſum ducere juſſi, nec ipſi diſplicuit vinum; ſed potius narravit, ſe meminiſſe, quod cum Neapoli degerit, quod medicus ibi celeberrimus Leonardus de Capua aliquot hydropicos reſtituerit, quibus ut reliquo omni potu interdixerit, ita vinum illud, quod Lacrymas Chriſti ob excellentiam at minus bene nominant, in certa quodam quantitate laudarit: Et ſane vinum præſertim generoſum & diureticum hydropicos quosdam juvare poſſe, nullum eſt dubium, at non omnes, unde, niſi medicus expertus ſuaſerit, vix huic remedio tuto fidetur.

CXIX.

Spiritus Vini puero diu noxius.

JUvenis quidam ſtudioſus, cum quorundam malorum bili ortum debentium ergo me conſuluiſſet, adſtans quidam ejusdem amicus, ut medico, quæ-

cunque ipſi olim quoque contigere, innoteſcant, conſultum ducens, retulit, illi puero adhuc octo annorum â quibusdam pravis nec ita fidis Sociis Spiritum Vini in ea quantitate ſuggeſtum fuiſſe, quæ non ſolum ipſi aliquamdiu rationis uſum penitus everterit, verum & poſtmodum tam diu noxia extiterit, ut per quatuor integros annos hujus erroris quædam indicia ſuperfuerint, dum non ſolum per integrum hoc temporis ſpatium tuſſicula ſicca valde moleſta laborarit, verum & nutritionis opus ut olim non ſucceſſerit, unde tandem medicum propterea conſulere coactus, non niſi per integrum annum adhibitis & in uſum ductis variis priſtinæ ſanitati reſtitutus fuerit, ſic etjam illum abhorruiſſe ab hoc ſibi tam noxio potu, ut per pluſculos annos ejusdem nec guttam quidem deglutierit; utut vero nunc, cum mala, quibus laboraverit, ab ira producta fuerint, hæcce narrata nec indicantia nec contraindicantia ſuggeſſerint, ut tamen hic producantur, digna viſa fuêre; ut nempe pueri eo magis ſedulo â tali potu arceantur, qui tot poſt ſe noxas facile trahit, cumque alibi jam & juveni noxium eundem deſcripſerim, eo citius credes, puero longe tenuioris conſtitutionis non minus noxium extitiſſe.

CXX.

Numerum Pilularum imparem deſiderans.

DOloribus hæmorrhoidalium vaſorum obſtructioni & intumeſcentiæ ortum ſuum debentibus jam per aliquot dies tam graviter afficiebatur Matrona quædama pinguiſſima, ut per omne hoc tempus vix unquam ſomnum capere potuerit, indeque, cum alvus aperta eſſet, me commovit, ut Theriacæ cœleſt. grana quatuor in totidem Pilulis ſub noctem ſumenda præſcripſerim, ut nempe iisdem ſomnus quaſi revocaretur; has cum ê pharmacopolio peti curaſſet, & tot quidem quot ego præſcripſeram Pilulæ afferrentur, ea, præconcepta opinione, Pilul. non niſi in numero impari ſumi, falſa, formulam minus recte paratam fuiſſe ſic credidit, ut iterare illam juſſerit, tumque demum, cum denuo quatuor Pilulæ apportatæ fuiſſent, illas nec quidem absque metu ſumſerit; quem mihi ſequenti die redeunti ſtatim retulit, & ſerio interrogavit, an quatuor ſolum Pilulas præſcripſerim? quod cum adfirmaſſem, valde mirata fuit, quod â conſuetudine, quæ tam diu jam invaluit, recedam: at ſicuti ipſi demonſtravi, ſuperſtitionem eſſe, ſi in numero vel minimum quæratur auxilium, ita vel ideo, ut magis hominum menti eximatur hæc ſuperſtitio, ſæpius in pari quam impari numero pilulas præſcribere ſoleo.

CXXI.

Pruritus poſt balneum.

VIdua quædam fere quinquagenaria, cum ante annum & quod excurrit, crus ſiniſtrum fregiſſet, neſcio cujus ſuaſu, hoc anno, ut ſanatum hoc magis confortaret, balneo â quibusdam noſtratium non parum commendato, quod â ſitu ad murum nomen accepit, uſa fuit, & eo quidem, uti tota credidit ſcopum ſuum ſic obtinuit, ut fracti cruris vix ullum ſuperfuerit indicium, at pruritum quoque ex illo contraxit, indies magis moleſtum, cum præſertim nocte ſic augeretur, ut eam aliquoties inſomnem traxerit, unde cum hic remediis notioribus non cederet, me conſuluit, ubi quidem, ſi tempus admiſiſſet, ſtatim ſuaſiſſem, ut balneum iteret, cum diuturna jam experientia docuerit, balneis excitatum pruritum iisdem etiam tutiſſime ſanari, hincque raro â balneis dimittuntur aut & ſecedunt, qui pruritu in iisdem corripiuntur, antequam hic ipſe iterum ceſſavit; non parum tamen in eodem excitando conferre, ſi aqua calidior ac quidem requiritur, adhibeatur, aliquoties notavi, hincque balneo uſuros ſemper ne nimis calido eodem utantur, moneo; at tempore hoc ad balneum minus apto exiſtente Antimoniatum quoddam medicamentum ipſi commendavi, quod pruritum quidem aliquantum mitigavit, at non in totum ſuſtulit; & ſane ſæpiuſcule jam obſervavi, hoc malum quam leve quoque pareat, ſæpe ſat diu vix in totum abigi poſſe, nec remedia tum cito juvare ac quidem medicus ſperat, ægrotusque exoptat, qui tamen ſæpe ipſemet in cauſa eſt, dum diætam, qua forſan pruritum excitavit, ut mutet, vix ac ne vix quidem ſibi perſuaderi patitur.

CXXII.

Tonſillæ debito majores.

SCribæ cujusdam filiola, quinque, quantum memini annorum, cum jam diu difficulter reſpiraſſet, & aliquot medicamenta fruſtra omnino adhibuiſſet, cetera ſana Parentibus ſuſpicionem dedit, ne partium reſpirationi dicatarum conformatio minus bene habeat, indeque cum & ego conſenſiſſem, cum tale vitium vix corrigi poſſit, non tam multis remediis vexare filiolam, quam patienter ferre hoc malum ſecum conſtituerunt; donec tandem & loquelæ defectum quendam obſervarunt, qui illos adegit, ut Chirurgum rogaverint, ut fauces inſpiciat, & ſi quid peregrini forſan in iisdem deprehendat, indicet, cui petito ſatisfaciens tonſillas debito majores invenit, quoniam vero ſimul monuit, ne malum hoc negligerent, cum corrumpi facile poſſint, & hinc graviora ſubſequi mala, matrem commovit, ut illico poſt eum recedentem me adierit, filiolamque, quam ſecum ducebat, ut inſpicerem, ſedulo rogarit,

rit, ubi cum inſpexiſſem tonſillas, illas debito quidem majores inveni, at ſicuti minus dolentes, ita nec inflammatas, unde omnem â corruptione vel etiam alio malo metum ejusdem animo exemi; me noviſſe quendam (cujus hiſtoriam alibi dedi) tonſillas longe majores nactum, cui tamen haud ita multum moleſtiæ fecerint, in fidem rei adducens; ut tamen incrementum illarum quantum fieri poſſet, impediretur, præter gargariſmum convenientem ſuffumigium commendavi; ſunt nempe hæ partes in humidioris conſtitutionis pueris ſæpius debito majores, quæ tamen magnitudo niſi ſponte imminuatur, rariſſime noxia eſſe ſolet, unde & raro ad medicos defertur.

CXXIII.

Animi deliquium abortum ſubſequens.

MAtrona illa cujus Embryonem ante tempus editum nuper deſcripſi, in principio quidem vix habuit de quo conquerretur, unde & ſtatim quibusdam negotiis domeſticis denuo præfuit, nec niſi â me ſerio monita in lecto detineri potuiſſet; quantum tamen hoc opus habuerit, non ita diu poſt non absque terrore experta fuit, cum enim tertio die maſſam quandam membranaceam per uterum excreviſſet, juxtaque ſemper non ita parum ſanguinis per easdem vias profunderet, die fere poſt abortum ſeptimo, in animi deliquium incidit, â quo difficillime excitari denuo potuit; unde me eo impenſius rogarunt, ut quantocyus accederem, nec defui ego petito, & illico accedens ipſam tum debilem inveni, ut, ſicuti facies Hippocratica nominari meruit, ita difficillima juxta loquela peſſimorum quorumque metum mihi injecerit; quem tamen brevi exemit pulſus exploratus ſic ſat conſtans, nec vel minimum cum dictis indiciis reſpondens, ab utero itaque inprimis derivans hanc virium oppreſſionem, huic in ordinem redigendo dicata remedia præſcripſi, quæ cum in uſum duxiſſet, brevi Dei gratia ſic ad ſe rediit, ut jam periculum abeſſe, vel ipſi adſtantes notaverint: Non parvi nempe habendos eſſe abortus, & plerumque plus negotii mulierculis faceſſere, quam vel difficiles partus, adeo verum eſt, ut in proverbium quaſi abierit, ubi quidem ſi ſub deliquiis ſequentibus pulſus non mutetur, periculum non ſemper ſubeſſe, hæc obſervatio teſtis eſt.

CXXIV.

Ventriculi dolor vomitorio cedens.

ESſedarius cujusdam præcipui Viri, triginta quinque annorum, dum ſponſus aliquoties â ſponſa ſua convivio exceptus fuit, plusque cibi ac aliâs ingeſſit, & bis non ſine faſtidio quodam comedit, balneo quoque vix finito corpus aeri expoſuit, inde tam male ſe habere cœpit, ut & lectum tenere opus

habuerit,

habuerit, quod tamen per biduum nemini detexit, donec tandem per ancillas ad Illuſtrem Heram ejusdem delatum fuit, quæ ut poſt ſumtam Tinct. Bezoarticam ſudori vacet, juſſit, nec pejus poſt hunc ſudorem ſe habuit, non tamen tam bene, quin identidem adhuc de Cordis præſertim dolore conqueſtus fuiſſet; Ventriculo tamen hunc ſat apte tribuens laudata hera ſuccum Cyd. eidem exhibuit, poſt quem ſumtum per bihorium fere tantum levamen ſenſit, ut jam ſe convaluiſſe crediderit, ſed rediit malum, indeq; illa adhuc nocte, ut conſilium ſuggeram, ego rogatus fui; & de cordis præſertim anxietate certior factus Pot. Alexipharm. bis per noctem ſumendam ordinavi, quæ vero nec minimum quidem profuit, unde ſequenti mane, ut eum viſitarem, deſiderarunt, non fruſtra, nam cum omnia diligenter exploraſſem, in Ventriculo latitantem ſaburram pravorum & crudorum humorum, doloris & anxietatis, de quibus querebatur, cauſam eſſe, ſufficienter patuit, unde Emetico ipſum opus habere judicavi, quod exhibitum, cum multum admodum materiæ peccantis exturbaſſet, veſpera ſequenti ſic omnia mala Dei gratia ceſſarunt, ut ſequenti die nuptias celebrare potuerit: Modo nempe in tempore adhuc ſtabulans talis in primis viis materia evacuetur, ſat gravia ſubinde mala averti poſſunt.

CXXV.

Fœtus mortui quædam indicia.

Fœmina quædam honeſta, cum gravida aliquoties perterrefacta fuiſſet, motum fœtus conſueto validiorem ab illo tempore percepit, & hinc magis quoque ac aliâs ſibi metuit, nec prorſus fruſtra, cum enim tres adhuc hebdomadæ ad tempus partus reſtarent, nauſea correpta, paulo poſt, quicquid in ventriculo continuerat, evomuit, vehementer etiam denuo territa fuit, dum ferme in terram lapſa fuiſſet, & brevi poſt dolores ſenſit non quidem partus, tam moleſtos tamen, ut obſtetricem propterea vocari curaverit, quæ accedens cum aliquamdiu adſtitiſſet, fœtusque nullum plane motum notaſſet, de hujus vita dubitare & hinc ſolicita eſſe cœpit, ut medicus in conſilium vocetur; ubi cum primo acceſſiſſem, pulſumque plane naturalem inveniſſem, ſpem quandam vivere adhuc fœtum, concepi, & hinc Potiunculam tum doloribus illis, qui partum minime promovebant, ſopiendis, tum ipſi partui promovendo dicatam ex Specif. Ceph. D. M. & ⊖. ſuccin. Vol. præcipue conſtantem præſcripſi, qua ſumta dolores quidem aliquantum remiſerunt, at non tam partus quam ſanguinis ex utero profluvium ſubſequebatur, unde vires ſemper magis magisque opprimebantur, frigoreque quodam antecedente tam male ſe habebat, ut mortem jam inſtare adſtantes crediderint, hincque poſt mediam noctem me vocaverint, ubi ſane

cum facies plane mutata, pallida & emaciata compararet, pulſus etiam vix digitos feriret, & obſtetrix, nec minimum quidem partus inſtantis indicium adeſſe, indicaret, ipſemet peſſima quæque metuere cœpi, & hinc eandem S. Viatico munire juſſi; præſcripſi tamen medicamenta non tam pellentia, ne ſanguis magis moveretur, quam putredini reſiſtentia, poſt quorum uſum vires quodammodo collegit, nec ſanguis ulterius ex utero profluxit, at abſentibus adhuc partus ſignis ſpes parva erat, quæ inde concipi poterat; continuare tamen hæc ipſa medicamenta juſſi, quibus Deus clementer ſic benedixit, ut poſt aliquot horas, cum jamjam Clyſterem applicare vellent, dolores partus acceſſerint, quibus mediantibus fœtum utut mortuum non ita difficulter tamen in lucem edidit: ſine dubio vero hæc virium oppreſſio fœtui mortuo arctius adhuc utero incluſo originem ſuam debuit, cum partu inſtante, vires ſemper magisque collegerit, licetque fœtus hic mortuus inconſuetam gravitatem in corpore non produxerit, nec movente ſe parturiente in latus una quaſi prolapſus fuerit, frigus tamen & virium defectus ſufficiens mortis ejusdem ſuggeſſere indicium; quam cautos autem nos in pellendo fœtu gerere debeamus, hæc ipſa obſervatio docet.

CXXVI.

Fluxus chyloſus in puerpera.

FOEmina quædam Illuſtris, cum feliciter fœtum edidiſſet, nec poſt partum vel minimum mali perciperet, inde fere muneris, decentem ſui gerendi curam oblita & diutius quam par eſt extra lectum ſe tenuit, & plus etiam cibi ac quidem puerperis conducit, ingeſſit, unde primo febriculam quandam notavit; quæ tamen ſudore moto non ita difficulter diſcuſſa fuit, indeque jam quævis ſe remiſiſſe mala credens, quem inchoaverat vivendi modum continuavit, at non impune, nam die fere duodecimo poſt partum fluxu alvi chyloſo laborare cœpit, qui appetitum quoque penitus proſtravit, cumque præſertim aliquamdiu negligeretur, vires etiam tantum aggreſſus fuit, ut fere animi deliquia ſuperveniſſent; nocte itaque ingruente me vocavit, pulſusque ſat debilis, quantum opus habeat, ut hic fluxus quantocyus inhibeatur, mihi ſufficieuter denunciavit; præſcripſi ergo Eſſent. Catechu ter per noctem illam ſumendam, quæ & fluxum ſic inhibuit, ut non niſi ſemel ea nocte alvum apertam habuerit, reſtitantibus vero tum nauſea tum torminibus identidem moleſtis, cum vires nunc permitterent, ut materia peccans, quam quodammodo abundare, nullum erat dubium, evacuaretur, Rhabarbarum toſtum eidem exhibui, quod ter adhuc alvum movit, primoque quidem tantum levamen attulit, ut mirum quantum illud laudibus extulerit, at ſub veſperam vires iterum magis quam antea deficere cœperunt; unde ad Eſſentiæ

dictæ

dictæ uſum rediit, eaque per biduum continuata non ſolum alvi fluxus chyloſus ceſſavit, ſed & appetitus Dei gratia ſic rediit, ut ne nimium eidem indulgeat, monenda fuerit; qua in re ſicuti ſæpius peccare puerperas, jam aliquoties monui, ita niſi malis inde ſubortis in principio ſtatim occurrunt, non raro vitæ periculum hinc incurrunt.

CXXVII.

Ulcus fiſtuloſum â Scabie.

SCabie laboraverat ſtudioſus quidam Medicinæ tam pertinaci, ut ei per bene longum temporis ſpatium fruſtra omnino varia medicamenta oppoſuerit, licetque paulatim tandem exſiccata fuerit, ulcus tamen in pede reſtitit; quod ipſi nunc plus negotii ac olim ipſa Scabies fecit, dum nullo medicamento ſanari potuit; & ſub muſculis cuniculos agens, adque ipſa oſſa penetrans jamjam in fiſtulam degeneravit; quod ipſi rerum medicarum jam perito non parvum injecit metum, noſcens nempe, quam difficulter ejuscemodi fiſtulæ curentur, & quantos inferat dolores, quando oſſa, quæ cariem contraxerunt, ſtatui ſuo priſtino ſunt reſtituenda, hincque eo magis de remedio ſufficienti ſolicitus fuit, ſeu vero alii communicaverint, ſeu ipſe invenerit, ſpumam, quæ, quando acidulæ coquuntur, notatur, collegit, exſiccavit, & pulverem inde paravit; quem cum aliquamdiu ulceri huic inſperſiſſet, inde Dei gratia perſanatum fuit: Sicuti ſcilicet quævis acidulæ Vitriolici quid continent, ita ſine dubio hic pulvis ex talibus particulis præcipue conſtans non potuit non præſtare, quod aliâs â Vitriolo in ejuscemodi malis fruſtra non expectatur.

CXXVIII.

Citrium pomum puerperæ noxium.

MUlier quædam, cum nuper feliciter quidem Dei gratia peperiſſet, tertio autem aut quarto â partu die pomum Citrium ab ancilla ſuggeſtum comediſſet, ab illo tempore, licet interea jam integrum ſemeſtre præterierit, nec mammas fœtui, mortuo quippe, præbuerit, nec guttam quidem ſanguinis per uterum depoſuit, & hinc indies pejus ſe habere cœpit, dum non ſolum caloribus illis, quos volaticos nominant, ſæpius vexata fuit, verum & animi deliquia aliquoties imminuêre, quibus paulatim melancholia acceſſit, quæ ipſam adegit, ut primo quidem varia â mulierculis ſuaſa remedia adhibuerit, & iisdem nil prorſus juvantibus meum quoque conſilium per ancillam rogaverit, ubi cum dicta retuliſſet, nec urina quicquam indicaret, quod & in aliis partibus vitium quoddam ſubeſſe, me certiorem reddidiſſet, ab obſtructis intempeſtive arteriis venisque uterinis quævis dicta mala deri-

vanda eſſe judicavi, & hinc, quæ in iisdem referandis fruſtra non laudantur, medicamenta commendavi, non ſubticens tamen, quod hæc mala non niſi difficulter, & diu continuatis medicamentis curentur; omnino ergo opus eſt, ut in cibis, qui puerperis exhibentur, ſelectus quidam habeatur, imprimisque quævis accida exulent, quæ quippe præ aliis ſanguinis neceſſariam excretionem impediendo, varia poſtmodum, eaque ſubinde graviſſima mala inducunt.

CXXIX.

Purgans feliciter non ſumtum.

MAtrona quædam prope ſeptuagenaria, obeſa valde, cum minus bene ſe habuiſſet, medicum quendam, quem forte fortuna hoſpitio exceperat, propterea conſuluit, qui purgante opus eſſe judicans, ipſemet quoddam ſuggeſſit, quod miris deprædicavit laudibus, cui vero Matrona, quia hactenus nunquam illius conſilio uſa fuerat, minus fidit, & hinc illud ſepoſuit; quoniam vero tum temporis accidit, quod ancilla ejusdem robuſta & juvenis de Ventriculi dolore gravativo queſta fuit, ipſeque medicus, eam purgante opus habere, judicaverat, ipſo licet non conſulto, ſibi ipſi deſtinatum medicamentum ancillæ exhibuit, ubi tam vehementem exſeruit operationem, ut non ſolum ſedes vix numerari potuerint, verum & vomitus plures ſubſequentes viribus eam ſic privaverint, ut medicamentis opus habuerit, quin vel integro tum biennio elapſo cum ventriculo in gratiam nondum redierit, quod cum Matrona medico exprobraſſet, is alio modo ſe non excuſavit, quam, quod, ſi ipſamet ſumſiſſet, adſtiturus fuiſſet; at ſicuti ipſa reſpondit, quod nil opis ſibi hoc contuliſſet, ita ut ipſi fidiſſet, ab illo tempore perſuaderi minime potuit; Cauti nempe ſint medici in exhibendis medicamentis purgantibus, ſemperque minus peccabunt illi, qui medicamentum lenius exhibendo, illo non operante, ut aliud præſcribant, coguntur, quam qui, dum fortius exhibuere, ut hujus operationem inhibeant, opus habent.

CXXX.

Febris â cydoniis gelatis comeſtis.

JUvenis quidam Mercator ê Ducatu Würtenbergico oriundus cum amici ipſi Cydonia dono miſiſſent eo tempore, quo frigus vel maxime urit, hincque ea gelata ipſi tradita fuiſſent, cum nihilominus ea & quidem cruda comediſſet, inde paulo poſt male ſe habuit, & non ſolum de frigore minus conſueto conqueſtus fuit, verum calorem hoc ſubſequentem notavit, unde caput etiam doluit, quin tandem vix extra lectum degere potuit; cum Rhabarbarum bis ei fruſtra exhibuiſſent, & eadem fortuna Eſſ. Abſinth. ſumſiſſet,

ſumſiſſet, me in conſilium vocarunt, ubi per integram quidē noctem ſe cum dictis malis conflictatum fuiſſe, & hinc eam pene totam vigilem traxiſſe, jam vero bene ſe habere retulit, nec quoque ullius morbi ſignum in eodem deprehendere poteram, niſi quod urina paulo tinctior ſuſpicionem febris intermittentis injecerit, unde cum alvus jam ſic apertior debito eſſet, non niſi pulverem præcipitantem ê lap. ♋ & Unic. foſſ. præcipue conſtantem eidem præſcripſi, quo ter ſumto & urina priorem colorem acquiſivit, & ipſe juvenis ſanus Dei gratia ad ſua negotia rediit: Gelati ſcilicet cibi ſicuti ſemper prudentioribus ſuſpecti merito fuêre, ita ſi præſertim in nimia quantitate ſimul ingerantur, non poſſunt non morbos producere, qui, prout corpus bene vel male eſt conſtitutum, vel magis vel minus inſidiantur.

CXXXI.

Dolor dentium remediis exaſperatus.

AUrifabri cujusdam Uxor, virgo adhuc menſium fluxu jam nimio jam debito parciori laborans, inde non ſolum colorem faciei vividum amiſerat, verum & ſubinde doloribus tum capitis tum dentium corripiebatur, præſentius vero remedium marte nullum experiebatur; licetque præſentiſſimum tamen fore Conjugium quidam vix dubitaverint, ſpe hac ſua plane deſtituti fuere, quibusvis his malis non ſolum inſtantibus verum & auctis, cum vix per menſem in conjugio vixiſſet, unde tum alium medicum conſuluit, qui præmiſſis aliis medicamentis Venæſectionem & quidem largiorem commendavit, at & hæc vix levamentum quoddam attulit, externum itaque medicamentum in dentium dolore tum præſertim moleſto deſideranti Alumen ſuaſit, coctum nempe cum aliis quibusdam ſimplicibus, & viribus ejusdem imprægnatum decoctum, ut loco Gargarismi adhiberetur, jubens, at tantum abeſt, ut hoc vel minimum profuiſſet, ut potius poſt illud in uſum ductum, aliquamdiu rationis uſu caruerit, nec ipſam matrem ulterius noverit, quæ, cum nuper idem remedium in ſimili caſu commendaſſem, hoc narravit: Non ſcilicet tam ſanguinem imminuendo, & externis medicamentis quam eundem corrigendo & priſtinæ ſuæ bonitati reſtituendo ejuscemodi mala rite curantur.

CXXXII.

Gutta Serena falſo prædicta.

VIderat Balneator quidam forte fortuna divitis cujusdam Viduæ filium tredecim & quod excurrit annorum, luſcioſum quidem quodammodo, nunquam tamen de ullo oculorum aut & viſus vitio conquerentem, lucri vero ſine dubio cupidus Empiricus, dum propius inſpicit puerum, multis verborum ambagibus matri perſuadere tentat, magnum ſubeſſe periculum, ne proxi-

me gutta ſerena ſuccedat, puerumque olim convulſionibus laborantem ab iisdem ſicuti decet, non fuiſſe liberatum, hincque reſtitantem fomitem medicamentis fortioribus eſſe expellendum, quod niſi fiat, non ſolum ipſum viſu privatum iri, verum & alia inſtare mala, ſe autem poſſidere Spiritum, quo ſedulo in uſum ducto illa certo præcaveri poſſint, quibus tam ſerio prolatis metum quidem quendam matri injecit, at non tantum ut ipſi ſtatim fidiſſet, ſed ut ſecum conſtituerit, ſe alios quoque hac de cauſa conſulturam, ubi quidem iterum Empiricum & quidem illo majorem adiit, qui vero nunc, forſan ſolum ut contradicat, uti quidem empirici tantum non omnes ſolent, ſic reſpondit, ut ſi verus medicus fuiſſet, magis apte reſpondere non potuiſſet, dum puerum medicamentis minime opus habere edixit; ſed quia & huic non fidit, me quoque tandem adiit, nec ego, cum oculos ſedulo inſpexiſſem, & in quasvis circumſtantias debito modo inquiſiviſſem, aliter judicare potui, matremque ſerio monui, ne in poſterum tam malæ fidei hominibus aures præbeat, qui vel parvi lucelli ergo vel ſanis quod ægrotent perſuadere non verentur, qui, ſi eorum conſilia ſequantur, tum demum morbos contrahunt, ſæpe non niſi difficulter admodum curandos.

CXXXIII.

Os Ceraſorum pro clavo pedis habitum.

MAtrona quædam honeſta, quæ, ut pedes eo citius calefierent, ſacculum oſſibus ceraſor. repletum & calefactum in lecto collocaverat, quo alicubi foramen nacto, ut quædam talia oſſa in lecto diſperſa fuerint, impediri non potuit, hincque forte fortuna evenit, ut illorum unum in ipſo digito minimo, ubi curvatur, tam aptum locum invenerit, ut eum, nec de lecto ſurgente Matrona nec veſtes induente mutarit, unde cum poſtea incederet, per totam diem dolorem minus conſuetum notavit, quem unice clavo, quem in ea parte alebat, adſcribebat, hincque ut hunc vel imminueret, aquæ pedem immergere volebat, at dum poſtea manuum digitis partem affectam exploravit, hoc os invenit, eoque remoto omnis dolor illico ceſſavit: Adeo quidem qua cauſas morborum ſæpius nos ipſos fallere poſſumus, nec unquam ſic fidendum eſt, ut certi quid ſtatuatur, antequam in quasvis circumſtantias inquiſitum fuit.

CXXXIV.

Dolores partum antecedentes ſpurii.

MUlier quædam pauperrimæ conditionis, adeoque omnibus ſubſidiis deſtituta, ut nec lectum quidem habuerit, quo ſe vel tegere, vel cui incumbere potuiſſet, nihilominus gravida, per primos quidem menſes ſic ſat bene

ne valuit, & tum laboribus perficiendis, tum ſtipi hinc inde colligendæ ſufficit; at ultimo appropinquante doloribus correpta fuit, quos pro iis, qui alias partum antecedere ſolent, habuit, & hinc obſtetricem vocavit, quæ tamen brevi deprehendit, non tam tales dolores quam tormina eſſe, quæ ipſam torqueant, ſuborta imprimis â frigore externo, contra quod nec veſtibus nec igne excitato ſe munire hactenus quantum quidem requiritur, potuerat; nec ſententia ſua illam falſam fuiſſe, poſtmodum exinde conſtitit, quia ſuggeſtis â quibusdam miſericordibus lectulis impoſita & tecta præſertim aliquanto melius ſe habuit, unde ſe alere tamen potuiſſet non habens, hincque per aliquot identidem dies cibo calido non fruita non ita diu poſt in priſtinos incidit dolores, qui per pluſculos dies continuantes ipſam commoverunt, ut meum propterea conſilium deſiderarit, nec ego defui petitis & illam acceſſi, ubi omnibus rite examinatis, non tam medicina, quam meliori corporis cura ipſam indigere judicavi, licetque medicamentum quoddam præſcripſerim, ſimul tamen ſtipem porrexi, & ut eam maritus ab aliis quoque colligeret, ſuaſi, ut vel maxime neceſſaria decumbenti ſuggeri poſſint, quibus deficientibus, medicamentis parum effici poſſit: Omnino vero laudem meretur obſtetrix, quæ dolores prægnantium â ſe invicem diſcernere novit, ſpuriis enim & ab aliis cauſis ſubortis pro veris habitis non poſſunt non errores vix denuo corrigendi committi.

CXXXV.

Urinæ fœtor nil mali denotans.

PLuſculi jam menſes præteriere, quod aliquamdiu adſtiti cuidam Ictero ſimul atque hydrope laboranti, cui propterea ea præſertim medicamenta commendavi, quæ diuretica nominantur, & ſerum abundans per vias Urinarias exturbant, quibus licet aliquoties ſcopum obtinuerim, nunquam tamen urina conſuetum ſuum odorem, (uti quidem plerumque aliâs fieri ſolet, niſique fiat, morbum difficiliorem prodit,) mutavit, indeque non parum perterritus fuit æger, cum aliquando urinam emiſiſſet, magnum exhalantem fœtorem, & num quid mali denunciet, ſerio me interrogavit, quo ipſo me movit, ut ſedulo indagaverim, quæ comederit, & an præter â me præſcripta alia quoque medicamenta in uſum duxerit? ubi cum miram quandam Gelatinam variis diureticis alteratam ab amicis, uti quidem ipſe referebat, commendatam nominaſſet, ſimulque formulam monſtraſſet, & ego in illa quædam inveniſſem, quæ talem urinæ fœtorem conciliare communiter creduntur, non habere quod propterea ſibi metuat, judicavi: nec ſane, cui ejuscemodi quid contingit, habet, quod ſibi metuat, cum potius ſignum ſit, medicinæ id quod exoptatur, præſtantis, quam graviora denotet mala.

CXXXVI.

Pulvis partum promovens.

PAupercula illa cujus heri demum mentionem feci, cum vix bis terve pulverem â me præſcriptum ſumſiſſet, doloribus partus veris correpta fuit, qui jam adeo eandem urſerunt, ut, quod ante ſeptem hebdomadas nullo prorſus labore obtinere potuit, tam facilis nunc ſubſecutus fuerit partus, ut nec obſtetricem quidem expectare potuerit; nec vero vel ſumma egeſtas, vel & dolores tam diu inſtantes fœtui vel minimum attulere detrimentum, qui ſanus & omnibus numeris perfectus & quidem virilis editus fuit, quæ ſicuti, ut finis hiſtoriæ modo citatæ imponatur, hic produco, ita pulverem etiam præſcriptum, qui ſequens eſt,

℞. Oc. ♋ pp. ℥ij.
Succin. alb. pp. ℈ij.
Cinnab. nat. pp. ℈j.
M. ad Scatul.

Sign. Pulver / deſſen zwey Meſſer-Spitz all ſechs Stund zunehmen.

ideo communico, quia, cum haud ita pridem ſimilem fere pulverem parturienti cuidam ſimul ſanguinis ex utero fluxu laboranti præſcripſiſſem, plus quam prius volatilia eum profuiſſe, itidem notavi, ut nempe innoteſcat, ubi per contraindicantia Volatilia exhibere non licet, ejuscemodi mitiora quoque non abs re recommendari, quin ſicut in aliis morbis, ita & in talibus caſibus identidem plus aliis volatilibus præſtare, quod & rationibus, ſi opus eſſet, non ita difficulter probari poſſet.

CXXXVII.

Convulſiones ab utero & poſt conceptionem inſtantes.

BUrſarii cujusdam Uxor pinguis & ſucci plena, cum per aliquot annos non concepiſſet, convulſionibus uterinis aliquoties tam enormibus correpta fuit, ut & vitæ periculum ſubeſſe, adſtantes metuerint, donec ſæpius absque tali periculo redeuntes ipſis hunc metum quidem excuſſerunt, at non ſimul & illum; quem de morbi curæ difficultate & diuturnitate conceperant, qui & non adeo injuſtus fuit, nam licet non ſolum aliquoties ſanguinem detrahi curaverit, quod quidem præſidium præ reliquis omnibus Chirurgus commendavit, ſed & medicamenta quædam antepileptica ſic ſat ſedulo continuaverit, iisdem tamen, ne malum redierit, impediri minime potuit, unde ſæpius ſpem convaleſcentiæ omnem deponens medicamentorum uſum plane

ſepoſuit,

ſepoſuit, nec niſi paroxyſmi novi vehementia commota ea denuo aliquamdiu continuavit; ſpem vero novam concepit, cum iterum præter ſpem concepiſſet, cum præſertim poſt conceptionem per integrum bimeſtre â convulſionibus immunis vixiſſet, at & hæc ſpes eam fefellit, licet enim iterum Venæ ſectionem etiam inſtituerit, vix tamen hoc tempore elapſo malum ſic rediit, ut eandem ſuffocaturum metuerint, unde jam ſpem in partu felici ponit, quam utut ratam optem, vix magis fundatam tamen priore habeo.

CXXXVIII.

Scorbutus ſuper mari degentium.

CUm nuper coram Viro quodam Illuſtri, qui diu admodum ſuper mari degit, & variis ſuper illo habitis conflictibus interfuit, mentio Scorbuti injiceretur,& is,quod comuniter jam innotuit,quod nempe hoc malum diu navigantibus præſertim ſit familiare,non ſolum aſſeruit,ſed addidit,inter præcipuas hujus mali cauſas referri defectum olerum atque pomorum, qualibus cibis nempe ſuper mari degentes ſubinde ſat diu careant, idque exinde inprimis conſtare, quia Scorbuto vel maxime infecti, ſi alicubi in terra exponantur, ibique poma,pyra,quin & Cucumeres in magna admodum quantitate ingerant, illico ab hoc malo ſic liberentur, ut ſæpe ſat diu poſtmodum ab eodem immunes vivant; qui vero hoc beneficio frui non poſſint, eos gingivas leviter ſcalpello incidere, Sanguinem exprimere, & hinc os aceto eluere, ſicque interdum optime ſibi conſulere; quæ quidem uti â viro fide digniſſimo relata minime in dubium ſunt vocanda, ita ego non tam defectum dictorum ciborum, quam uſum eorum qui iisdem ſubſtituuntur, ſalitorum nempe, fumo induratorum & ſimilium merito accuſari poſſe, reor, quod vero hi ipſi cibi poſtmodum juvant, â ſucco quo abundant, ſalibus peregrinis diluendis & quodammodo corrigendis aptiſſimo, derivandum eſſe, videtur.

CXXXIX.

Medicamenta interdum tardo vires ſuas exſerunt.

VIri cujusdam venerandi Uxor, cum haud ita pridem aliquoties Sanguinis non ita parvam quantitatem per uterum perdidiſſet, inde in dolores capitis dentium atque auris dextræ tam atroces incidit, ut aliquot noctes inſomnes & ejulando conſumſerit, hincque poſtmodum & me in conſilium vocaverit; ubi utut varia cephalica hosque dolores mitigantia medicamenta in uſum duxerit, quin & veſicas excitari poſt aures curaverit, nec minimum tamen iisdem præſtitum fuit, ſed dolores potius incrementum ſumſere, quam ullo modo ceſſarunt; adeo, ut tandem cum per aliquot dies eadem diligenter ſic fruſtra continuaſſet, eadem omnia ſepoſuerit, ſolumque unguentum

 quod-

quoddam, (cujus præcipuum ingrediens Ol. hyoſciami expreſſum erat,) adhibuerit, unde, ut ipſi quidem videbatur, ſponte quaſi ceſſerunt dolores; at ego quidem judicavi, tum demum medicamenta vires ſuas exſeruiſſe; ſæpius enim hoc ſic contingere, obſervavi; non enim ſemper ſtatim præſtare poſſunt, quod ab iisdem expectatur, dum interdum aut tardius in Ventriculo ſolvuntur, aut & non niſi elapſo quodam temporis ſpatio cum humoribus connubium tale ineunt, quod iisdem aut movendis aut corrigendis aptum exiſtit.

CXL.

Febris maxime erratica.

VIr quidam quadragenrio major, fuſco faciei colore, & gracili corporis habitu, conſtitutionem humorum ſuorum prodens, jam ante aliquot annos aliquoties doloribus nephriticis tam intenſis lahoravit, ut & in lecto ſe continere opus habuerit, licetque ſemper medicamenta brevi temporis ſpatio ſic imminuerint dolores, ut illorum vix ullum ſuperfuerit indicium, jam tum tamen de renibus læſis cogitavi, magisq; adhuc poſtmodum in ſententia mea confirmatus fui, cum ante tres fere annos is in febrem incidiſſet, intermittentibus quidem ſummo jure annumerandam cum interdum per aliquot hebdomadas remiſerit, juxta tamen & ſumè erraticæ nomen meritam, quoniam nunquam plane certas periodos obſervavit, aliquoties enim quartanam quidem mentita fuit, at vix pro tali habita poſt quintum vel ſextum rediit; aliquoties ſingulis hebdomadis at incertis diebus ægrotum proſtravit, aliquoties poſt binas elapſas hebdomadas, bis terve poſt tres, aliquando poſt integrum trimeſtre eidem denuo inſidiata fuit; hincque & eo difficilius curari potuit; nam licet aliquoties vomitoriis uſus fuerit, non ſemel ſolum Vinum medicatum biberit, pluſculas uncias tam laudati Corticis Peruviani (qui ſemper quidem paroxyſmos febris aliquantum inhibuit,) abſumſerit, bis Acidulis Egranis uſus fuerit, alia etiam quamplurima commendatiſſima febrifuga aliquoties per aliquot hebdomadas continuarit, nunquam tamen febris penitus curari potuit, ſemper vero imprimis per ultimum annum pus quoque cum urina excrevit, nunc quidem absque notatu digno illarum partium dolore, unde ego de abſceſſu aut renum aut potius juxta renes peculiari membranæ incluſo cogitavi, quo ſacco repleto & pure turgente febris ſubſequatur, depleto autem iterum & per renes evacuato febris tam diu denuo ceſſet, donec novum ſumſerit incrementum, quod quia jam citius jam tardius contingat, tam diverſo tempore paroyſmum producat; utut vero hac de cauſa balſamica quoque & travmatica diligenter partim febrifugis immixta, partim iisdem interpoſita fuerint, nec hiſce tamen plus quam aliis profecimus, unde tandem tædio

ſumo

ſummo remediorum capi cœpit, mihique ipſemet indicavit, ſe firmiter ſecum conſtituiſſe, quod in poſterum malum ſuum patienter ferre, quam & medicamentis fruſtra ſe torquere malit, cui ſententiæ an diu inhærere poſſit, tempus docebit; ſunt enim tam vehementia ſubinde ſymptomata, ut, quæ modo plane contemta fuere medicamenta, tum vehementiſſime deſiderentur: Ejuscemodi autem febres ſicut vix aliæ eſſe poſſunt, quam erraticæ, ita ſemper difficillime curantur, ſi præſertim eæ afficiantur partes, ad quas nec medicamentis, nec ferro facile penetrare poſſumus.

CXLI.

Cordis Palpitatio à terrore.

JUvenis quidam ſeptendecim & quod excurrit annorum, ante ſemeſtre fere aqua fervente perfuſus inde adeo territus fuit, ut ſtatim quandam Cordis palpitationem per ſenſerit, quam tamen in opificio addiſcendo occupatus in principio minus curavit, dum præſertim texendis veſtium ornamentis primo ut olim vacare potuit, at cum malum indies auctum fuiſſet, brevi eum quoque impedivit, ne perficere tantum ac olim potuerit, quin tandem quamprimum corpus ad laborem aggrediendum adaptavit, & inclinavit, Cor tantum palpitavit, ut iterum recedere opus habuerit; domum itaque ad Parentes rediit, eosque rogavit, ut conſilio adſint, qui hujus inopes meum propterea rogarunt, viſitavi hinc ego ægrotnm, & cum in omnia diligentius inquiſiviſſem, Sanguini craſſiori & ad coagulum prono dictam palpitationem originem ſuam debere nullus dubitans, ut hic priſtino ſuo ſtatui reſtituatur, omnem lapidem movendum eſſe, judicavi; Electuar. itaque ex Marte præſertim & aromaticis quibusdam conſtans eidem præſcripſi, quod utut diligenter ſumſerit, malum tamen inde nec minimum quidem mitigatum fuiſſe, mater ejusdem poſt octiduum retulit; judicavi vero tum, non ſufficere hoc tempus eradicando malo, jam radicato, & hinc electuarium continuare juſſi, ſimul tamen Tinct. Propriet. Mynſ. hujus uſui interponendam commendavi, nec fruſtra, cum enim aliquamdiu hæc medicamenta ſic continuata fuiſſent, Palpitatio moleſta Dei gratia remiſit, & Juvenis opificio ſuo præceſſe denuo potuit, quod poſtmodum Pater retulit: Non ſemper nempe in principio ſtatim juvant medicamenta, ſed continuata, quod ſicut alibi jam injunxi, ita hac obſervatione confirmatur.

CXLII.

Animi deliquium ab Aqua Cinnamomi.

MAtrona quædam Nobilis, puerpera, dum male ſe habet, neſcio qualem aquam ê pharmacopolio peti curat, in eo vero neſcio quo errore loco ejus

quam deſideraverat, Aqua Cinnamomi porrigitur, quam cum ſumſiſſet, ſtatim in animi deliquium tam grave incidit, ut ab eodem non niſi difficillime excitari potuerit, cumque ad ſe rediſſet, omne malum huic aquæ tribuit, â qua quippe ſemper ſic abhorruerit, ut, ſi vel cibum hoc aromate conditum forte fortuna deguſtarit, ſtatim male ſe habuerit: Nec deſunt plures, quibus Cinnamomum nauſeam movet, hincque non fruſtra ejuscemodi obſervationes vel ſæpius producuntur, dum medicinam exercentibus idioſyncraſias in memoriam revocant, quarum niſi ſubinde meminerint, non poterunt non interdum errores committere.

CXLIII.

Sal Volatile Oleoſum plus præſtans ſeorſim, quam cum aliis exhibitum.

MUlier quædam aliquot annis quadragenaria major, olim aliquoties vehementi palpitatione Cordis laborans, ab hoc malo aliquamdiu liberata, cum menſes fluere deſinerent, de caloribus, quos volaticos nominant, queri cœpit, qui interdum ſupervenientibus inprimis ſudoribus multis, tam moleſti fuerunt, ut eam & in lectum aliquoties proſtraverint, ubi ſæpe tam debilis extitit, ut vix verbum proferre potuerit, pulſus etiam tardus & parvus ſanguinis in motu ſuo non parum impediti teſtis ſufficiens extiterit; ſicuti vero hæc magni admodum fecit Potiunculas Cordiales dictas, ita ad genium ejusdem me accommodavi, & mediantibus Potiunculis illis quæcunque ipſi conducere videbantur, exhibui, hincque tantum non omnibus ⊖ quoque Volatile Oleoſum immiſceri curavi, nec fruſtra, ſemper enim hactenus iisdem mediantibus malum poſt aliquot dies ceſſit; at cum haud ita pridem majori ac aliâs vehementia rediiſſet, Potiunculæque fere fruſtra ſumerentur, hoc ipſum Sal cum liquore conveniente ſæpius guttatim ſumendum commendavi, & ecce! brevi temporis ſpatio ſanguinem ſic motui ſuo reſtituit, ut ægra interrogaverit, cur non citius tam præſtans medicamentum commendaverim? vixque fidem mihi adhibuerit, cum adfirmaſſem illud ſemper Potiunculis immixtum fuiſſe: Sine dubio vero hujus ⊖lis vires in potiunculis non parum imminuuntur, dum partes ſpirituoſæ avolant, hincque ſi vel maxime cum his fruſtra exhibitum videatur, non tamen propterea, quin ſeorſim exhibitum podeſſe poſſit, dubitandum eſt.

CXLIV.

Abortus ab incantatione.

HAud ita diu in Conjugio vivens alia ſpatio trium annorum non ſemel ſolum abortum paſſa fuerat, in cujus rei cauſas dum ſedu-

ſedulo inquirit, recordatur, quod ancilla, quam ex haud ita procul diſtante Urbe quadam Imperiali conduxerat, magnique primo fecerat, aliquoties dixerit, heram ſuam ante triennium fœtum non edituram, eamque ipſam & abdomen ſuum blande tetigiſſe meminit, hincque ne hæc abortuum cauſa extiterit, ſuſpicari incœpit; & poſtmodum in ſententia ſua, dum hæc ipſa ancilla artium diabolicarum ergo captiva ducta in carcere periit, tantum confirmata fuit, ut eam & aliis detexerit, cum præſertim denuo gravida jam partui vicina fieret, & aliam impediti nunc abortus cauſam non noſceret; Sicut autem ex dictis patet, inter abortus cauſas interdum & incantationem referendam eſſe, ita ſi non ſolum ſeriis precibus contra eandem ſe muniant, ſed & ſuſpectæ fidei homines fugiant gravidæ, tum ſibi ipſis, tum fœtibus ſuis non parum conſulent.

CXLV.

Rhabarbarum à matre ſumtum filiolam purgans.

MAtrona quædam nobiliſſima puerpera, primis ſtatim diebus nimium cibi ingerens inde diarrhœam contraxit, pertinaciter inſtantem nec remediis conſuetis cedentem, unde, cum materia, quam rejiciebat, ſic conſtituta eſſet, ut omnino peccans nominari meruerit, licet Rhabarbaro toſto ſumto primo in non exigua quantitate eadem ſubducta fuerit, ut tamen iteraretur conſultum duxi; licet vero ejusdem non niſi unicum ſcrupulum nunc ſumſerit, nec illud alvum vel ſemel moverit, vires tamen ſuas lacti ſic communicavit, ut filiola recens nata non ita diu poſt mammis applicata ſicut prius quidem ſuxerit, at vix ab iisdem remota non ſolum lac ſed & multum pituitæ vomitu rejecerit, quin per aliquot dies alvum etiam præter conſuetudinem fluidam & ſæpius apertam habuerit; nec tn. ſimili quoque modo adſtringentium etiam vires cum lacte communicatas fuiſſe, exinde conſtitit, quia iisdem ſic ſat diligenter â Matre ſumtis alvi fluxus tamen in filiola ſemper inſtitit: Nullum autem eſt dubium, quin mediante lacte parvulis non ſolum purgantium vires, ſed & alia ſubinde, quæ ſumme nocere poſſunt, communicentur, hincque omnino haud abs re erit, ſi tum lac antequam admittatur, examinetur, tum ſedulam ſui curam geſſerint lactantes, ne ullo modo illud corrumpant; licet puellæ noſtræ hæc purgatio adeo non obfuerit, ut potius ab illo tempore melius ſe habuerit, unde jamdudum & hoc modo, ubi opus eſt, recens natis medicari nonnulli docuere.

CXLVI.

Scabies ſubito contracta.

MErcatoris cujusdam celebris filiolus, ſex & quod excurrit annorum, optima ſanitate Dei gratia fructus, cum funi de carro pendenti inſediſſet, & manibus illud amplectendo corpus hinc inde moviſſet, vix domum rediens manus tam ſcabioſas contraxit, ut mater, quæ noverat, illas paulo ante ſaniſſimas extitiſſe, ne aliud malum ſubſit, metuerit, & hinc me propterea conſuluerit; ubi puſtulas enatas attentius inſpiciens, & alias circumſtantias ſedulo examinans, Scabie revera eum laborare judicavi, & hinc ea, quæ hic proficua credidi, medicamenta, præſcripſi, dum vero poſtmodum inquiro, unde hæc Scabies tum ſubito ſuborta fuerit? Vir quidam vicinus narrat, hunc funem â pueris puellisque mendicantibus ſæpius in eundem, quo noſter uſus fuerat, finem adhiberi, horum plerique cum Scabioſi exiſtant, ſine dubio particulas quasdam peccantes illos funi affricuiſſe, quæ poſtea manibus calentibus ſuſceptæ ſimile malum in puero hoc concitarint, quod per pluſculas hebdomadas inſtitit, tandem vero ſponte quaſi iterum evanuit: quam facile autem Scabies contrahatur, hac obſervatione confirmatur.

CXLVII.

Suturæ Coronalis pars deficiens.

VIr quidam curioſus, forte fortuna in Cœmiterium pagi cujusdam haud ita procul ab urbe diſtantis delatus, crania quædam ibidem recondita accuratius inſpexit, & hinc inter illa unum invenit, cui Suturæ coronalis media, eaque, quantum memini, dextra pars ſic defuit, ut ejusdem nec minimum quidem indicium deprehendi potuerit, imo, cum hac ipſa de cauſa diutius adhuc illud ipſum conſideraſſet, adeo in oculos hac in parte ſuturæ defectus incurrit, ut eam ab ipſa nativitate nunquam adfuiſſe ſtatuerit; quod licet quidem negari penitus non poſſit, cum tamen non deſint hiſtoriæ quorundam, quibus cum tempore Suturæ ſic coaluêre, ut plane oblitteratæ fuerint, cur ejuscemodi quid & in hoc, forſan qua hanc partem magis aëri olim expoſito, contingere non potuerit, nulla mihi ſubeſſe cauſa videtur; quoniam vero & alii hæc non indicta reliquêre, me quoque produxiſſe, nemo, ſpero, vitio vertet.

CXLVIII.

Suturæ in fixa corona.

INvenit autem hic ipſe Vir inter reliqua etiam Cranium Virginis ſine dubio, cui Corona quæ ex Roremarino aut Majorana, aut & alia herba, quam

(quam ſiquidem dignoſcere non potuerat,)capiti poſt mortem impoſita fuerat, tam arcte inhærebat, ut non niſi vi divelli potuiſſet; radices herba ſine dubio in ipſo capite agente, & hinc iisdem cranio arctius affixis & adhærentibus.

CXLIX.

Cataractam depoſitam ſubſequens dolor.

SUffuſione laborans quidam, & hinc de Chirurgo, cui ejusdem depoſitionem committeret, ſolicitus, dum quidam in pago aliquot milliaribus ab urbe diſtante degens laudatur, quomodo curationibus ſuis is hactenus præfuerit? hinc eo magis ſedulo inquirit, cumque ipſe Chirurgus teſtimonium quoddam monſtraſſet feliciter hîc loci curatæ fœminæ, hanc hac de cauſa per ſuos interrogavit, & quoniam teſtabatur quidem, poſt depoſitam Cataractam ſe quævis objecta dignoviſſe, poſtmodum tamen inſignem oculi dolorem ſuperveniſſe, qui ſe denuo viſu privaverit, an huic fidendum ſit? dubitavit; quod cum mihi expoſuiſſet, ego quidem exinde de Operatoris, ſicuti hodie vocantur, peritia aut induſtria judicium ferri non poſſe, reſpondi, ſi enim erratum quoddam commiſiſſet, vix viſus poſt operationem rediiſſet, quoniam vero in oculis ſic affectis humorum motus per ſe minus bene ſe habet, ita ſi poſt punctionem adhuc magis turbetur, non tam operationi, quam ipſius ſubjecti minus bonæ conſtitutioni ſupervenientia ſymptomata adſcribenda erunt, quo ipſo excitatus, majorem denuo in eodem fiduciam ponere cœpit: Sicuti vero & hic contigiſſe videtur, quod toto die contingere, communis medicorum querela eſt, quod nempe ipſi vel innocentiſſimi accuſantur, dum longe aliæ ſubſunt cauſæ, ita tamen ne in teſtimoniis extradendis nimium properemus, niſi interdum aliis iisdem nocere velimus, ſi ex hac obſervatione nonnulli didicerint, jam fruſtra non erit ſcripta.

CL.

Scabies corporis augmentum impediens.

HOneſtorum Parentum filiolus, cum recens natus ancillæ creditus fuiſſet, quæ neſciis Parentibus ſcabie laborabat, brevi hoc ipſum malum ſic contraxit, ut non ſolum in toto corpuſculo veſiculæ & puſtulæ exulceratæ conſpici potuerint, verum & pruritus atque dolores inde ſuborti puerulum uti inquietum ita & macrum admodum reddiderint, utut vero ſtatim huic malo, quantum quidem per ætatem licuit, obviam itum, & imprimis balneo Hordeo atque Liquiritia alterato ſæpiuſcule immerſus fuerit parvulus hic ſcabioſus, tantum tamen abeſt, ut inde vel minimum levamen ſubſecutum fuerit, ut potius incrementum indies malum ſumſerit, donec tandem, cum per

integrum

integrum ſemeſtre inſtitiſſet, ſponte quaſi ceſſavit; multum vero tum viribus tum & augmento pueruli inſidiatum fuit, dum non ſolum, quindecim jam menſes natus vix manus pedesque movere, hisque minime inſiſtere poteſt, verum & magnitudine vix trium menſium fœtum æquat; corrupere nempe ſalſæ atque acres particulæ per contagium communicatæ ſuccum nutritioni deſtinatum, unde nec nutriri rite, multoque minus augeri corpuſculum potuit: Sanas itaque pro filiolis noſtris eligamus ancillas, cum non ſolum hunc ſed & alios morbos facillime ab iisdem contrahere poſſint; qui niſi eosdem ante tempus vita privent, varia tamen alia poſt ſe trahunt mala.

CLI.

Capitis dolor ira reſuſcitatus.

MAtrona quædam, quæ vehementi admodum & contumaci capitis dolore jam diu laborat, & quæ ideo Salivationem etiam mercurialem haud ita pridem inſtituit, cum poſt illam feliciter abſolutam per trimeſtre fere dolorem ſic mitigatum ſenſiſſet, ut reifamilias ſicut olim præeſſe potuerit, licet non plane ſublatus fuerit, hunc tamen ſe ferre poſſe non dubitans, nullum ulterius eidem remedium oppoſuit; at cum nuper bis terve ad iram commota fuiſſet, dolores tanta cum vehementia recrudûere, ut non ſolum vomitus iterum ut olim acceſſerint, verum & caput erectum tenere nullo modo potuerit, & nunc quidem ex urina quoque tinctiori patuit, bilis motum interturbatum ad hoc malum reproducendum non parum contuliſſe, cum præſertim vix uno alterove remedio ſumto malum remiſerit: Multum nempe valent ad humorum motum interturbandum animi affectus, adeoque non ſolum animæ ſed & corpori conſulit, qui in iisdem coercendis ſedulam navat operam.

CLII.

Convulſiones à ſeri fluxu impedito.

PUella quædam ſemeſtris, Matre genita, quæ olim aliquoties convulſionibus epilepticis gravioribus laboravit, licet, per primos vitæ ſuæ menſes pro ſana haberi potuerit, quoniam non ſolum edit, bibit, & dormiit, verum pinguefacta quoque fuit, humores tamen acriores & ſalſos in eadem abundare, ex ſero tali juxta aurem dextram continuo fere profluente & tum pruritum (quam infantis inquietudo prodidit,) excitante, tum cuticulam erodente, abunde patuit, hoc cum non tam internis medicamentis correctum, quam externis, emplaſtro nempe quodam à Chirurgo ſuggeſto, in corpore detentum, quin quaſi retropulſum fuiſſet, convulſiones graviores acceſſere; cum tanta

ſubinde

ſubinde reſpirationis difficultate, ut aliquoties, ſtatim ſuffocatum iri puellam, metuerint, licetque in principio medicamenta fruſtra non fuiſſe ſumta, paruerit, quia mala hæc poſt eorundem uſum aliquamdiu inhibita fuere, quoniam tamen brevi poſt convulſiones ſumma cum vehementia redierunt, & ſub iisdem ſeri acrioris fluxus ſponte ceſſavit, partibusque inde læſis cicatrix inducta fuit, ſervari nulla arte potuit, hincque cum per integrum biduum convulſiones inſtitiſſent, in mortis prædam ceſſit: Non facile nempe ſeri ad partes externas fluxio eſt impedienda, cum non poſſit non in corpore retentum graviores longe ac in iisdem excitare turbas

CLIII.

Terroris quædam producta.

PUellæ hujus Pater, cum ipſa aliquando peſſime ſe habente ex improviſo de ſomno excitatus fuiſſet, inde tanto terrore percuſſus fuit, ut non ſolum ſurgere non potuerit, ſed & toto corpore tremuerit, cumque poſtmodum aliquantum ad ſe rediiſſet, tantum palluerit, ut & Uxor inſignem in eodem mutationem notaverit, cum præſertim vomitus etiam ſubſecutus fuiſſet, qui eum, ut ad lectum redierit, coegit, ubi quidem denuo dormiit, at ab illo tempore appetitum ſic proſtratum habuit, ut quoscunque cibos cum nauſea ingeſſerit; pondus quoque quoddam gravans in pectore ſenſit, quod utut ſtrictiore ſervata diæta abigere tentaverit, per integros tamen quatuordecim dies nil quicquam profecit, unde tandem metuens, ne in gravius degeneret malum, me propterea conſuluit, & ego, quibusvis circumſtantiis rite perpenſis, bilemque loco ſuo motam accuſandam exiſtimans, ut hæc â via deflectens in eandem reduceretur, atque exorbitans evacuaretur, purgans & martiata medicamenta commendavi, quæ quippe aliis etiam profuere; Extravaſati enim humores niſi ê corpore expellantur, mala inde producta vix unquam ceſſabunt.

CLIV.

Reſpiratio difficilis male neglecta.

MUlier quædam ſex annis Septuagenaria major, cum hactenus Dei gratia Sanitate integerrima fruita fuiſſet, difficilem reſpirationem, qua ante quosdam menſes corripiebatur, ægerrime hinc ferebat, non tamen tam medicamentis & diæta conveniente malum depellere, quam audacter contemnendo & parvi habendo devincere tentabat, inprimisque aliquoties aëri frigidiori corpus exponebat, utut ſemper malum inde auctum fuerit; unde tandem, cum quadam nocte Aq. Hyſſopi ſumſiſſet, de ſomno evigilans, reſpirationem tam impeditam habuit, ut fere ſuffocata fuiſſet, licetque ſputo

M multum

multum pituitæ ſpumoſæ ſanguine aliquantum tinctæ rejecerit, nullum tamen plane inde levamen ſenſit,unde ſuffocationis metu tandem conſenſit, ut ego vocatus fuerim; inprimis autem, cum acceſſiſſem dictam aquam adſtantes accuſabant, cujus vero innocentiam ego vindicavi; non ſuffeciſſe tamen, ſimul innui, malique vehementiam non tam ab Aquâ hac, quam quia tam diu neglectum fuit, derivandam eſſe, judicavi; ut vero tum tenacitati pituitæ obviam iretur, tum acredo ejusdem corrigeretur, Spir. ✳ci Anis. poſt ſingulas ſex horas ſumendum, & Mixtur. ex Aq. conv. oc♋. pp & Cinnab. nat. conſtantem ſæpiuſcule exhibendam præſcripſi; quæ Dei gratia ſic profuere, ut brevi ſuffocationis metus evanuerit; adeo quidem, ut, cum prius S Cœnam ſerio deſideraſſet, jam ut in aliud tempus differatur, ipſamet petierit; cumque ſequenti die ego eam iterum viſitaſſem, ſe vix habere, de quo queratur nunc, retulerit; commendavi vero eidem, ut in poſterum eo certius averteretur tantum malum, Infuſ. Herbæ Veronicæ; Male autem difficilem reſpirationem in principio negligi, ex dictis ſat patet, quæ quippe non ſolum facilius longe curatur, ſi ſtatim ei obviam eatur, verum & neglectum talem ſæpius graviſſimis compenſat ſymptomatibus: Nota etiam, quod ſub ſumma mali vehementia pulſum celeriorem quidem, ſat validum tamen deprehenderim, & hinc haud fruſtra tum ægram, tum adſtantes meliora ſperare juſſerim.

CLV.

Vinum mari immerſum quale?

VIr quidam in magna dignitate inter milites conſtitutus, potu præſertim frigido delectatus, cum aliquando in mari officio ſuo præeſſe opus habuiſſet, ut vinum frigidum redderet, variis modis tentavit, ſcopumque ſuum attingere non valens aliquando juſſit, ut vinum lagenis ſtanneis exceptum de fune longiſſimo in maris profundum demittatur, at & hoc modo non ſolum minime frigefactum fuit, verum & ſaporem tam nauſeoſum acquiſivit vinum, ut nemo bibere potuerit; non magis frigidum nempe eſſe mare in profundo ac quidem eſt in ſuperficie, dudum nonnulli notarunt, nec lagena ſic muniri potuit, quin ſaltem particulæ quædam ſalinæ penetraſſent, quæ non potuere non jucundum vini ſaporem invertere.

CLVI.

Equo excuſſi vulnera.

VIr quidam militaris, cum vini nimium in loco dimidio ab urbe milliari diſtante ingurgitaſſet, equo cum aliis domum rediens, dum pedem pedi jungere & inſtar fœminæ inſidere eidem tentat, excuſſus, & ab equo calcatus

tus in temporum dextro & vicinis huic partibus ſic læſus fuit, ut ſine dubio arteriola aperta non ſolum multum admodum ſanguinis profuderit, verum & ſeptem vel octo alia vulnera acceperit; delatus hinc in proximas ædes chirurgo accedenti metum quendam injecit, quia vomentem illum invenit, cum utique pro malo ſigno habendum fuiſſet, ſi vomitus hic vulneribus ortum ſuum debuiſſet; at quoniam poſtea conſtitit, ventriculum vino continendo non ſufficiſſe ulterius, hic metus pro inani merito habebatur, deligatisque vulneribus ſequenti die in urbem deportatus fuit, & ego quoque ut accederem, rogatus fui; ubi cum omnia propius perpendiſſem, nec ullum ſignum vel minimum periculum indicaſſet, multis medicamentis ipſum non habere opus, judicavi, ut vero, quæ imminere poſſent mala, eo certius averterentur, pulverem ex Antim. diaphor. & lap. ♋ præſertim conſtantem laudavi, quem multum ſibi profuiſſe credidit, vix enim octiduo elapſo integre ferê cum ſanitate in gratiam rediit; cum colore cœruleo obductæ quaſi parti cum fructu Spir. Vini Camphoratum illeviſſet, & capitis gravitati reſtanti ⊖ Vol. ol Sylv. oppoſuiſſet: Merito vero in principio cautos ſe gerunt Chirurgi, cum in Vulneribus capitis nunquam nimium ſit fidendum, ceteris vero paribus nimius quoque metus læſo non eſt injiciendus.

CLVII.

Febris à diarrhœa inhibita.

VIrgo quædam elegantis formæ, quatuordecim annorum, cum per biduum fere diarrhoea laboraſſet, ſuadente Matre ovum ad duritiem coctum & pulvere nucis Moſchatæ conſperſum ſumſit, indeque inhibetur quidem alvi fluxus, ac ſuccedit febris tam vehemens, ut cum illa exhibitis per diem medicamentis quibusdam domeſticis non tam imminuta quam aucta fuiſſet, ingruente nocte me Mater in conſilium vocaverit; cumque acceſſiſſem illico, Virginem de ſumma Cordis anxietate conquerentem & ad tactum valde calentem inveni, pulſus etiam uſus ſui aucti, & cordis fere oppreſſi non obſcura præbuit indicia; Volatilibus itaque hic præſertim opus eſſe judicans, Potiunculam, cujus præcipuum ingrediens ⊖ Vol. Oleoſum modo commendatum fuit, ordinavi, qua vix ſumta Dei gratia ſic ad ſe rediit, ut ſtatim liberius reſpirarit, & parva ſolum febris adhuc reſtantis indicia ſuperfuerint, quæ &, diarrhœa præſertim redeunte, paucis medicamentis diſcuſſa fuere, ut vero, qui reſtabant humores peccantes, exturbarentur, me ſuadente Rhabarb. doſin convenientem ſumſit, quoad votum operante, Eſſ. Catech. alvi fluxus etiam facile inhibitus fuit: quem non ſtatim eſſe ſiſtendum, hæc obſervatio confirmat.

CLVIII.

Hernia feliciter repoſita.

DOcti cujusdam Viri Uxor, cum ante ſeptem fere annos ex partu graviori Herniam inteſtinalem contraxiſſet, quia ſtatim abligaculo ſibi conſuluit, niſi, quod inteſtina nunquam integre ſuo loco reſtituta fuerint, nullam inde aliam moleſtam per omnes hos annos percepit, nullos unquam dolores perpeſſa fuit, nec alvum minus ac aliâs apertam habuit, donec ante duos fere menſes, menſibus nimium fluentibus ſubligaculum ſolvit, & per triduum ſepoſuit, cum enim per hoc tempus nihilominus negotiis ſuis domeſticis præfuiſſet, & hinc aliquoties corpus moviſſet, inde magis adhuc loco ſuo mota inteſtina, magisque peritonæi partibus laxatis intruſa non ſolum tumorem auxerunt, verum & tantos dolores induxerunt, ut eorum vehementiam ſat deſcribere non potuerit, unde & noctu jam ingruente me vocavit, ubi quidem & Cataplasma exterius applicandum ſuaſi, & Clyſterem ſtatim infundendum, Mixturamque dolores demulcentem præſcripſi, ante omnia tamen ſolicitus fui, ut, qui inteſtina loco ſuo reſtitueret, vocaretur, qua in re cum mihi paruiſſent, hocque, antequam Clyſter paratus fuit, accedente & feliciter munere ſuo fungente, adeo ſtatim omnes dolores ceſſarunt, ut nulla medicina opus habuerit: Utinam vero ab hac & aliæ pudorem intempeſtivum deponere diſcerent, quæ, dum Chirurgos admittere renuunt, & mulierculis imperitis ſe committunt, ſæpe ſummo vitæ periculo ſe exponunt.

CLIX.

Febris malignæ nova cura male cedens.

SArtor quidam notior, febre maligna correptus, cum principium ejusdem neglexiſſet, tandem medicum artis ſuæ peritum vocavit, qui, quantum quidem in ſe fuit, huic tam infido hoſti obviam ivit, & inprimis alexipharmacis atque ſudoriferis medicamentis depellere eundem ſtuduit, quemadmodum vero in opere ſuo ab ipſo ægro impeditus fuit, dum is non ſolum ſudoribus vacare renuit, verum & ſtudio eosdem lectum nempe mutando impedivit; indeque malum non tam imminutum fuit, quam vires eundo ſumſit; accedens naſutulus quidam barbitonſor veterem hunc minusque convenientem curandi febres has methodum nominare auſus fuit, quin alium, qui nova methodo easdem aggrediatur ſic commendavit, ut alter dimiſſus illico, & hic vocatus fuerit; qui Vir cetera non inelegans, nec talia, ut ſpero, de ſe jactitans, utut in Veſicatoriis opem quæſiverit, tantum tamen abeſt, ut ægrum è mortis faucibus eripere potuiſſet, ut potius paulo poſt in ejusdem prædam ceſſerit; Scioli ſcilicet ejuscemodi ſocii, ubi ſe ipſos intrudere non poſſunt, medicos

dicos genuinos denigrare ſtudent, & ſic vel calumniando nomen acquirere tentant, horum autem conſilia plerumque ſimilem cum modo memorato ſortiuntur eventum, utque hinc impediantur, multum tum medicorum tum ipſorum ægrorum intereſt.

CLX.

Mars hypochondriacum brevi juvans.

JUvenis quidam Studioſus, neſcio quo fato â ſtudiis diſtractus & litibus quibusdam ad ſe non ſpectantibus implicitus, harum ſedulam gerit curam, & hinc jam triſtatur, jam ira accenditur, indeq; paulatim malum hypochondriacum, cui olim jam obnoxius fuerat, ſic auget, ut tandem meo conſilio habuerit opus, ubi cum purgans primo ſumſiſſet, & poſt ejus uſum levamentum egregium percepiſſet, hocque me non conſulto iteraſſet, jamque plures quam prius ſedes moviſſet, ab illo tempore de variis malis conqueſtus fuit, quæ peſſimi eventus metum ipſi injecerunt, ſæpius enim animo ſe linqui credidit, quod tamen ipſemet ſemper non mutato colore indicavit, ſudor hinc ſuccedens ipſi valde ſuſpectus videbatur, quin tandem partes corporis inferiores & ſenſu & calore naturali paulatim privari ſibi immaginatus fuit; unde ego, cum tardiorem in pulſu ſanguinis motum deprehenderem, ut hunc eidem redderem, ſalis Volatilis Oleoſ. uſum inprimis commendavi, ſic quidem ut illi ſumto Infuſum quoque Thee ſubjungeret, quæ utut per biduum ſic in uſum duxerit, malum tamen inde non tam mitigatum quam auctum fuiſſe videbatur, unde denuo me vocavit, & ego jam martis inprimis uſum proficuum futurum judicavi, hincque ejusdem pulverem pulveri analeptico mixtum præſcripſi, & ecce! cum hunc vix bis ſumſiſſet, inde ſic ſe convaluiſſe retulit, ut jam & medicamentis ſe opus ulterius non habere, putarit; at ego melius noſcens hypodondriacorum ingenia, illum adhuc aliquandiu continuare pulverē juſſi: dum nempe ab acido impeditus fuit ſanguinis motus, hic ſtrenuus ejusdem domitor non potuit non prodeſſe, adeoque eundem volatilibus ſæpius longe anteferendum eſſe, hæc obſervatio docet.

CLXI.

Medici cujusdam infelix fatum.

MEdicus quidam Flammingus apud exteros fortunam ſuam quærens in Inſulam usque Melitenſem, Maltæ hodie nomine venientem, delatus fuit, ibique dum uni alterive curæ ſic ſat feliciter præfuit, brevi nomen acquiſivit, adeo ut & Magnus Ordinis Equeſtris, qui ibi ſedem fixit, Magiſter, ipſi locum in aula ſua conceſſerit; at ſimul eo ipſo & invidiam ſibi conſcivit, hincque hoſtes quoque, qui tantum ejusdem animum torſerunt, ut inde in he-

cticam inciderit, quam in hac Inſula curari non poſſe, pernoſcens, locum mutare ſecum conſtituit, & hinc navem conſcendit, at infelix in Piratarum Hiſpanorum manus incidit, qui ipſum in Inſulam hecticis Melitenſi pernicioſiorem deportarunt, ubi & brevi poſt vitam cum morte commutavit, cum vix ſex ſupra viginti annos complevıſſet; adeo quidem ubique Medici ærumnas ſuas inveniunt, inprimisque feliciores preſſo pede ſequitur invidia, quam tamen contemnere potius, quam ſuper eadem tanto cum periculo triſtari decet.

CLXII.

Dyſenteria brevi curata.

MErcatoris cujusdam filiola, duodecim fere annorum, cum varios cibos ingeſſiſſet ſalitos, & hiſce poma quoque interpoſuiſſet, inde alvum magis ac aliâs apertam per aliquot dies habuit, neglexit tamen malum, quin nec ab erroribus, qui illud produxerunt deſtitit, unde tantum auctum fuit, ut non ſolum tormina etiam acceſſerint, verum & laſſitudo tam ingens, ut extra lectum ſe tenere non potuerit; quod matrem commovit, ut excrementa inſpexerit, cumque hæc hinc inde ſanguine conſperſa inveniſſet me propterea conſuluerit; & ego dyſenteriam inſtare nullus dubitans huic dicata medicamenta ſtatim præſcripſi, Rhab. nempe toſtum & Pilul. ex Extr. Tormentill. Laudan. Cydoniat. & Theriac. Cœleſti compoſitas; poſt Rhabarbarum ergo ſumtum cum aliquoties adhuc ſeceſſiſſet, Pilulæ ſic omnem nimium fluxum inhibuerunt, ut ſequenti die, Dei gratia ſe convaluiſſe, retulerit, non fidens tn., Eſſ. Catech. bis de die per aliquot dies eandem ſumere juſſi, quæ Dei gratia omne malum ſic inhibuit, ut nunc non habeat, de quo queratur: Sicut ergo facile ſubinde producitur dyſenteria, ita tali modo producta non ita difficulter curatur, modo cura rite inſtituatur.

CLXIII.

Menſium nimius fluxus non ſtatim nocens.

MAtrona quædam Illuſtris cum ultima vice tributum lunare in ea quantitate ſoluiſſet, quæ vel pluries modo ordinario illi ſolvendo ſuffeciſſet, inde per primum quidem biduum aut triduum poſt illud ſolutum non adeo male ſe habuit, indeque cum hoc elapſo tempore non ſolum dolore dentium, ſed & jam frigore minus conſueto, jam anxietate cordis, jam palpitatione quadam in regione Lienis corriperetur, non tam â nimia illa ſanguinis deperditione hæc mala derivanda eſſe, quam aliam quandam agnoſcere cauſam, quæ forſan difficulter uterui ita & tolli poſſit, ſibi imaginata fuit, cumque me propterea vocaſſet, quicquid etiam protulerim, fidem tamen vix adhibuit, quod tam

tam enormes ſanguinis profuſiones hæc ipſa mala tantum non ſemper poſt ſe trahere ſoleant; at ego ſententiæ meæ certus, alia, quam quæ in ejuscemodi caſibus commendari ſolent, medicamenta ex marte nempe parata, non præſcripſi, quæ & Dei gratia profutura, totus ſpero; patet interea ex dictis magis adhuc communis error, quo morbi qui aut commiſſum in diæta errorem aut & malum quoddam antecedens non illico ſubſequuntur, non tam hiſce quam aliis cauſis attribuuntur, ubi tamen medicus ſententiæ ſuæ certus non tam talibus contradictionibus aures præbeat, quam quod ê re eſſe videtur, ipſo opere exequatur.

CLXIV.

Abſceſſus ad nates in infante.

NAta fuit mihi ſub finem anni præteriti filiola, quæ ſaniſſima parebat, dum non ſolum partibus quibusvis integris atque bene conformatis gaudebat, verum & per aliquot dies ſic edebat, bibebat atque dormiebat, uti quidem in tenella hac ætate conſtituti ſolent; at horum vix decem vel duodecim elapſis clamoribus tantum non continuis, doloribus ſe torqueri abunde indicavit, quos primo quidem â victu mutato & humoribus hinc in primis viis corruptis (mammæ enim eidem non præbebantur,) derivans, lapides cancri eidem exhibebere juſſi, at ſicuti excrementa qualitatibus ſuis conſuetis minime mutata ſufficienter prodebant, hanc cauſam falſo accuſari, ita vel pluries ſumtum hoc medicamentum nec minimum quidem levamen adferebat; dum vero ancilla eidem inprimis præfecta in balneo illam â ſordibus purgat in natium dextra tumorem notat, tum magnitudine, qua ovum gallinaceum æquabat, tum colore cœruleo conſpicuum, eumque mihi monſtrat; cauſæ itaque dolorum jam certus de eo imprimis ſolicitus fui, ut ad maturitatem deducerem hunc abſceſſum, Emplaſtrumque de Meliloto, illi, quod diachylon compoſitum nominatur mixtum ſuperimpoſui, nec fruſtra, vix enim exacto biduo, maturitatis quibusvis ſignis præſentibus aperire eundem potui, purisque non ita exigua quantitas profluxit, licetque pus cavitatem non ita parvam ſub cute & proximis huic muſculis eroſerit, cui vel dimidium Thalerum immittere facile potuiſſes, diligenter tamen deligato ulcere intra non ita multos dies Dei gratia coaluit, puellaque nimium clamare diſiit: quo magis vero latent cauſæ dolorum in infantibus, eo diligentius in easdem inquirendum eſt, cum rariſſime niſi prius detectæ curari poſſint, ſæpe vero internas accuſari, dum externæ peccant, præter modo memoratum caſum plures dudum probarunt.

CLXV.

Rhabarbari Vermes.

JAm tres, & quod excurrit, præteriere anni, quod, cum ad Mercatorem quendam vocatus eidem Rhabarbari uſum commendaſſem, is hanc radicem, quam ipſe ſervabat, protulit, & num bona nominari mereatur? interrogavit, dum ergo hac de cauſa attentius eandem adſpicio, hinc inde vermiculos in eadem reptitantes, & Rhabarbarum ipſum excavantes obſervo, quos cum illi monſtraſſem, ipſemet hoc uſui minus idoneum judicavit: Uti vero alii vermes, quos in aliis aliâs corruptioni minus obnoxiis rebus repererunt, deſcriptione dignos judicarunt, ita & hos iisdem ſubjici poſſe, nullus dubitavi; non ſemper vero ſic patent oculis vermiculi vel in medicamentis vel in cibis quoque latitantes, unde ſine dubio ſæpe eosdem neſcii ingerimus, hincque & in corpore noſtro non raro propagantur, morbosque ſubinde curatu difficillimos producunt.

CLXVI.

Hydropicos juvans remedium.

AD Illuſtriſſimum quendam ægrotum vocato, is hydrope incipienti laborans recenſuit, ſe olim in Germania inferiori noviſſe quendam militum Præfectum ê primis, qui remedium noverit, huic morbo dicatum, quod plures tanto cum fructu in uſum duxerint, ut brevi non ſolum â tumore hydropico liberati, ſed & poſtmodum optima ſanitate gaviſi fuerint, interque hos imprimis notatu dignum eſſe caſum Senis cujusdam ſeptuagenario majoris, qui jam per bene longum temporis ſpatium decumbens & à medicis derelictus illud tanto cum fructu in uſum duxerit, ut integre convaluerit, & per biennium adhuc vivens alio deinde morbo correptus in mortis prædam ceſſerit; quia vero ſolum helleborum nigrum præcipuum ejusdem ingrediens extitiſſe recordabatur, & doſis & modi corrigendi ignarus ipſemet non tam hoc, quam â me præſcriptis medicamentis utebatur, quibus ad votum operantibus illud etiam remedium is qui poſſidet, interim per litteras communicavit, ſumitur vero Radic helleb.n.drachma una & hæc cum Macis uncia dimidia in Vini Generoſi menſura per 24 horas infunditur, hujusque vini hauſtus quotidie bibitur: & hoc remedium ſicuti ipſemet communicavit, ut aliis quoque communicetur, dignum judico, eſt enim omnino ſua laude dignus helleborus niger, ut-ut ob noxas, quas infert, non paucis ſuſpectus, quæ tamen in tam parca doſi uti non ita magnæ eſſe poſſunt, ita ſine dubio adjecto aromate mitiore non parum corriguntur, unde ego nullus dubito, quin, modo alvum ſic ſumtus moveat, hydropicis multum prodeſſe poſſit, nec ſemper omnino rejicienda

enda ſunt talia experimenta, â medicis præſertim quibus ſæpe non parum ê re eſſe poſſunt,

CLXVII.

Ophthalmia fonticulum occluſum ſubſequens.

ACceſſit me heri Judæus quidam, referens, quod Pater ſuus arthriticus jam per aliquot dies laboret ophthalmia tam moleſta, ut nec oculum quidem aperire poſſit, & dum in cauſas inquiro, retulit, eum diu in brachio ſiniſtro aluiſſe fonticulum, huncque diu quidem primo nil fere materiæ extillaſſe, jam vero exaruiſſe penitus & coaluiſſe, hincque ſe metuere, ne materia peccans olim hîc evacuata ad oculos translata iisdem jam tantum inſidietur, & ſane eidem non contradixi, cum enim ophthalmias ſolis fonticulis curatas fuiſſe, non uno ſolum exemplo conſtet, quis dubitabit easdem iisdem non fluentibus & occluſis excitari poſſe? hinc verò juxta Pilul. de Succin. Craton. & Aq. Roſ. viribus Salis Saturni imprægnatam, ut fonticulum iterum inuri curet, conſului: Quibus enim ſemel fonticuli profuêre, in ſenectute præſertim tam facile iisdem carere non poſſunt, niſi cauſæ quarum ergo eosdem excitarunt, penitus ceſſaverint, quo in caſu tuto hæc regula minus attenditur.

CLXVIII.

Venæſectio in animi deliquiis proficua.

FOemina illa, cujus paulo ante fit mentio, utut per aliquot dies ſumto Sale Volat. Oleoſ. tam egregium in malis ſuis perceperit levamentum, ut hoc remedium reliquis omnibus prætulerit; hiſce tamen elapſis nec hoc ulterius quod in principio præſtitit, malis priſtinis reditum ſub diligenti ejusdem continuatione minitantibus; quoniam ergo hactenus tam multis medicamentis hunc hoſtem fruſtra aggreſſus fueram, interdum quidem de polypo Cordis cogitavi, at quia pulſum nunquam plane intermittentem inveneram, & de hoc dubius reſtiti; ſanguinem itaque olim in tanta quantitate profuſum, jam tam diu retentum ſe ipſum in motu ſuo impedire mihi perſuadens, de Venæſectione cogitavi, quam, utut naſutulus quidam ſumme diſſuaſerit, inſtituti, tresque fere ſanguinis elegantiſſimi detraxi uncias; & ecce! ab illo tempore Dei gratia ſit cum ſanitate in gratiam rediit, ut nullum ulterius animi deliquium (de quibus prius inprimis conqueſta fuerat,) ſucceſſerit, & rei domeſticæ præeſſe denuo potuerit: Male itaque omnino aures præbentur iis, qui Venæſectionem ê foro medico proſcribere omnino tentant, ſunt enim caſus, in quibus ea vix ac ne vix quidem carere poſſumus.

CLXIX.

Tinctura Bezoartica auris tumorem diſcutiens.

VIr quidam præſtantiſſimus, ſeptuagenario major, cum aliquamdiu per fonticulum nil plane ſeri depoſuiſſet, circa aurem ſiniſtram primo pruritum notavit, quem cum fricando abigere tentaſſet, auris tumor & quædam inflammatio ſucceſſit, quæ metum Eryſipelatis ſubſecuturi injecerunt; hinc autem, quia nihilominus corpus aeri & quidem frigidiori exponere opus habebat, Balſamum ergo quod album nominant, parti dolenti imprimisque glandulæ juxta aurem tumefactæ illevit, at ſine ullo fructu, unde ſuadente Uxore Tincturam Bezoarticam ſumſit, poſt cujus uſum licet ſudori non vacaverit, malum tamen ſic remiſit, ut cum me quoque hac de cauſa conſuluiſſet, iterare hanc juſſerim, nec minus tum hæc profuit, ſed malum fere penitus diſcuſſit, unde poſtmodum eandem non parvis extulit laudibus: Et ſane in ejuscemodi malis tam præſtans eſt hæc Tinctura remedium, ut raro fruſtra eandem ſis exhibiturus, nec audiendi hic ſunt frivoli ejusdem contemtores, qui eam omnibus viribus ſuſpectam reddere conantur, forſan ignari, quæ vel præcipua ſint ejusdem ingredientia.

CLXX.

Uteri cum faucibus conſenſus.

MErcatoris cujusdam Uxor, catarrhis virgo adhuc ſæpius obnoxia, quæ fauces præſertim invadentes eas ſubinde ſic occuparunt, ut per aliquot dies non niſi liquida & nec hæc quidem absque difficultate deglutire potuerit, ab iisdem tum Dei gratia uſu pulveris anticatarrhalis tam feliciter liberata fuit, ut per aliquot annos immunis vixerit, nec niſi cum jam per bene longum temporis ſpatium in conjugio vixiſſet, iidem redierunt; nec tum primo eos tanti habuit, ut me propterea vocaſſet, ſed ſecundo redeuntes metum eidem injecerunt, ne in poſterum ut olim ſæpius ſint incommodaturi, hincque jam ut iterum conſilium ſuggeram, me rogavit; ſimul vero, quod olim ſubticuerat, nunc retulit, quod nempe hoc malo imprimis vexetur eo tempore, quo menſes inſtent, adeoque & uteri quandam rationem eſſe habendam, haud adeo male judicavit, quin, licet me vocato menſes nondum fluxerint, cum tamen vix diſceſſiſſem iidem ſucceſſere, unde per ancillam me interrogavit, an nihilominus medicamentis præſcriptis uti liceat? quæ vero ſeponere aliquamdiu juſſi: Confirmatur ex dictis Uteri cum faucibus conſenſus, qui nonnunquam tantus eſt, ut non deſint, quæ eum in eas usque aſcendiſſe, jamque abitum parare, totæ ſibi perſuadent.

CLXXI.

Tunica retina.

CErtis de cauſis permotus, ut præterita hyeme aliquoties in oculi partes diligentius inquiſiverim, uti quidem tum tunicas tum humores ſic ſat à ſe invicem diſcernere in oculis bovinis glaciatis inprimis potui, non tamen retina æque, ac quidem credideram, oculis ſtatim patuit, cum rete repræſentare tantum non omnes Auctores ſtatuant, unde plures eorum evolvi, cumque nullus ſicuti Veſalius ſcrupulum animo meo exemerit, in Tyronum gratiam quædam ejusdem verba hic repetere placet: Quamprimum nervi viſorii ſubſtantia in oculum mergitur, mollior reddita dilatatur in latum quoddam involucrum, poſteriori vitrei humoris ſedi obductum, & non ultra medii oculi ſedem in anteriora pertinens, & extreme gracilibus, ſed interim conſpicuis venulis, ac item arteriis intertexta; hæc tunica ceterarum modo membranea non eſt, ſed mollis, & veluti mucor aliquis ex naribus procidens, nomen tamen aptius quam involucri aut tunicæ illi indi non poteſt, quum humorem vitreum integat, minori piſcatorum reti comparandum, cujus formam, non autem PLEXUM refert: hactenus Veſalius de humani Corporis fabrica lib. VII. cap. XIV. p. m. 647. cujus plura verba ſi attentius legantur, Tunica retina haud ita difficulter dignoſcetur.

LCXXII.

Iræ noxas avertens alvi fluxus.

MErcator quidam variis intricatus litibus, & hinc ſæpius ad iram commotus, cum hæc ſocium ejusdem non tam earum participem, quam fidi amici partes acriter tuentem in lectum proſtraviſſet, interrogatus, quomodo animo tam ſæpe variisque modis & imprimis haud rarenter affectu modo dicto affecto nihilominus corpore tam bene ſe habeat, & fere magis integra quam olim illis non involutus fruatur ſanitate? reſpondit, ſe hactenus ſemper fere notaſſe, quod, quando ira effervuerit, alvus paulo poſt ſic nimium fluxerit, ac ſi purgans ſumſiſſet, hincque evacuata ſic ab ira commota bile nullam ſe ulterius perſentire noxam, ſponte nempe poſtmodum & alvi fluxu ceſſante; quantum aliâs noceat corpori quoque hic dirus affectus, non ex una ſolum linearum medicarum legiſti, imprimis autem bilem eundem movere & in motu ſuo conſueto interturbare, præter plures alias hæc ipſa obſervatio docet, cui enim cauſæ commodius hunc alvi fluxum adſcribes, quam bili in majori ac aliâs quantitate in inteſtina profuſæ, & hinc conſueto magis ſtimuli vice fungente? Felicior vero omnino hic aliis eſt, in quibus has vias non invenit, ſed cum reliquis humoribus commixta majores longè & magis periculoſas

loſas turbas excitat, quibus tamen in tempore medici opem implorantibus, ea medicamenta, quæ viam hanc quaſi monſtrant, illos non prorſus fruſtra exhibituros, hæc & ſimiles plures obſervationes digito quaſi monſtrant.

CLXXIII.

Febris vim infrigens nimius aquæ potus.

QUod nonnulli ægri appetitui, qui vel pro noxio habetur, interdum non ſine fructu indulgeant, cum nuper coram Illuſtri quodam Viro mentio injiceretur, Is ſequentia recenſuit; Se ante pluſculos annos febre intermittente pertinaciſſima laboraſſe, quæ paulatim tantas ſumſerit vires, ut ii, quorum Curæ tum demandatus fuerit, & de vita deſperare inceperint, hincque eo minus ea, quæ vel minimum nocere poſſe crediderint, conceſſerint, aut & ſuggeſſerint; unde utut ſumme deſiderarit, ut aliquando ad lubitum potu ſiti ſatisfacere liceret, diu tamen illos, non niſi in præſcripta doſi & parvis poculis eundem porrexiſſe, hinc vero hunc ipſum appetitum non tam imminuiſſe, quam magis accendiſſe, & inde ſe quoque magis inſtitiſſe, ut tandem aliquando expleatur; unde ſed demum ſpem omnem convaleſcentiæ deponentes Urceum aliquot menſuras continentem attulerint, & hunc fere penitus ſe evacuaſſe, tantumque aquæ (hanc enim continuerat) ingurgitaſſe, ut abdomen totum inde inflatum fuerit, difficiliorque hinc reſpiratio ſucceſſerit; at cum haud ita diu poſt & vomitus ſubſecutus fuerit, & hoc mediante non ſolum aquam ſed & humorum peccantium ingentem quantitatem rejecerit, inde omnia in melius ſic mutata fuiſſe, ut febris jam longe facilius curari potuerit: Uti vero ego potu febricitantibus per ſe non interdico, ita ſine dubio hujus appetitui ego citius ſatisfeciſſem, cum præſertim potum convenientem expetierit, nec poſſint non prodeſſe vomitus vel & hoc modo excitati.

CLXXIV.

Coriariorum ſudatorium Iſchiadicæ noxium.

CErevifiarii cujusdam Uxor, quadragenaria major & teneræ conſtitutionis, menſibus inſtantibus plerumque non ita parum ſanguinis per uterum profundens, ſimulque per totum ferme diem foco adſtans, inde primo quidem ventriculo laborare cœpit, dum nempe non ſolum appetitum fere penitus amiſit, ſed & identidem vomitu, tum quæ aſſumſit, tum pituitæ non ita exiguam quantitatem rejecit, quod tamen haud ita magni habuit; cum vero poſtmodum, calores etiam quos volaticos nominant, ei valde moleſti fierent, hosque tum inconſueta oris ſiccitas, tum totius conſumtio comitarentur, ne hepate laboret, metu vulgo communiſſimo metuens, me conſuluit, nec fruſtra medicamenta commendata aliquoties in uſum duxit, quin tandem

ab

ab hiſce malis ſe penitus liberatam credidit; at brevi poſt ſupervenit malum minus quidem periculoſum ſed magis ſenſile, dum doloribus qui ob partem affectam iſchiadici dicuntur, tam gravibus correpta fuit, ut pedem dextrum interdum vix movere potuerit; ut vero periculoſum etiam evaſerit hoc malum, ferme ipſamet in cauſa fuit, dum eidem Coriariorum noſtratium ſudatorium oppoſuit, hocque ad dolores dictos delendos aliquoties ingreſſa fuit, ibique ſudori vacavit; nam ſicuti & ſcopum ſuum minime obtinuit, dum dolores non tam imminuti quem aucti hinc fuêre, ita priora quoque mala ſic revocavit, ut jam magis, quam unquam olim ab hepate affecto ſibi metuerit; unde me jam denuo vocavit, ubi cum convenientia medicamenta præſcripſiſſem, ipſi non potuiſſe non nocere hoc ſudatorium, judicavi, dum, ubi non invenit, quos aggrediatur, humores pituitoſos, calor in eodem diſperſus, utiles plerumque diſſipat, ſiccitatemque inducit: Et ſane teneræ conſtitutionis atque ad hecticam pronis ſubjectis vix unquam hoc ſudatorium aliâs ſuæ laude dignum impune commendabitur.

CLXXV.

Pilus fortunæ faventioris index.

JAm annus elapſus eſt, quod Curæ meæ ſe commiſit Centurio quidam dexterrimus, qui præter plura alia, quæ diutius inſtante malo narravit, dum interdum omnem quidem ſpem convaleſcentiæ abjecit, aliquando tamen ſubito magis quam vel dolorum remiſſione eandem meliorem nactus fuit, cum pilum in gena haud ita procul ab oculo enatum notaſſet, de hoc retulit, quod jam per plures annos obſervet, quod quotieſcunque talis ê gena pilus enaſcatur, ſemper fortunam faventiorem experiatur, & aut ad majores dignitates promotus fuerit, aut dona inſignia acceperit, aut infortunium feliciter ſuperarit, aut quæ ſunt alia, de quibus nobis gratulari ſolemus, hincque & nunc, ut convaleſcentiæ ſit ſignum, ſe totum ſperare, nec hæc ſpes eum deſtituit, brevi enim poſt Dei gratia convaluit, & ſalvus atque incolumis ad ſuos rediit: An vero pilus ejuſcemodi quid revera prædicere poſſit? alii dijudicent.

CLXXVI.

Incubus incantatione inductus & eadem curatus.

CArnificis qui olim hic prolixam admodum exercuit praxin, & fautores quoſdam Primates quoque habuit, cum hiſce diebus mentio injiceretur, quædam fide digna Matrona in curandis morbis ab incantatione ſubortis eum præſertim aliis præſtitiſſe teſtabatur, & in hujus rei fidem ſequentia retulit; Acceſſit eum aliquando faber ferrarius, Juvenis aliâs ſat robuſtus, at quia jã per

 aliquot

aliquot noctes ab incubo valde tortus fuerat, indeque virium defectum perſentiebat, eo magis opem implorans, & ut is conſilium ſuggerat, deſiderans, cum præſertim in principio renuiſſet, & imaginarium ſolum malum nominaſſet; anxie itaque hic precibus inſtetit, & ut ſui miſereatur, rogavit, de die enim labori gravi vacando, & de noctu tantum ab hoc malo tortum ſine dubio ſe diutius haud ſuperfuturum, niſi quamprimum ab eodem liberetur; miſertus ergo tandem ejusdem, ſuaſit, at fabrum cultrarium adeat, & quatuor cultros, eo pretio, quo quidem venales exponantur, comparet, eosq; noctu cubitum iturus lecti quatuor pedibus infigat, ſic enim malum certo ceſſaturum; paret dictis miſer, vel hoc ipſo miſerior, utque teſtem eorum quæ per noctem ſint ſubſecutura, habeat, ſocium ut ſecum in ſuo lecto dormiat, rogat, obdormiſcunt vero ambo, & mane evigilans alter olim Incubo laborans ſat deprædicare non poteſt, quam ſuaviter hac nocte dormierit, quantumque ſomnus talis in viribus reficiendis conferat, ſurgit poſtmodum de lecto, & lætus labores ſuos aggreditur; dum vero in angiportum quendam, ut ibi urinam reddat, ſecedit, ibi proſtratam invenit ancillam, ejusque pectori infixum cultrum ex iis, quos heri lecto infixerat, hujusq; rei ut certior fieret, cubiculum adit, & ex quatuor unum deeſſe invenit, indeque non ſolum credit, auctricem mali ſui hanc ipſam ancillam extitiſſe, verum & magis in eadem confirmatur, dum ab illo tempore ab eodem plane immunis vixit: Uti vero nil minus quam modum hunc curandi, diabolicum quippe, & ſic Chriſtianum minime decentem, quin in diaboli fauces præcipitantem, probo, & potius omnes & ſingulos ſerio obteſtor, ut lubentius ægrotent, quam tam noxio modo à morbis liberari deſiderent, ita hunc præſertim in finem hunc caſum narravi, ut conſtet, licet omnino incubus à naturalibus non raro producatur cauſis, interdum tamen non prorſus fruſtra incantationem quoque accuſari, contra quam tamen non tam illicitis remediis quam precibus, & iis quæ naturaliter quodammodo juvare poſſunt, pugnes velim.

CLXXVII.

Gravida lactans ſimul & menſtruata.

MUlier quædam quarto vel quinto fœtu gravida, de hac graviditate non ſolum ad motum ſed & ferme ad partum usque hujus fœtus dubitavit, quia non ſolum infantem, quem prius ediderat, lactaverat, & lac ſemper ſuffecerat, verum & menſes tam ordinarios per totum geſtationis tempus habuerat, ac quidem olim vel virgo adhuc, vel & non gravida; verum enim vero novem menſibus elapſis, cum pridie ejusdem diei mammas præbuiſſet natu minimo, fœtus, quem ſanum & omnibus ſuis numeris perfectum peperit, adeo omne dubium ejusdem exemit menti, ut jam & aliis ſub talibus contingenti-

gentibus dubium tale foventibus illud fortiter eximat, uti quidem quædam, quam itidem menſium ordinarius fluxus de conceptione hactenus dubiam reddidit, nuperrime mihi retulit; Licet vero omnino non deſint hiſtoriæ illarum, quæ lactatione conceptionem impedire fruſtra tentarunt, & ad partum novum usque jam editum fœtum absque noxa illius, qui in Utero latuit, ſic nutriverunt; nec raritatis ulterius nomen mereantur illæ hiſtoriæ, quæ conceptionem fluentibus menſibus factam deſcribunt; raro tamen ſine dubio audiviſti legiſtive, quod mulier adeo ſuccis bonæ notæ abundaverit, ut ſimul uno eodemque tempore & tributum lunare ſolvere, & tum fœtum jam natum, tum alium in utero latitantem nutrire potuerit, hincque ut deſcriberetur hic caſus omnino dignus fuit, cum præſertim tenerioris conſtitutionis eſſe videatur, cui modo narrata contigere.

CLXXVIII.

Alchemiæ Fautoris facetum dictum.

LApidis Philoſophici cum nuper mentio coram quodam egregio Mercatore mentio injiceretur, is narravit, ſe olim noſſe ditiſſimum quendam Principem, qui ſemper ſedulo in hunc lapidem inquiſiverit, & hinc plures chemicos, niſi veros, tales tamen ſe jactitantes continuo aluerit, unde & nonnulli crediderint, Ipſum tandem tanto hoc arcano potitum fuiſſe; hunc aliquando ab alio cognato Principe interrogatum, cur tam inſigni horum hominum numero opus haberet? feſtive reſpondiſſe, ſe quidem iisdem minime opus habere, at hoc hominum genus ſua ope quam maxime indigere: Ex tripode ſane dictum, nam niſi hi artis auriferæ plerumque fumivenduli indagatores ſubinde tales nanciſcerentur Patronos, per totam vitam ſuam vix tantum metalli vilioris in aurum mutarent, ut vel per diem absque mendicitate honeſte ſe alere poſſent; ſic vero fumos ſuos non raro tam care vendunt, ut vix mirum ſit, nunquam deeſſe, qui eosdem de novo venales exponunt: Utinam vero ſerio hoc & alii agnoſcerent, quod magis nempe hoc hominum genus ipſorum ope indigeat, quam quidem ipſi iisdem opus habent, multo ſine dubii cautius mercari diſcerent.

CLXXIX.

Vomitus à Verme.

JUdæus quidam è proximo pago Pferſen me accedit, narratque filiolum ſuum biennem fere, hactenus ſat bene valuiſſe quidem, at heri vomitibus correptum fuiſſe, quibus utut varia remedia oppoſuerit, eos tamen hactenus nondum ceſſaſſe, hincque ſe metuere, ne tandem puello noxii evadant, & ut

& ut conſilium ſuggeram, rogare; cum præſertim variolis nonnulli decumbant, & hinc hæ forſan etiam ſubeſſe poſſint, ut ergo in medicamenti præſcriptione & harum quandam habeam rationem, ſubjecit; unde Eſſent. Catechu, quæ in talibus caſibus raro fruſtra adhibetur, eidem commendavi; cumque haud ita diu poſt alia de cauſa me iterum conveniſſet, interrogavi, qomodo filiolus ſuus ſe habeat? & is reſpondit, nunquam feliciores ſunt ægri, quam ſi convaleſcant, antequam medicina apportatur, & hac felicitate hac vice fruitus fuit filiolus meus, cum enim domum rediiſſem, jam longe melius ſe habuit, & vomitus plane intermiſerunt, nec, uti metui, variolæ ſucceſſerunt, ſed cum poſt ſomnum blandum uxor mea eum de lecto ſuſtuliſſet, vermem rotundum longum juxta eum in eodem reperit, & quidem absque excrementis, hincque puero conſuetum ſuum remedium, quod nempe plantas pedum allio fricavit, adhibuit; hunc vero ſolum vomitus concitaſſe exinde ſat conſtat, quia ab illo excreto hi plane remiſerunt; Et ſane Vomitus quoque vermes movere, adeo novum non eſt nec ratione ſua caret, ſeu jam propius ipſum ventriculum accedendo (unde nonnunquam & vomitu rejiciuntur,) ſeu motum inteſtinorum invertendo id præſtent; interea tantum non in quibusvis puerorum morbis eorundem rationem quandam eſſe habendam, hæc Obſervatio confirmat.

CLXXX.

Pedis Dolor in aurem translatus.

VOcatus hinc ad Mercatorem quendam teneræ conſtitutionis, & â pueris valetudinarium, eum nunc de auris dextræ dolore intenſo conquerentem inveni; huic cum varia huic dolori oppoſita ordinaſſem, ſimulque pedis olim dolentis mentio injiceretur, de hoc retulit, quod jam per aliquot hebdomadas dolores priores in eodem perſenſerit, at ab eo quaſi momento, quo auris dolere inchoaverit, omnem in pede dolorem ſic ceſſaſſe, ut jam plane immunis ab eodem degat: acribus nempe ſalſis & ſcorbuticis particulis abundat ſanguis hujus commiſeratione digni viri, quæ uti pluribus medicamentis hactenus ê corpore expelli non potuerunt, ita inprimis in pede, parte â caloris fonte corde remotiore, interdum ſeparatæ non potuere non dolores excitare, qui tamen illico ceſſarunt, materia illa peccante in auribus exitum inveniente, quas magis ſenſiles non potuere non ſumme torquere; quam difficile vero ſit, ſerum ſic vitiatum corrigere facile credet, qui vel ſemel manus huic operi admovit.

CLXXXI.

CLXXXI.

Colici dolores partum ſubſequentes.

MAtrona quædam nobiliſſima octavo fere fœtu gravida, abdomen in tantam molem extenſum ultimo geſtationis menſe babuit, ut interdum binos ſe gerere fœtus crediderit, interdum, eum, quem gerat, ſitum transverſum nactum fuiſſe, metuerit; præter tamen ſpem ſuam Dei gratia feliciter peperit, & filiolum, utut tam magnum, ut plures annuos magnitudine facile ſuperarit, non adeo difficulter Dei gratia edidit, ſic ſat bene etiam poſt partum per viginti quatuor fere horas ſe habuit; at hiſce elapſis doloribus correpta fuit tam intenſis, ut non ſolum â clamoribus ſe continere non potuerit, verum & convulſiones aliquoties jamjam imminuerint; unde ego ſtatim vocatus fui, & Ol. Amygd. dulc. quod jamjam eidem exhibere volebant, ut ſumſerit omnino ſuaſi, & primo quidem credens, latitare adhuc in utero ſanguinem grumoſum, & horum dolorum auctorem exiſtere, Potiunc. ex Specif. Ceph. D. Mich. Antim. diaphor. & ⊖ Succin. Volat. præſertim conſtantem præſcripſi, at tantum abeſt, ut ea ſumta vel minimum levamenti percepiſſet, ut potius dolores auctos fuiſſe crediderit, & exclamaverit, ſe nullam dubitare, in corpore, & ea præſertim, ſiniſtra nempe hypogaſtrii parte, cultros atq; forfices, ſemper magisque eidem infixas latitare; quoniam ergo hoc medicamentum ſcopo non ſatisfecerat, uterumque primario non eſſe affectum ex naturali lochiorum fluxu ſemper magis innoteſcebat, nec in viis urinariis mali cauſam quærendam eſſe, ullum aderat ſignum; flatusque contra exitum invenientes levamen quoddam afferebant, de reſtitantibus adhuc alvi fecibus durioribus & inteſtinis hinc affectis, (cum præſertim alvum per aliquot hebdomadas officio ſuo ut olim non reſpondiſſe, nec ſine metu illam eam ultimo menſe præſertim depoſuiſſe, retuliſſent,) cogitavi, & Clyſterem ex lacte atque ſaccharo paratum infundere juſſi, quo brevi, id quod quidem deſideratum fuit, præſtante, multis ſcybalis durioribus evacuatis, ſic dolores Dei gratia remiſerunt, ut jam longe melius ſe habere, teſtata fuerit; at vix elapſo bihorio dolores priori ferme cum vehementia rediere, unde jam ſponte clyſterem iteravit, at hic nunc retentus tantum, quantum primus non profuit, unde & ego iterum accedens, ut iteraretur ſuaſi, licetque nunc alvum moverit, ſic tamen, uti poſt primum Clyſterem dolores non remiſerunt, unde Ol. Amygdalarum repetiit, & ob calorem febrilem accedentem interpoſitis Potiunc. huic extinguendo dicatis, alvum iterum apertam habuit, unde dolores ſemper magis remiſere, reſtante tamen ſenſu quodam, ac ſi corpore moto pondus quoddam de parte in partem laberetur, alvusque ut aperta ſervaretur, quinque Pilul. Emanuel. ut ſumeret, ſuaſi, quas cum cum alvi copioſa dejectio ſubſecuta fuiſſet; paulatim & hoc malum ceſſa-

vit, jamque & calore nimio penitus extincto Dei gratia convaluit: In Inteſtinis vero cauſam doloris me merito quæſiviſſe, caſum vel paululum attentius conſiderantem non poteſt latere, cum, quod â fecibus induratis in aliis quoque intenſiſſimi ſubinde producantur dolores, hiſtoriæ plures teſtentur, non itaque ſemper de ſolo utero, quando puerperæ morbis corripiuntur, cogitandum eſſe, non fruſtra ex hac obſervatione diſces.

CLXXXII.

Jalappa.

JAlappam anthelminticam primo ſtatim anno Linearum medicarum produxi, paſſimque in iisdem polychreſtæ hujus radicis fit mentio, ut adeo non niſi quædam de eadem repetere liceat, peculiari tamen titulo dignam judicavi, cum hiſce diebus curioſus juxta & elegantiſſimus de eadem tractatus Medici laborioſiſſimi & eruditiſſimi Chriſt. Franciſci Paullini, fautoris mei honoratiſſimi, in manus meas perveniſſet, quædamque non tam addere eidem, quam confirmare in eodem ſcripta, haud prorſus abs re futurum crediderim; Quod vero quâ doſin Magiſterii præſertim nonnulli tantum non exceſſerint, liberalioresque in eodem exhibendo extiterint, tardior ejusdem absque ſtimulo exhibiti operatio præſertim in cauſa fuiſſe, mihi quidem videtur, unde largiori præbio ſe aſſecuturos quod parciori non potuerunt, ſperantes, doſin ſemper adauxerunt, uti vero hoc non ſemper feliciter ſucceſſiſſe, ita nec ſatis tuto tentari, vel hiſtoriis ab ipſo hoc laudatiſſimo auctore adductis evincitur; longe itaque magis hactenus mihi placuerunt, qui quod hi largiori doſi, additamentis quibusdam aſſequi tentarunt; ſic pulverem olim deſcripſi hic loci valde celebrem, qui, licet eum nunquam fere plura quam octo Magiſterii Jalappæ grana ingrediantur, ob adjectum tamen Cremorem Tartari & ⊖. vel ex hoc ipſo, vel alio quodam vegetabili elicitum ſæpius tot ſedes movet, ac vel integer ejusdem ſcrupulus absque his ſalibus exhibitus movere poſſet; & idem fere præſtare radicis ipſius pulverem in doſi non adeo magna magiſterio adjectam, ſæpius non absque delectatione hactenus expertus fui, cum quo parciori doſi purgantis cujuscunque alvus tantum quantum quidẽ requiritur, moveatur, eo magis ê re ægroti eſſe, ego ſæpius viderim, nec forſan ullus in dubium ſit vocaturus: Non poſſum vero non & hac occaſione laudare pulverem, quem ex hac radice & Limatura martis aut quodam ex hoc minerali parato medicamento jam tam ſæpe in hydrope tanto cum fructu præſcripſi, ut vel illo ſolo tantum hunc hoſtem Dei gratia feliciter depulſum fuiſſe, non ſemel meminerim, dum nempe indicationibus in hoc malo primariis ſatisfacit, & tum aquas in abdomine collectas blande educit, tum viſcera roborat, ac humores motui ſuo reſtituit: Omnino autem notatu dignum eſt, quod hæc

ipſa radix tam tuto infantibus & pueris in majuſcula etiam doſi exhibetur, unde ego quidem in hac ætate conſtitutis raro aliud purgans præſcribo, ſanctéque teſtari poſſum, me nil unquam ſiniſtri notaſſe; at ne nimium crambis bis coctæ nauſeam adferat, plura nunc non addo, hæc tamen non ægre laturum bonivolum Lectorem, totus ſpero, cum non parum juvet in medicina, ſi ea quæ olim dicta fuêre, pluribus confirmentur.

CLXXXIII.

Cucurbitulæ urinam moventes.

EQues quidam Illuſtris de catarrhis ſubinde valde moleſtis querens, â me interrogatus, quando & quomodo primo eosdem notaſſet? reſpondit, pluſculos jam præteriiſſe annos, quod iisdem primo incommodatus fuerit, tum vero nec diutius inſtitiſſe, nec niſi poſt ſingulos annos ſub finem menſis Februarii & initium Martii rediiſſe, licetque ſic partibus externis quibusvis & imprimis artubus tantum inſidiati fuerint, ut per aliquot dies hos nec movere quidem potuerit, & hinc in lecto decumbere opus habuerit, nullum tamen unquam ſe aliud remedium propterea adhibuiſſe; quam Cucurbitulas non ſcarificatas, quas triplo majores iisdem, quibus apud nos utuntur, pone cervicem applicare, & hinc per totum dorſum ad nates usque ſæpius trahere juſſerit, hincque ſemper urinam in tanta copia motam fuiſſe, ut ejus duplo plus ac aliâs excreverit, & brevi poſt priorem recuperarit motum; at jam ſæpius redire defluxiones, & pectori imprimis inſidiari, hincque potiſſimum aliis remediis ſe opus habere, quæ & eidem ſuo tempore præſcribam: Patet interea ex dictis Cucurbitulas olim jam â magnis medicis magni habitas non omnino rejiciendas eſſe, licetque pauciores fere ſint, qui hodie non ſcarificatas præcipue commendant, in quibusdam tamen caſibus ſi earundem meminerit medicus prudens, facti eundem vix pœnitebit, cumque huic Urinam moverint, in Iſchuria â renibus præſertim oriunda juxta alia medicamenta forſan haud omnino fruſtra applicabuntur, cum interdum adeo nil prorſus vel efficaciſſimis remediis in hoc malo proficiamus, ut vel noſſe adhuc remedium quoddam, ægro non adeo parvo cedat ſolamini,

CLXXXIV.

Arthriticos dolores augens remedium.

NObilis quædam Matrona, ſæpius jam doloribus arthriticis correpta, cum ante ſesquimenſem iisdem iterum gravioribus prehenderetur, ex neſcio cujus conſilio Olei Olivarum libræ uni tres manipulos Rorismarini immerſit, & poſtquam per aliquot horas in vaſe probe munito igni hanc mixturam credidiſſet, Oleum hoc modo viribus illius herbæ impprægnatum parti dolenti ille-

vit; verum enim verò tantum abeſt, ut levamen, quod inde ſperaverat, & certo promiſſum fuerat, ſubſecutum fuiſſet, ut potius dolores tantum incrementum ſumſerint, ut me propterea in conſilium vocaverit, ubi cum dicta narraſſet, omninò huic remedio dolorum incrementum adſcribendum eſſe judicavi, cum enim oleum poros obſtruat, & ſic impediat, ne partes peccantes dolorem excitantes exhalare poſſint, hæ ipſæ vero, in hoc ſubjecto, ſi licuerit, calidæ nominandæ, rorismarini volatilioribus particulis non tam imminutæ & correctæ quam auctæ, non potuere non inde majores concitari turbæ: Ne itaque cuivis remedio fidant arthritici, ſed niſi icti demum ſapere voluerint, prius per medicos ſuos eadem examinent, ſi hiſce aliisque ſimilibus exemplis moniti didicerint, jam uſu ſuo hæc obſervatio non carebit.

CLXXXV.

Hernia mortem ſubitaneam inferens.

DE magno quodam Principe â fide dignò viro mihi narratum fuit, quod is hernia inteſtinali laborans, pudore ductus malum hoc ſuum non tam iis, quorum intererat, & quibus qua cetera corporis ſui curam commiſerat, detexerit, quam Chirurgo cuidam haud ita magni nominis, licetque hoc illi ſubodorati fuerint, hincque humillime, ut majorem in ſe poneret fiduciam rogaverint, inde tamen ipſum non tam animum mutaſſe, quam ad iram commotum fuiſſe, quod ad ipſos notitia hujus ſui mali devenerit, quin tandem ei, cui ſe fiderat, cubicularii munus demandaviſſe; utut vero hic ſine dubio, quantum in ſe fuit, præſtiterit, ſeu tamen tanto malo curando non ſuffecerit, ſeu magnus æger non in quibusvis obſequioſum ſe geſſerit, imperare quippe & non parere aſſuetus, eundo malum tantas acquiſivit vires, ſicque dilatatum aut tandem & ruptum fuit peritonæum, ut aliquando ſubito prolapſis in ſcrotum inteſtinis ea reſtitui priſtino ſuo loco nulla arte potuerint, unde Princeps, quem paulo ante pro ſaniſſimo habuiſſes, quique jam iter quoddam animi gratia aggredi voluerat, breviſſimo temporis ſpatio fatis ceſſerit, qui ſine dubio, ſi peritiori chirurgo ſe commiſiſſet, aut forſan alio modo non peccaſſet, ſervari potuiſſet; Ne vero cuivis in hoc malo fidas, cum inter plures, qui hernias ſe curare poſſe, jactitant, vix unus inveniatur, qui ipſo opere hoc præſtare poſſet, quos magno ſæpe damno & in Principum aulis locum invenire dolendum eſt.

CLXXXVI.

Textor medicaſter.

TAlis ſane eſt Textor ille, qui hiſce demum diebus libello ſupplici ab Inclyto noſtro Senatu petiit, ut ipſi facultas libera concedatur non ſolum iis qui hæmorr-

hærmorrhoidum dolore torquentur, ſed & quibusvis hernia laborantibus remedia ſua ſuggerendi; cujus ergo Collegium Medicum ſententiam ſuam dicere juſſum, non niſi cum damno & periculo eorum, qui illi ſe eſſent crediturí, hanc ipſi dari poſſe, libere pronunciavit, cum non ſolum textor alias rationes, quam quod remedia adhibeat, quibus olim ipſemet uſus & reſtitutus fuerit, afferre non potuerit, hæcque more hujus farinæ hominum detegere nullo modo voluerit, & ex paucis, quorum mentionem quandam fecit, nec hæc ſemper ſat tuta eſſe, conſtiterit, verum & hæc ipſa mala ſic ſint conſtituta, ut & medicis experientiſſimis ſubinde multum admodum negotii faceſſant, omninoque pro cauſarum ſubjectorumque inſigni differentia niſi medicamenta ſecundum artem mutentur, identidem augeantur potius quam vel minimum imminuantur, quibus dignoſcendis textor ſane nunquam ſufficiet, in textrinam itaque potius relegandus, quam tanto muneri ut præſit, concedendum erit.

CLXXXVII.

Ophthalmia contagio contracta.

Vir quidam cetera ſanus, cum nuper quosdam amicos viſitaſſet, hique notaſſent, ipſum ophthalmia laborare, unde hoc mali contraxiſſet? eum ſtatim interrogarunt, ubi, cum is reſpondiſſet, Uxorem ſuam jam per bene longum temporis ſpatium hoc malo laborare, an contagioſum ſit hoc malum? ex me forte fortuna præſente reliqui ſciſcitati fuerunt, & reſponſi loco dedi, quod omnino quidam haud infimi ſubſellii Viri hoc malum quovis tempore pro contagioſo habuerint, ſæpiusque etiam contigerit, quod, ſi quis ophthalmia laborantem diu propius inſpexerit, brevi poſt eadem ipſemet laborarit, quo propius ergo quis cum ophthalmia laborante verſetur, quo ſæpius eundem accedat, eo citius etiam & facilius eundem infici poſſe, admirationem itaque vix mereri, ſi maritus ab uxore infectus fuerit, quam ſe ſæpius adſpicere poſtmodum ipſemet fatebatur; facillime nempe humores oculi commoventur vel attentiore rei etiam deſideratæ inſpectione, hoc vero motu vel parum interturbato, malum quod modo deſcripſi, excitatur, ut alia nunc, quæ alii afferunt, ſilentio prætercam, effluvia nempe, quæ ex oculo affecto continuò emanare credunt, & quæ ſunt hujus generis plura.

CLXXXVIII.

Pleuritis à balneatore curata.

PArochi cujusdam ancilla fida, ſubito calore p. n. cum dolore lateris punctorio & difficili reſpiratione correpta, balneatoris in loco ubi degit, habitantis conſilium quærit, qui ſtatim purgans vehemens & quamplurimas movens ſedes ordinat, unde tantum abeſt, ut malum vel minimum mitigatum fuiſſet, ut potius difficilis præſertim reſpiratio tantum augmentum ſumſerit, ut facies cœruleo inde colore obducta fuerit; unde Parochus Matrem ſuam hic loci degentem, ut conſilium ſuggerat, rogavit, quæ medicamenta quædam miſit, &, ne febris maligna ſubſit, metuens, ut inprimis â Venæſectione abſtinerent, ſerio per nuncium juſſit; antequam vero hic domum redierat, adeo urſerat difficilis reſpiratio, ut jam non adeo parvam ſanguinis quantitatem eidem ſubtraxerint, & quidem feliciter, ex eo enim tempore quævis ſymptomata ſic remiſerunt, ut jam ſervitio ſuo ut olim præeſſe poſſit: Ubi nempe nulla ſubeſt malignitas, & mala memorata â ſanguinis in partibus Thoracis ſenſibilioribus motu impedito originem ſuam trahunt, remedium tutius citiusque juvans Venæſectione non invenitur, at ut hæc rite à ſe invicem dignoſcantur maturo conſilio opus eſt, hincque non poteſt non fieri, quin interdum & hæc methodus minus feliciter adhibeatur, cum pluries non; tam medici prudentes & experti, quam empirici & de nulla re minus quam de cauſis cogitantes, in ſubſidium vocentur, quæ cauſa vero non ſufficit, ut propterea Venæſectio ſtatim ê foro medico exterminetur penitus, cum juxta modo adducta quam plurimi alii de inſigni Venæſectionis in Pleuritide uſu hodienum teſtentur, & vel in lineis meis medicis plures huc ſpectantes hiſtoriæ legantur.

CLXXXIX.

Dyſenteria ab eſu halecis.

REpoſuerat quidam amico ſuo aliquot doliola halecibus recens allatis repleta, cumque hinc hic quosdam dono ſibi dediſſet, ad eſum accommodatos eos domeſticis ſuis appoſuit, cumque cibo minus couſueto ancilla præſertim vix ſe exſatiare potuiſſet, inde ſtatim nocte ſequenti tormina ventris tanta perſenſit, ut præ iisdem ſomnum capere vix potuerit; ſurrexit tamen de lecto & negotiis ſuis domeſticis taliter qualiter præfuit, ſed & inſtantibus doloribus ſæpius alvum deponere opus habuit, cumq; hinc excrementa inſpexiſſet, ea ſanguine hinc inde conſperſa invenit, & teneſmo præſertim etiam accedente, ut ego conſilium ſuggererem expetiit; Rhabarbarum toſtum ergo ſumere eandem juſſi, quod licet aliquoties alvum moverit, reliqua tamen ſymptomata

ptomata itidem juxta ſic inſtitere, ut fruſtra ſe ſumſiſſe crediderit, nec magis profuit Mithridat. Damocrat. ſub noctem ſumtum, crebriores enim & cruentæ dejectiones ſemper eodem modo eidem moleſtæ fuêre; unde iterum conſilium meum expetenti pulv. ex Radic. Torment. Bol. Armen. pp. & Terr. Sigill. Siles àa. ℨj. atque Extr. op. Cydon. gr. iii. conſtantem præſcripſi, qui ſæpius ſumtus malum ſic inhibuit, ut jam ſibi Dei gratia iterum convaluiſſe viſa fuerint, at cum ad operas ſuas rediiſſet; vix exacto biduo malum priori cum vehementia eam invaſit, unde, an pulverem iterare liceret? interroganti, illius uſum repetitum omnino ſuaſi, nec fruſtra eundem iteravit, vix enim abſumta integra compoſitione jam ſic cum ſanitate in gratiam rediit, ut de quo queratur nil habeat: In hujuscemodi cibis autem omnino modus ſervandus eſt, ab iis præſertim, qui iisdem minus ſunt aſſueti, dum non ſolum Ventriculus iisdem conficiendis non ſemper ſufficit, ſed & Sal quo abundant, tum Salia in corpore latentia movet, tum inteſtina ad crebriores excretiones ſtimulat, quæ tandem facile nimiæ evadunt.

CXC.

Urina non prodit ſexus differentiam.

SErio nuper â quodam âmico interrogatus, num ex urina ſexus diſcerni poſſit? negando reſpondi, utut enim tinctiorem virorum magisque dilutam fæminarum eſſe urinâ, communiter nec prorſus abs re ſtatuatur, quod tamen qua ætates aliquoties monui, & qua ſexum locum invenit, ſunt plures Viri tam teneræ conſtitutionis, ut qua hanc vix cum fœminis comparari mereantur, ſunt contra fœminæ heroinæ adeo robuſtæ, ut vel cum fortibus Viris robore certent; ſunt inſuper tam multa, quæ urinæ colorem tum exaltant, tum imminuunt utrique ſexui communia, ut non poſſit non falli, qui ex ſolo colore ejusdem de ſexu judicare auſus fuerit; morbique præſertim, in quibus plerumque medicis monſtratur, in utroque ſexu ſic variant ejusdem colorem, ut ſæpius alius longe â conſueto exiſtat; nec vero certius ſexum contenta produnt; & hinc medicus genuinus de eodem certi quid ex hoc liquore prædicere non ſuſtinebit,ſique impoſtoris nomen impoſueris ei, qui talia exacte ex urina ſe perſpicere poſſe, jactitat, nec me, nec alios probatæ fidei viros contrarios habebit.

CXCI.

Nephritis cum Urina cruenta.

MAtrona quædam quinquagenaria major,olim aliquoties ſanguinis nimio ex utero fluxu ſic laborans, ut non ſemel altero jam pede in cymba charontis ſteterit, ab hoc jam per biennium, & quod excurrit, libera Dei gratia ſic

ſic convaluit, ut priſtinorum malorum ferè penitus oblita fuerit, unde & identidem eos diætæ errores commiſit, quibus ferendis olim plane impar extitiſſet, non tamen prorſus impune, paulatim enim doloribus iis vexari cœpit, qui hactenus rephriticorum nomine venerunt, quos tamen tam diu parvi habuit, donec & vires aggreſſi fuerunt, & urinam cruentam reddiderunt; qua re perterrita me vocavit, & ut conſilium ſuggeram rogavit, & ego opobalſami uſum eidem recommendavi, quo non ſtatim juvante, ut aliud remedium præſcriberem, urſit, ubi pulverem ex Anal. fr Balſ. Peruvian. ſicc. & Lap. ♋ conſtantem ordinavi, quo vix quater ſumto dolores remiſere, urinaque priſtinum acquiſivit colorem, ſicque hac vice denuo cum ſanitate in gratiam rediit, egoque, ut jam in poſterum aliquamdiu opobalſamo utatur, cum inprimis & de fluore albo ſubinde moleſto queſta fuerit, ſuaſi: niſi enim cauſa ſubſit, quæ nulli medicamento cedit, hæc Balſama in hiſce morbis rariſſime fruſtra commendantur.

CXCII.

Caſtaneæ absque noxa poſt plures cibos comeſtæ.

CONvivio me exceperat quidam Patronus, totque optime paratos & guſtui gratos tam in prandio quam Cœna appoſuerat cibos, ut longe plus ac aliâs ingeſſerim, hincque fere metuerim, ne ſequenti die pejus me ſim habiturus, quem metum una mecum unus quoque ê nobiliſſimis convivis fovit, eumque magis auxit, cum ſub finem Cœnæ Caſtaneas quoque illatas ambo comediſſemus, cum vel has ſolas ventriculus non ſemper bene ferat; tantum vero abeſt, ut inde vel minimum noxæ percepiſſemus, ut potius ſequenti die, licet ego vix per quatuor horas dormierim, ac ſi conſueto more vixiſſimus, nos habuerimus; quod an vino generoſo, græci nomine ſalutato, adſcribendum, an vero hi fructus crudiores & acidiuſculos humores correxerint, alii dijudicent; notatu interea dignum, quod nec ventriculum magis gravarint, nec alio modo obfuerint, hincque non prorſus rejiciendæ erunt, ſed interdum inter cibos locum invenient.

CXCIII.

Cardialgia brevi curata.

VIdua quædam ſexagenaria major, cum aliquoties dolore venticuli tam ſenſili laboraſſet, ut vix inde reſpirare potuerit, huicque varia remedia Balſamum nempe neſcio quale, Pilul. Emanuel. & quæ ſunt alia, fruſtra oppoſuiſſet, tandem me hac de cauſa vocavit, coram vix accedente vero ſtatim pluribus verborum ambagibus teſtata fuit, ſe quævis medicamenta ê pharmacopolio petita abhorrere, noſſe vero, quod & domeſtica ſubinde juvent, hinc-

que

que ut talia imprimis ſuggeram, me rogare; & ut petito ejusdem ſatisfacerem, primo quidem tragæam quandam convenientem componere eandem docui, hinc vero hanc omnino non ſufficere indicavi, tandemque multis verbis eidem perſuaſi, ut pulverem præſcribendum ſe in uſum ducturam promiſerit; præſcripſi ergo illo adhuc die, cujus meridie vocatus fueram, ſumendos duos ex pulv. ſtomach. B. & Limat. ♂ conſtantes, & alium in craſtinum humores acres bilioſos Ventriculum tantum torquentes ê corpore exturbantem, & tertio die ad petitum ejusdem redii; ubi retulit, ſe vix ſumtis binis pulveribus tantum levamen dolorum ſenſiſſe, ut hinc purgantem eo majori confidentia deglutierit, & hunc quidem ſic evacuaſſe humores peccantes, ut jam Dei gratia non habeat, de quo queratur; Sicuti vero nihilominus pulverem martiatum continuare eam aliquandiu juſſi, ita quam facile ea mala, quorum cauſa ſtatim innoteſcit, curentur, hæc cura confirmat.

CXCIV.

Puerperæ dolores Clyſteri cedentes.

AUrifabri cujusdam Uxor, cum poſt partum doloribus abdominis correpta fuiſſet, hac de cauſa obſtetricem media nocte vocavit, quæ dolores tam acerbos inveniens, ut & â convulſionibus ſibi metuerit, ut medicus vocaretur, petiit; renuente vero ægrota, & interſerente, quod quæcunque etiam remedia præſcribantur, ea tamen non ſumat; Obſtetrix Clyſter. domeſticum paravit, & illum paulo poſt infudit, unde tam inſignis fecum alvinarum quantitas evacuata fuit, ut exinde dolorum horum cauſa abunde patuerit, cum præſertim hi poſtmodum omnino ceſſaſſent, & iisdem torta ſana ê puerperio prodiiſſet: Confirmatur vero dictis, doloris poſt partum cauſam non ſemper in utero quærendam eſſe, ſed eandem ſæpiuſcule & in inteſtinis latitare, unde ſi hæc ſubſit, quævis hyſterica fruſtra exhibebis, ubi contra vel unicus Clyſter ſummo cum fructu in uſum ducetur, uti ex obſervatione nuper producta itidem patet.

CXCV.

Fœtum ferme mortuum reſuſcitandi modus.

REſtiarii cujusdam Uxor, quia jam quadragenaria fere conjugium inierat, gravida nihilominus facta, difficulter admodum poſtmodum peperit, adeo ut media nocte me propterea vocaverint, ubi cum inveniſſem Obſtetricem eandem ad labores inſtigare abſentibus nixibus & doloribus neceſſariis, inde omnem difficultatem derivavi; & præſcripſi quidem Potiunculam ex pulv. Part. provoc. & ⊖ Vol. Succin. præſertim conſtantem, ſimul tamen, ut alia

 etiam

etiam vocetur obſtetrix hâc magis perita, curavi, intereaque nonniſi ſecundare nixus eandem juſſi, ſicque Dei gratia res tam feliciter ſucceſſit, ut poſt trihorium fere pepererit filiolam; quæ vero ob compreſſum & elongatum inprimis Cranium tam debilis extitit, ut per aliquod temporis ſpatium nec minimum quidem vitæ præſentis indicium ediderit, utut Vinum atque Balſam. Pueror. ori infuſa fuerint, & plura quoque tentarit junior obſtetrix, quæ aliâs in ſimilibus caſibus tentari ſolent; quod audiens ſenior, quæ interea Puerperæ curam geſſerat, ut ſcopulæ ſetaceæ afferantur petiit, easque ſtatim allatas arripuit, & plantas pedum recens natæ blande illis percurrit, unde oculos aperuit, & vagiit, ſicque paulatim vires collegit, ut Baptiſmus tam diu differri potuerit, donec in templo poſtmodum adminiſtratus fuit, puellaque hactenus Dei gratia bene valet: quæ utut forſan & aliis dicta, hic repetere non prorſus abs re eſſe judicavi, cum in talibus caſibus non parum interſit, ſi quis ê veſtigio conſilium ſalubre ſuggerere queat, adeoque omnino juvet, ſi talia evporiſta in pluribus libris deſcripta inveniantur, cum non cujusvis ſit, omnes & ſingulos excutere Auctores.

CXCVI.

Purgantium operationem impedientia.

OPus habenti purgante Italo cuidam, cum ut hoc, illo die, quo prius neceſſario in publicum prodeundum eſſet, non ſumeret, ſuaſiſſem, cauſamque interſeruiſſem, quod ſic plerumque purgantia eam, quam exoptemus, operationem non exerant, quod quidem alibi, jam hiſtoria me probaſſe memini; is reſpondit, recordor, fere ejuscemodi quid mihi olim aliquando contigiſſe, cum enim tum temporis purgans, quod multas ſedes moturum, medicus prædixerat, ſumſiſſem, & poſt illud ſumtum non quidem foras prodiiſſem, in cubiculo tamen continuo ambulaſſem, inde adeo omnis operatio impedita fuit, ut nec ſemel quidem ſeceſſerim; quod idem contigit, cum alio tempore purgans æque forte deglutiiſſem, ſtudiis vero & meditationibus ſeriis ſtatim poſt per aliquot horas vacaſſem, & hinc enim adeo plane fruſtra illud ſumſi, ut alio opus habuerim: Et harum itaque rerum non naturalium ut poſt purgans ſumtum decens habeatur ratio, hæc obſervatio confirmat.

CXCVII.

Sanguinis poſt partum per uterum profuſio.

MAtrona quædam Nobiliſſima cum partui vicina per biduum fere doloribus vexata fuiſſet, qui non tam fœtus excluſionem vel minimum juvabant, quam moleſti extiterant, ſubito ſuccedentibus iis, qui requiruntur, brevi & Dei gratia feliciter filiolum non ita parvum edidit, quem cum & ſecundina

cundina ſtatim ſubſecuta fuiſſet, jam quibusvis malis ſe integre defunctam credidit, & gratulantibus vacivas præbuit aures; at vix bihorio elapſo tam inſignem ſanguinis quantitatem per uterum profudit, ut & animi deliquia imminuerint, unde fruſtra ſumtis quæ ad manus erant, medicamentis, ad me miſit, utque tum ſtatim medicamentum præſcribam, tum brevi poſt accedam, rogavit; cumque ancilla cum Schedula, in quo medicamentum notaveram, vix diſceſſiſſet, alia, ut adventum meum maturem urgens, ſupervenit, ubi, cum & huic petito ſtatim ſatisfeciſſem, puerperam quidem debilem inveni, non tamen viribus ſic exhauſtam, quin ſupereſſe huic malo illam poſſe, totus ſperaverim, unde cum ſimul & Potiuncula præſcripta afferretur, hanc ei deglutiendam exhibui, quiaque interea multum etiam grunoſi ſanguinis rejecerat, brevi nimium hujus fluxum ceſſaturum, ſperavi; nec ſpes me fefellit, non ſolum enim nullo ulterius medicamento opus habuit, ſed & brevi vires ſic collegit, ut nimiæ illius profuſionis ſequenti die nec indicium quidem reſtiterit; metuenti tamen, ne alii adhuc latitent in utero grumi, ſicut hunc metum exemi, eo, quod hiſce præſentibus ſanguinis fluxus non ceſſaſſet, & febris notaretur, ita, ſi vel neſciis nobis aliquid reſtaret, ut eo citius ſecederet, Olei Amygdal. dulc. uſum commendavi: Inſigniores etiam ſanguinis profuſiones quasdam mulieres haud adeo ægre ferre, hactenus ſæpius obſervavi, at laudandæ omnino ſunt, quæ in tempore iisdem obviam eundo graviora mala avertunt, modoque non ſubſit cauſa, quæ removeri non poteſt, medicamenta in talibus caſibus fruſtra non adhibentur.

CXCVIII.

Naſturtii aquatici ſuccus coctionem impediens.

JUvenis quidam ſtudioſus hypochondriacus, cum huic malo, me ſuadente, quædam medicamenta feliciter Dei gratia oppoſuiſſet, ad quas neſcio reliquias corrigendas & expellendas ex conſilio cujusdam Vetulæ ſuccum Naſturt. Aquat. cum Juſculis aliquoties in uſum duxit, nec ſub hujus uſu ſe male habuit, ſed potius appetitum ſic auctum ſenſit, ut nimium ſe cibi ingeſſiſſe, ipſemet faſſus fuerit, unde cum ſimul nihilominus ſuccum continuaſſet, ventriculo laborare cœpit, qui tot ingeſtis conſumendis non ſufficiens, anxietatem induxit, tamdiu omnem ſomnum arcentem, donec bis vomitu inſignem materiæ crudæ quantitatem rejecit; poſt quem vomitum utut melius ſe habuerit, me tamen vocavit, ubi ſuccos hos Ventriculo minus eſſe gratos, hincque ſi ſimul nimia ciborum quantitate oneretur, non poſſe non inde quædam mala ſuboriri, indicavi, ſeponere ergo illum, & ei Eſſent. Trifol. fibrin. ſubſtituere juſſi: Communis vero de ſuccis antiſcorbuticis querela dictis confirmatur.

CXCIX.

Abdominis dolor à lapſu graviore.

MErcator quidam inſignis, cum ê templo domum reverteretur, in via quodammodo lubrica tam graviter in tergum procidit, ut aliquamdiu vix ſe colligere denuo potuerit, nec niſi difficulter admodum ſurrexerit, tardo itaque gradu reliquam adhuc abſolvit viam; quæ cum vidiſſet partim, partim reſciviſſet quædam vicina, ut ſanguinem Hirc. præp. ſumat, & partes terræ alliſas Unguent. de Cynogloſſa illini & perfricari curet, ſuaſit, ubi cum conſilio paruiſſet, noctem quidem ſequentem ſic ſat placidam duxit, adeo quidem, ut & die à lapſu ſecundo, cum prius poſt ſumtam Tincturam Betoarticam ſudori vacaſſet, foras prodire ſuſtinuerit; at domum rediens dolores inprimis in parte læſa tam auctos ſenſit, ut vix movere ſe ulterius potuerit, unde jam domi manſit, cumque ſequenti nocte dolores & in abdomen usque ſe extendiſſent, ibique tantum eundem torſiſſent, ut nec decumbens, nec ſedens, nec ſtans ullum unquam levamentum perceperit, ſummo mane me vocavit, doloremque inprimis inteſtina occupantem tam intenſum eſſe, conqueſtus eſt, ut, niſi quantocyus mitigetur, illi ferendo vix diu adhuc ſit par futurus, retulit, ante omnia itaque inquiſivi, an alvum interea apertam habuerit? an urinam absque difficultate reddat, an vomitus ſucceſſerit, an ſanguinem vel ſputo, vel & per inferiora rejecerit? cumque ad hæc omnia ſic reſpondiſſet, ut nil quicquam mali inde augurari potuerim, pulſus etiam, & appetitus integer de febris abſentia teſtarentur, primo quidem ſolatio eundem erexi, metumque, ne graviora ſubſint mala, quantum potui, ejusdem animo exemi, hinc vero Clyſterem convenientem præſcripſi, & alia medicamenta, quæ aliàs in ſimilibus caſibus ordinare ſoleo; cum vero Clyſter per aliquot horas alvum non moviſſet, inde dolores tantum augmentum ſumſerunt, ut ſub meridiem me denuo, ut quamprimum fieri poſſet, accederem, rogarit; licetque, ut Clyſterem ſtatim iteret, per ancillam nunciarim, brevi tamen poſt ejusdem petito ſatisfeci, ubi retulit, ſe interea, dum ancillam miſerit, Juſculum ab Uxore ſuggeſtum comediſſe, & hinc parum quidem admodum excreviſſe, tantum vero inde dolores remiſiſſe, ut jam eosdem vix ulterius percipiat, & quid excreverit? ſcire diſcupiat; & ego curioſus excreta inſpexi, nilque notatu digni reperi, ſeri nempe parum, particulam quandam viridem; (quam â Clyſtere derivavi) & integram baccam Juniperi, quam heri comederat, quasdamque quaſi arenulas interſperſas; indeque cum flatus ſimul plures eundem exploſiſſe, relatum fuiſſet, hos inprimis hos dolores excitaſſe, judicavi, & ut alvus inprimis aperta ſervaretur, Pilul. Immanuel. ſumere juſſi; quæ cum tardius quidem ad votum tamen quod deſiderebatur,

rabatur, præſtitiſſent, & dolores abdominis plane ceſſarunt, paulatimque poſtmodum & reliquis diſcuſſis, laboribus ſuiis vacare denuo potuit: Clyſteres autem & in talibus caſibus ſic ſat commode applicari, hæc Cura docet.

CC.

Anevriſma ſibi ipſi aperiens Canis.

CUm nuper nobilem quendam amicum viſitarem, Canis ejus præſens ut ſequentia de eodem narraverit, in cauſa fuit: alueramus præterito auctumno aliquot lepuſculos in horto noſtro, hosque canibus noſtris minoribus inſectandos dederamus, excluſo hoc majori; cum ergo is per clathros lepuſculos quidem vidiſſet, ad eosdem autem penetrare non potuiſſet, aliquoties illos ferreos momordit, & capite ſimul fortius ad eosdem alliſit; ex illo vero tempore etiam pejus ſe habuit, triſtis inceſſit, & multum Salivæ ex ore ejusdem profluere notavimus, cumque propius caput inſpexiſſemus, infra hoc in colli dextra parte tumorem mollem invenimus, magis quidem unguento â chirurgo communicato quotidie emollitum, at & tantum auctum, ut jam de apertione ejusdem cogitaverimus; accidit vero eo ipſe die, quo hanc inſtituere volueramus, quod canem in inferiore domus parte hinc inde ſe voluntatem & præſertim tumorem ad terram fricantem inveni, vixque attentius eundem aſpicio, & ecce! ê tumore aperto prorumpit ſanguinis, & tanquam ê fonte in non adeo exigua quantitate proſilit; voco itaque famulum & una cum eo canem in proximam aream traho, ibique tumorem jam minorem comprimo, hincque longe major adhuc ſanguinis fluidi quantitas evacuatur, tumor vero ſubſidet; & nec unica quidem puris gutta ſubſequente mediante Balſamo Peruviano paulatim ſic curatur, ut jam vix veſtigium ejusdem ſuperſit; primam evacuationem nec ullo ſanguinis nec alterius materiæ fluxu ſubſequente, cum tumor per quatuordecim fere dies collum prius extendiſſet: Ad anevriſmata hunc tumorem referendum fuiſſe, ego quidem judicavi, cum alias ſanguis fluidus tam diu manere non potuiſſet, nec dubitandum eſt, quin ejuscemodi quid in homine quoque contingere poſſet, apertum vero in loco conveniente anevriſma non tam metum injiciat, quam ſpem convaleſcentiæ addat.

CCI.

Aromatica poſt ſanguinis nimium fluxum juvantia.

MAtrona quædam olim ſanguinis ê vaſis hæmorrhoidalibus nimio fluxu ſæpius laborans, cum inde uti fieri ſolet, dolorem ventriculi gravativum & difficilem reſpirationem contraxiſſet, neſcio cujus conſilio hiſce malis Calamum aromaticum & Eſſent, Cort, Aurant. oppoſuit, cum prius quidem fluxus

xus ille adſtringentibus medicamentis plane inhibitus fuiſſet; utut vero ne ejuscemode aromaticis revocetur, metus ſubfuerit, tantum tamen abeſt, ut hoc ſucceſſerit, ut potius ab illo tempore non niſi pauculas Sanguinis guttas per has partes profuderit; & ex hoc conſtare videtur, in ſimilibus nimiis ſanguinis profuſionibus non ſemper nimium â Volatilium uſu eſſe abhorrendum, ſed ea, requirentibus præſertim aliis indicantibus, ſat tuto interdum aut adſtringentibus commiſceri, aut & interponi poſſe, cum & ſanguinis motus alicubi interceptus aliquoties easdem producat, qui ſic reſtitutus non poteſt non prodeſſe.

CCII.

Vomitum aliâs eidem ſiſtendo dicata moventia.

MErcator quidam rerum medicarum curioſiſſimus indagator, cum nuper ſocio ſuo Theriacam, ut vomitum moveret, exhibuiſſet, isque me vocatum interrogaſſet, num Theriaca vomitum movendi facultate polleat? & ego negando reſpondiſſem, quod vel ſuo exemplo modo dictus probavit, dum ea ſumta vomitus non tam promotus quam inhibitus fuit, retulit, ſe quidem ſæpiſſime expertum fuiſſe, quod ventriculum male ſibi habenti in uſum ducta Theriaca vomitus ſuccedat, quo finito demum ejusdem repetitus uſus hoc viſcus affectum roboret; & idem prorſus qua Spiritum Vini ſe obſervaſſe, hunc enim hactenus ſimili de cauſa ſe nunquam ſumſiſſe, quin brevi poſt vomitus ſubſecutus fuiſſet, poſt quem ceſſantem demum denuo ſumtum hunc ſpiritum retinuerit, & fructus inde ſperatos perceperit; proclivis nempe ſit ad vomitum hic ipſe Mercator, oportet, unde ventriculus repletus vel & his medicamentis ſtimulatur, quæ aliâs hos ſtimulos ſedare ſolent, ſic vero, vel & alvum movendo longe magis proſunt, quam ſi omnis materia peccans in corpore retineatur, quæ ſi vel maxime tardius, tandem tamen certo de præſentia ſua teſtabitur.

CCIII.

Partum antecedens fluxus ſanguinis feliciter inhibitus.

TYpographi cujusdam Uxor, gravida, appropinquante partus tempore fluxum ſanguinis ex utero notat, & inde perterretur quidem, non tamen niſi ea, quæ domeſtica vocantur remedia, adhibet, unde fluxus non tam imminuitur, quam augetur, hincque tandem ut ego conſilium ſuggeram, per ancillam rogat; & ego pulverem ex Coral. r. Dent. Hippotam. præp. atque Unic. marin. conſtantem, ter ſumendum eidem præſcribo, qui Dei gratia ſic profuit, ut cum elapſis aliquot diebus obſtetrix, quæ ei adſtitit, mihi obviam facta fuiſſet, hæc retulerit, non ſolum fluxum poſt ſumtos hos pulveres

ceſſaſſe,

ceſſaſſe, verum & jam partum non adeo difficilem ſed felicem Dei gratia ſucceſſiſſe; non vero tam deſperandum, quam medicamenta convenientia in ſubſidium vocanda eſſe, ſi tali fluxu corripiuntur gravidæ, hic caſus egregie confirmat.

CCIV.

Medicamenta in craſtinum non ſemper tuto præſcribuntur.

JUvenis quidam doctus, cum diu Ventriculo laboraſſet, diætam tamen minus ſervans tandem ſe febrem quartanam contraxiſſe, firmiter credidit, quia bis vomitu correptus fuit eo tempore, quo aliâs hæc febris invadit, & calor p. n. ſubſequens in hac ſententia eum magis confirmavit; cum ergo hac de cauſa me conſuluiſſet, & ego fomitem hujus qualiscunque etiam mali in Ventriculo latitare, nullus dubitarem, vomitorio medicamento ipſum opus habere judicavi, & hinc, cum hæc ſub meridiem mihi naraſſet, tale medicamentum in craſtinum ſumendum præſcripſi; excitatus vero â ſocio poſt meridiem aliquot Infuſi Thee ſcutellas evacuavit, hincque alvus ſic mota fuit, ut ſæpius ſecedere opus habuerit, unde & virium non ita parvam jacturam fecit, ſummo itaque ſequentis diei mane ſocius ejusdem per litteras me interrogat, an nihilominus Emeticus pulvis ſit ſumendus? & ego conſultum duxi, ut hac vice ſeponatur, materiamque peccantem, quorſum vergit cum Hippocrate ducendam ratus, Rhabarb. uſum eidem commendavi; quod ſumtum ſicut aliquoties adhuc alvum movit, ita & reliqua mala non parum mitigavit: Ex dictis ſicut patet, materiam in morbis peccantem identidem vel levi remedio moveri, uti quidem laudatum Infuſum hoc ſæpius præſtitiſſe memini, ita non ſemper recte in craſtinum præſcribi medicamenta iisdem egregie confirmatur; cum per noctem varia contingere poſſint, quæ medicamenta, quæ hodie ſumme profutura credidimus, minus ſequenti die convenire, ut fateamur, nos adigunt; ubi ergo per alias circumſtantias licet, ſemper tum demum, quando opus eſt, medicamenta ordinet medicus; non parum vero ſibi conſulunt, qui ſi ſecus contigerit, non niſi denuo prius conſulto medico, ea quæ heri præſcripta fuêre, in uſum ducunt, ſicut quidem in præſenti caſu optime factum fuit.

CCV.

Urina nigra à ſanguine grumoſo.

LUdimoderator quidam quinquagenario major, licet ſic ſat bene ſe habuerit, nec ullum dolorem, vel in renum, vel & Veſicæ regione notarit, dum

dum tamen urinam propius adſpicit, eam nigro fere colore tinctam inveniens, ne quid mali ſubſit, metuens, per uxorem mihi mittit, utque mentem meam detegam; rogat; ubi cum hæc ſimul retuliſſet, urinam non ſemper hunc ſervare colorem, ſed interdum naturali ſimillimam excerni, ceteraque quævis nil quicquam habere maritum, de quo queratur, cum ſimul propius inſpexiſſem lotium, ſanguinem grumoſum eſſe, qui tincturam tam triſtem ipſi conciliaverit, nullus dubitavi, huncque ê venula forte fortuna aperta derivans, tum travmatica tum quæ reſolventia dicuntur, medicamenta commendavi; quæ ut omne periculum averſura ſpero, ita ne nimium ſibi metuat, per uxorem eum hortatus fui: Plerumque nempe Urina nigra ſanguini grumoſo originem ſuam debet, unde, ſi præſertim hoc conſtiterit, non eſt, quod tantum ab eadem nobis metuamus, cum mala quæ ſic eandem tinxerunt, interdum haud ita difficulter curentur.

CCVI.

Arthriticæ Urina.

ARrthritica quædam jam diu huic malo ſubjecta, & hinc ipſa experientia docta, remediis præſertim externis illud ſæpius non tam curari & abigi, quam exaſperari, nec interna quoque ſemper, eam, quæ ſperatur, exſerere operationem, hinc non tam, ut ipſis doloribus præſentibus medicadicamenta ſuggeram, quam ut in poſterum avertam, aliquoties me conſuluit; ut vero hoc eo fecilius præſtare poſſim, ipſamet inprimis ſolicita obſervat, quæ malum hoc antecedere ſolent, & illud imminere, quaſi denunciant, inter quæ præcipue notatu digna videntur, quæ heri demum de urina retulit, quod nempe tribus fere, antequam doloribus corripiatur hebdomadis, ea ſemper odorem nauſeoſum, talemque, qualem lac fervens expiret, quem iisdem præſentibus ſtatim mutet, quodammodo magis fœtente, ac quidem, ſi ſanitate omnino integra fruatur, nares ſeriat, & hoc tempore ſedimentum in eadem pituitoſum notari, quod contra doloribus ceſſantibus valde arenoſum exiſtat: non fruſtra ergo urina Arthriticorum inſpicitur, quæ nempe ſicut in intimiorem hujus mali cognitionem nos deducit, ita ſimul, qualia præſertim ad illud arcendum requirantur remedia, ſubinnuit.

CCVII.

Convulſiones Clyſteribus curatæ.

NObiliſſimorum Parentum filiola, cum per octo hebdomadas tam belle valuiſſet, ac quidem recens nata poteſt, inde eo magis Matrem perterruit, cum catarrho ad nares leniori quidem ſubito tamen ceſſante & hinc convulſionibus correpta fuiſſet, quæ ipſam ſic torſerunt, ut nec ſomnum capere potuerit, nec

potiun-

pulticulam comederit, nec eo quo prius appetitu lac maternum ſuxerit, unde ego vocatus Antepileptica quædam tum volatilia tum fixiora præſcripſi, & matri quoque pulverem exhibui, qui ad curam aliquid conferre poſſe, videbatur, at tantum abeſt, ut hæc vel minimum profuiſſent, ut potius ſemper convulſiones frequentius inſtiterint, imprimisque, poſtquam vix â mammis remota fuit, redierint; unde jam in lacte cauſam fere quæſiviſſem, &hinc ablactare eandem juſſiſſem,niſi ſimul indicatum fuiſſet, excernere ægrotulam feces non ſolum valde fœtentes, verum & bile magis ac olim tinctas, & inprimis ſub excretione illarum magnos edere clamores; hinc enim ne vitium in Inteſtinis latitet, ariolari cœpi, & propterea Clyſterem convenientem præſcripſi, & ecce! hoc vix applicato jam quietior evaſit puſilla, eoque, & unâ cum illo pluribus fecibus rejectis convulſiones omnino ceſſerunt; unde ſequenti die hoc tam proficuum remedium iterare juſſi, & quidem Dei gratia, tanto cum fructu, ut ab illo tempore aliis medicamentis non indiguerit, ſed jam iterum integerrima fruatur ſanitate: Et nempe plurimorum morborum Infantilium cauſa omnino in Inteſtinis quærenda, quæ ſi ſic conſtituta eſt, ut mediantibus Clyſteribus evacuari poſſit, hiſce commodius remedium vix datur.

CCVIII.

Tumor manuum pedumque à dentitione.

PRæcipui cujusdam Viri filiolus biennis, cum primo quidem non ſine ſumma moleſtia quidam eidem dentes erupiſſent, dum nempe aliquoties convulſionibus correptus fuit, & omne fere tempus vigilando extraxit, Parentibus non exiguum injecit metum, ut hiſce malis vix ſit ſuperfuturus, cum præſertim diu admodum inſtitiſſent; at cum poſtmodum dentibus quibusdam luci expoſitis tam bene ſe habuiſſet, ut non ſolum quibusvis actionibus naturalibus obeundis ſuffecerit, verum & pinguefactus fuerit, novam conceperunt ſpem, & hinc eo magis perterriti fuerunt, cum vix quibusdam menſibus elapſis toto corpore intumeſceret, manusque inprimis ſic inde diſtenderentur, ut earum uſu plane deſtitutus fuerit, incedere etiam minime potuerit, unde accedente difficillima quoque reſpiratione, & hanc comitante febre, ut ego conſilio adeſſem, rogatus fui; & præſcriptum purgans Dei gratia tantum profuit, ut illa adhuc veſpera manus detumuerint, & longe facilius reſpirarit; unde jam cum nobiliſſima mater UniCornu marin. exhibuiſſet, ego Tinctur. Bezoart. & Elix. Aper. uſum commendavi, quibus & calor febrilis Dei gratia extinctus fuit, jamque convaluiſſe videbatur; at brevi poſt tumor manuum pedumque redibat, unde jam huic pulv. ex Specif. Cach & Radic. Jalapp. reſ. n. oppoſui, qui tam feliciter ſerum extravaſatum eduxit, ut brevi, Deo ju-

vante convaluerit; Utut nempe plerumque tumores â dentitione ſuborti periculoſi ſint, non tamen ſemper hoc de iisdem aſſeri poteſt, quod tum inprimis hactenus notavi, quando medicamenta fruſtra in uſum non fuere ducta, inter quæ purgantia primum fere locum obtinere, præter modo adductam plures obſervationes teſtantur.

CCIX.

Dentitionem promovens ſuperſtitioſum remedium.

CUm hunc puerum ultimo viſitarem, virgo quædam cognata præſens retulit, ſororem ſuam jam aliquot liberos, cum dentire inceperint, amiſiſſe, & hinc plures, ſi remedium ſciant, ut hoc communicent, rogaſſe, interque has quandam ſuaſiſſe, ut recens nato tres primas pulticulas ſuper igne ex ramulis & ſurculis Juniperinis coqui curet, tum enim ſine dubio felicius ſucceſſuram dentitionem, meq; interrogavit, quid mihi de hoc remedio videretur? at ego ſtatim illud ſuperſtioſum nominare non dubitavi, quod ſicuti numerus ternarius quo inprimis multi hoc modo abutuntur, prodidit, ita & inde conſtat, quia, quomodo hic ignis promovere dentitionem in recens nato poſſit, nulla plane ſubeſt ratio, cum ſi vel maxime volatilibus ſuis particulis pulticulæ forſan communicatis aliquid conferret, hæc vis tamen minime ad tempus uſque, quo dentes erumpere ſolent, ſe extenderet: nihilominus vero plerumque hæc remedia vel præſtantiſſimis â medicis ſuaſis anteferuntur, hincque ê re illorum interdum eſſe poteſt, ſi eadem eos non prorſus lateant.

CCX.

Fœtus pedum in utero ſitus perverſus.

CUm obſtetrices ordinario modo conveniſſent, monitæ, ut ſi quid notatu digni hactenus contigiſſet, referrent, una ex illis narravit, ſe ante quasdam hebdomadas adſtitiſſe cuidam abortum facienti, quæ fœtum quinquemeſtrem fere rejecerit, cujus in lucem editi pedes cruciatim ſibi invicem annati fuerint, quod cum alia, quæ itidem hanc fœtum viderat, confirmaſſet, an nullo modo â ſe invicem disjungi potuerint pedes? interrogavi, imo, reſpondit, illa, quæ hiſtoriam orſa fuerat, Pater fœtus hoc tentavit, & tandem licet non absque vi quadam eosdem ſejunxit, cumque an & cutis rupta fuerit inde? interrogando perrexiſſem, & illa negando reſpondiſſet, non tam annatos ſibi invicem quam propius conjunctos fuiſſe, pedes conſtitit; licetque hic fœtus ſitus omnino vitioſus ſit nominandus, ſineq; dubio ipſi, ſi vixiſſet, nocuiſſet, ita tamen non pauca ſubinde â mulierculis plane aliter ac revera ſe habent, deſcribi, facile ex dictis colliges, hincque niſi in omnia prius ſedulo inda-

dagaveris, fidem ejusmodi narratis vix præbebis, multoque minus aliis eadem communicabis.

CCXI.

Monſtrum fictitium.

MUlto minus vero rumori fidendum, qualis nuper totam noſtram urbem pervagabatur, & forſan ad exteros quoque delatus fuit, Mulierem nempe quandam, quæ per aliquot menſes, ab iis etiam, quorum judicium in ſimili cauſa requiritur, pro gravida habita fuit, unde & ſupellectilem hunc in finem ornatiſſimam collegit, ancillam conduxit, & omnia, quæ opus eſſe videbantur, in ordinem redegit, cum tempus partui dicatum præteriiſſet, menſesque ad minimum bini ſuper illud præterfluxiſſent, edidiſſe monſtrum horrendum, duodecim in facie oculis conſpicuum, ſex pedibus præditum, manibus vero carens, & ſe ipſum in cunis erigens, ingredientesq; adſpiciens; quod nonnulli tam certo aſſeruerunt, ut vix mirandum ſit, quosdam credulos iisdem fidem adhibuiſſe, cum vero & mihi unus alterve dicta narraſſet, obſtericem, qua hactenus uſa fuit, propterea interrogavi, quæ, quia idem rumor & ad ſuas aures delatus fuerat, nuperrime eandem viſitaverat, & ſi ejuscemodi quid ſucceſſiſſet, ut detegeretur, ſumme rogaverat; uti verò ægrota hoc pernegavit, ita tum abſentiâ monſtri, tum abdomen inprimis ſicut olim quin magis extenſum ſic ab ejusdem partibus ſteterunt, ut falſiſſimam fuiſſe famam, abunde conſtiterit; qua in ſententia me magis confirmavit medicus ejusdem ordinarius, cum paulo poſt coram ipſo hujus rei mentionem injeciſſem, qui aut mola aut ovarii hydrope laborare eam, indicavit: nunquam itaque & talibus rumoribus nimium fidas, niſi tum falli tum fallere alios volueris, quod non raro contingere, ego quidem nullus dubito, & hunc in finem jamjam adducta produxi.

CCXII.

Eryſipelas ab animi affectibus.

VIrgo quædam viginti & quod excurrit annorum, cum haud ita pridem Mater ejusdem in morbum periculoſiſſimum incidiſſet, ſubito pedes male ſe habere cœpit, laſſitudinem in illis tantam notans, ut & inſiſtere iisdem vix ulterius potuerit, inſpiciensque propterea partem affectam, & colore rubro fuscoque tinctam inveniens propterea meum conſilium rogavit, & ego ſtatim, quomodo qua menſes ſe habeat? interrogavi, quos cum per biennium & quod excurrit obſtructos accuſaſſet, â ſanguinis motu in iisdem hac de cauſa impedito recenſita mala derivanda eſſe, in principio credidi, & hinc jam de martiato quodam medicamento cogitavi; at cum poſtmodum, ut eo cer-

tior ſententiæ meæ fierem, pedes etiam inſpexiſſem, & tumorem eryſipelaceum eſſe, qui illos occupet inveni, unde jam huic inprimis dicata remedia commendavi; Tinct. nempe Bezoarticam, quæ merito hîc aliis præfertur, ad gtt. xxx. ſumendam, & farinam hordei exterius inſpergendam, quæ & Dei gratia ſic profuere, ut brevi pedes in priſtinum fuerint reſtituti ſtatum; Sicuti vero hæc virgo nunc Matre ſic affecta hoc malo correpta fuit, ita ante annum & quod excurrit, beato ejusdem Patre in agone conſtituto illud ipſum incurrit, ſicque egregia eſt teſtis, quod animi affectus interdum & Eryſipelas producunt.

CCXIII.

Hepati falſo adſcriptus oculorum dolor.

VOcatus hiſce diebus ad cujusdam Mercatoris Uxorem, de dolore oculorum inprimis urente admodum conquerentem, cum urgente præſertim marito, in cauſam mali diligenter inquiſiviſſem, aliundeque quam â ſanguine acriore & peregrinis ſalibus abundante, quæ in ſpiritibus depauperato illo, ob crebiores per uterum profuſiones facillime colligi potuerunt, commode derivari non poſſe, cenſens, hincque non tam in externis quam internis ſanguinemque corrigentibus remediis auxilium quærendum eſſe judicans, ſerio me interrogarunt, quid de hepate mihi videretur? cumque hoc innocenter hic accuſari, reſpondiſſem, regeſſerunt, non ita pridem Virum quendam alterius quidem profeſſionis at doctum aſſeruiſſe, in hoc ſolo omnem mali cauſam eſſe quærendam, ſe enim nullum dubitare, quin illud dimidia ſua parte ſit induratum, hincque ſanguis ex parte ſana ad illam appellens & tranſitum non inveniens in toto corpore turbas moveat, inprimisque ad oculos delatus, dolorem de quo queratur, excitet; at ego ne aures præbeant, ejuscemodi falcem in alienam meſſem mittentibus hominibus rogavi, longe enim alia eſſe ſigna, quæ hepar affectum denuncient, quam quæ quidem nunc obſerventur: Utinam vero judicium ſuum magis ſuſpenderent artis medicæ ignari docti, cum enim vulgus illud nihilominus magnifaciat, hinc interdum perverſa quædam ſententia tam firmiter menti ejusdem imprimitur, ut deinde nulla arte eripi eidem denuo poſſit: tam facile vero hepatis mala non dignoſcuntur, quin vel ſubinde medicis non parum negotii faceſſerent, quomodo ergo de iisdem artem non callentes judicabunt?

CCXIV.

Fonticulus puerulo parum conferens.

FIlii opthalmia laborantis & hinc non ad quosvis labores idonei cum nuper coram honoratiſſimo Domino Collega mentionem feciſſem, is recenſuit, ſe habe-

habere filium, qui quarto fere ætatis anno tam graviter hoc malo laborarit, ut aliquoties de viſu ejusdem actum eſſe, metuerit, cumque præſertim malum ſemper exaſperatum fuerit, quando dens novus eruperit, inde quidem originem ſuam præcipue malum traxiſſe, nullum unquam ſuperfuiſſe dubium, at quoniam vel dentibus jam luci expoſitis nihilominus nunquam plane ceſſaverit malum, ne graviora ſubſequerentur, ſe quam plurima adhibuiſſe remedia, quin tandem ad generoſa quoque ſe deveniſſe, & vix quadriennis brachiolo fonticulum inuſiſſe; utut vero hic non parum puris fuderit, levamentum tamen quod ejusdem inuſtionem ſubſecutum fuerit, tam exiguum extitiſſe, ut non ſolum qua oculos melius ſe non habuerit, verum & difficilis reſpiratio, quæ ſimul puerulum ſubinde noctu præſertim tantum torſerit, ut fere eum ſuffocarit, eodem ut olim modo inſtiterit, unde, cum per integros ſeptem annos ſic fruſtra aluiſſet hoc ulcuſculum artificiale, tandem ſe cicatricem inducere, locoq; hujus capillos aliquoties reſcindere, juſſiſſe, quod mala memorata ſic Dei gratia imminuerit, ut jam eorum vix quædam memoria ſuperſit, niſi quod pueri incrementum fonticulum impediviſſe, totus fere credat: Sunt nempe pertinacia admodum mala quæ dentitioni originem ſuam debent, nec facile niſi hac finita ceſſant, unde & vel generoſa remedia non ſemper juvant, in quæ tamen, ne quicquam intermiſiſſe videamur, interdum conſentire poſſumus; cum & huic puero haud adeo moleſtum extitiſſe fonticulum, laudatus ejusdem Pater retulerit, & aliis non parum profuiſſe conſtet, & ego quidem ſi præſertim in ejuscemodi malis Veſicatoria profuêre, fonticulum quoque ſuadere non dubitarem, licet hactenus hujus rei experientiam faciendi occaſio defuerit.

CCXV.

Neptes avias facie referentes.

NOvi ego hîc binas puellas, quæ facie non tam Patrem nec Matrem, ſed avias tam exacte referunt, ut, niſi hoc certius nôſſem, has potius quam illas pro matribus habuiſſem, niſi præſertim & aviæ ætate jam majores eſſent, quam ut liberis adhuc progignendis ſufficerent; duplici vero de cauſa hæc ut producerem, digna judicavi, quarum altera eſt, quod nullus dubito, quin eos, qui accuratius in generationis humanæ negotium difficillimum ſane cognitu, & ſumme latens inquirunt, quodammodo juvare poſſint; altera vero, quod par ratio mihi ſubeſſe videtur, qua tum hæc formæ ſimilitudo, tum morbi quoque ſubinde in neptes derivantur.

CCXVI.

Aſthma hypochondriacum pene ſuffocans.

VIr quidam Illuſtris prope ſexagenarius, hypochondriacus cum catarrho laborans corpus aëri frigido expoſuiſſet, inde tam difficili reſpiratione correptus fuit, ut non niſi difficilime domum redierit, ubi quidem quodammodo malum mitigabatur, at cum brevi poſt corpus non ita multum moviſſet, malum tanta cum vehementia rediit, ut ipſemet de ſuffocatione ſibi metuerit, unde præter medicum ejusdem ordinarium, ego quoque in conſilium vocatus fui; & ambo nos, cum Spiritus ✳ci interea ê pharmacopolio allatus & exhibitus fuiſſet, eum aliquanto melius ſe habentem invenimus, quia vero nihilominus de difficillima reſpiratione conquerebatur, Clyſter brevi applicandus ordinatus fuit; pulveresque item & ſpiritus præſcripti alternatim in uſum ducendi; ubi, cum poſt noſtrum diſceſſum malum ſemper magis remittere videretur, Clyſterem quidem ſepoſuit, at reliqua eo diligentius in uſum duxit; at ſeu pulverem ſeu ſpiritum ſumſerit, ſemper tamen inde malum non tam imminutum quam auctum fuiſſe videbatur, unde & paulatim tantum incrementum ſumſit, ut media nocte me vocaverit; illicoque accedens ego ipſum ſuffocationis periculo tam propinquum inveni, ut remediis tam fruſtra ſumtis, in Viro viribus adhuc conſtante, nec prorſus non ſanguineo, Venæſectione opus eſſe judicaverim, quam tamen niſi conſentiente medico ordinario inſtituere, minus conveniens ratus, ut illico mitterentur, qui Ejus mentem explorarent, rogavi; quod dum fit, Dominus æger alvum apertum iri, indicat, & hinc ad ſellam ſe confert, dum vero melius ſe habere putat, animi deliquium ſupervenit, quod ipſum voce ſenſuumque uſu ſic exuit, ut mortuo ſimilior quam vivo extiterit; unde præter Uxorem ejusdem & me nemine præſente, nobisque eidem adſiſtentibus, & ne caderet, tenentibus, non habuimus, qui vel medicamentum peteret, vel &, quæ erant ad manus, porrigeret, hinc chartam è ſacco petitam accendi, & naribus illius obverti, hincque vitæ adhuc præſentis ſigna quædam edidit, clamoribusque noſtris excitati, qui in ſuperiori domus contignatione habitabant, accurrerunt, & tum lectum in terra juxta eum ſtraverunt, tum una mecum in illo ipſum collocarunt, tum quædam medicamenta attulerunt, unde quidem parum ſe collegit; at quia aſthma inſtabat, pulſus in arteriis nullus notari poterat, & medicamentis tum volatilibus tum fixis parum proficiebatur, ea adhuc nocte miniſter Verbi Divini & medicus ordinarius vocati fuere; ubi quidem, dum coram Illo peccata confitebatur, tuſſis supervenit, quæ aliquoties in hoc tam arduo opere ipſum interpulit, Dei gratia vero eodem perfecto, & S. Cœna exhibita, pulſus iterum ſe exſeruit, unde Clyſtere jam applicato & rejecto, ipſoque ſemper,

ſemper adhuc de ſuffocationis metu querente, Venæſectio adminiſtrata fuit, qua mediante ſanguis ſubtractus nullo quidem notatu digno vitio oculis patente contaminatus erat, at nec poſt hoc remedium multo melius ſe habuit, transferri tamen in lectum ſuum conſuetum potuit, & pulſus ulterius non intermiſit, ſequentique die cum multum materiæ peccantis in primis viis quoque latitare, crederetur, purgans etiam Potiuncula exhibita fuit, quæ utut alvum moverit, reſpirationem tamen parum promovit; unde communi conſilio Mixturam præſcripſimus ex præcipitantibus ſic conſtantem, ut nihilominus Sal Vol. Ol. Sylv. etiam adjectum, & parum opii additum fuerit, hæcque Dei gratia tantum profuit, ut paucis aliis interpoſitis brevi facilius reſpirarit, & hinc me exhibito honorario liberali, dimiſerit, ſub cura ordinarii medici poſtmodum priori ſanitati integrè reſtitutus: Catarrhis laborantes cautius hinc mercari diſcant, & iisdem vexati aëri præſertim frigido incautius ſe non exponant, ſi præcipuè ſint teneræ conſtitutionis, & ejusdem injuriis ferendis minus idonei, cum in hoc morbo promovendo illum plurimum contuliſſe, ego quidem nullus dubitem.

CCXVII.

Digitus pedis maximus in Sene læſus.

SEnex quidam venerandus, in ſumma ſenectute Dei gratia integerrima fruens ſanitate, morborumque inſultibus feliciter defunctus, illis non ſemper periculo vacantibus tantum perterritus tamen non fuit, ac quidem cum nuper digito pedis dextri maximo laborare incepiſſet, cumque hujus unguis cutis, ea parte, qua terminatur, primo durior evaſiſſet & fiſſuras quaſi nacta fuiſſet, dum enim hanc removere conabatur, læſa primo quasdam ſanguinis guttas fudit, hincque per aliquot dies tantum ſeri per ipſam hanc partem excernebatur, ut tibialia inde ſemper multum humectata fuerint, quoniamque per aliquot dies diligentiſſime licet ab Uxore fidiſſima tractatus digitus ſemper antiquum obtinebat, me tandem propterea conſuluit; ubi cum hactenus Emplaſtro albo cocto uſus fuiſſet, huic Ceratum Diapalmæ ſurrogare juſſi, quod quidem in principio tantum profuit, ut jam ſerum in longe minori quantitate profluxerit; at doluit nihilominus pes, & carne in parte affecta luxuriante ſeri fluxus iterum auctus fuit, quin digitus jam aliquantum intumuit, unde illi præſertim Balſamum Peruv. illinere juſſi, quod utut dolores auxerit, carnem tamen abſumſit, quæ abſumenda fuerat, unde ejusdem uſus iterum ſeponebatur, jamque omnia ſic ſat bene ſe habebant, niſi quod ſeri fluxus ſemper inſtiterit, utut parcior, moleſtus tamen juxtaque ſuſpectus, hunc ergo ut inhiberem, filamenta lintei diſcerpti imponere parti affectæ juſſi, quod & Dei gratia tam feliciter ceſſit, ut per tres ferè hebdomadas continuato, hoc modo

deli-

deligandi digiti ulcus plane coaluerit, optimusque ſenex ab omni metu liberatus fuerit: Noverat quippe hic pluſculas hiſtorias illorum, in quibus pedibus ſic affectis peſſima quæque mala ſubſecuta fuerunt, hincque metum non adeo injuſtum fovit; at, modo rite tractentur, medicusque & hic non tam magiſtrum quam miniſtrum naturæ agat, & hæc mala curari poſſe, modo legiſti.

CCXVIII.

Urina tinctior metum injiciens.

VIdua quædam nobiliſſima, cetera quidem Dei gratia ſat bene ſe habens, cum tamen urinam valde tinctam notaſſet, ne quid mali ſubſit metuens, vitæ amantiſſima, me propterea conſuluit, cumque retuliſſet, appetitum non eſſe proſtratum, ſe bene dormire, nec qua ceteras actiones defectum notatu dignum ſe notare, alvum inſuper, quantum requiratur, apertam eſſe, egoque noſſem, alias cum malo hypochondriaco eandem conflictari, Potiunculam, cujus præcipua ingredientia Specif. Cach. Ludov. & ⊖ Volatil. oleoſ. erant, præſcripſi, Vinumque quod metu febris ſepoſuerat, continuare juſſi; unde licet tam bene Dei gratia ſe habuerit, ut & prodire in publicum potuerit, urina tamen antiquo colore conſpicua, metum â malo imminente non depoſuit, unde ego ⊖ Volat. dicti guttas viginti mane & veſperi ſumere eandem juſſi, urinaque hinc priorem colorem acquirente jam omnis metus diſcuſſus fuit; Utut autem hæc potius laudem mereatur, quod fere nimium ſolicita fuit, dum forſan, niſi ſic principiis obſtitiſſet, morbus quidam ſubſequi potuiſſet, non ſemper tamen urinam tinctiorem morbos prænunciare, vel olim jam exemplo probavi.

CCXIX.

Elixir Aperitivum purgans.

MAtrona quædam Nobilis, ſæpius doloribus Arthriticis vexata, ſemper id mali quoque habuerat, quod niſi alvum medicamentis vel ſaltem alimentis medicamentoſis ſolicitavit, eadem per pluſculos dies officio ſuo non reſponderit; hincque cum ante bimeſtre fere denuo doloribus hiſce manum ſiniſtram præcipue occupantibus corriperetur, jam & de hoc malo ſolicita fuit, at nunc fruſtra omnino, alvo jam magis quam unquam aliâs aperta; quoniam vero nihilominus de nauſea & quodam gravativo ventriculi dolore conquerebatur, Rhabarb. nobil. uſum eidem commendavi; ſed cum hoc ſumſiſſet, toties alvum ſmovit, ut, niſi ipſamet per ſuas in pulverem redigi & exhiberi ſibi curaſſet, annon aliud medicamentum ſurrogatum fuerit? dubitaſſet, nec nauſea inde ſic ceſſavit, quin identidem adhuc tam moleſta fuiſſet, ut &

quorun-

quorundam ciborum odorem vix ferre potuerit, hacque de cauſa jam Elix. Aper. Clauderi eidem præſcripſi, cujus triginta guttas cum ſumſiſſet, hæ quoque tantas in corpore turbas moverunt, quantas ſanæ vel vehementiſſima pro ſua conſtitutione purgantia vix movent, hincque continuare ejusdem uſum non fuit auſa, cum præſertim ſingulis diebus bis terve ſponte alvum apertam haberet; Salia nempe peregrina in artubus dolores producentia ſine dubio in motu ad inteſtina conſtituta, ſtimulata magis â leniſſimis medicamentis inteſtina ſic irritarunt, ut ſæpius ac aliâs materiam peccantem depoſuerint, nec vero nocere poſſunt ejuscemodi alvi fluxus Arthriticis, cum id quod lædit ſic evacuatum in poſterum artubus inſidiari non poſſit.

CCXX.

Abortus Gemellorum â terrore.

MUlier quædam honeſta ſeptimo fere menſe gravida, cũ forte fortuna nilq; minus cogitans vidiſſet puerum portatum ab amicis & in capite ſic læſum ut cerebri quædam pars propenderit, unde & is brevi poſt in mortis prædam ceſſit, inde adeo perterrita fuit, ut illa adhuc nocte abortierit, & quidem Gemellos in lucem ediderit, quorum primus tam parvus extitit, ut vix pro ſeptimeſtri haberi potuerit, alter vero hoc tanto minor, ut an uno eodemque tempore concepti fuerint, dubitari potuiſſet? ambo tamen vixerunt, & hinc S. Baptismate tincti fuerunt, at paucis horis poſt ærumnoſam hanc cum meliori vita commutarunt, ſic ut primo quidem ſecundò genitus & minor, hinc vero & is qui primus lucem adſpexit, fatis ceſſerint: Quantum autem noceat terror gravidis, hæc obſervatio confirmat, hinc quo magis ſibi ab eodem caverint, eo magis ſibi ſuisque fœtibus conſulent.

CCXXI.

Vomitum antecedentia gravia mala.

SArtor quidam, jam per pluſculos menſes facile ira efferveſcens, & bilis in motu ſuo interturbatæ indicia in facie quoque colore flavo ſuffuſa exhibens, quia tamen nihilominus appetitu valebat, & laboribus ſuis præerat, tantum abeſt, ut propterea, quantum quidem debuiſſet, ſolicitus fuiſſet, ut potius gulæ ſæpiuſcule indulgendo malum neſcius quidem auxerit, unde aliquando contigit, cum carnem ſalitam in magna quantitate comediſſet, hincque cereviſiam in non minori quantitate ſuperbibiſſet, & domum rediens nihilominus cœnaſſet, ut ſanus, qualis ſuis & ſibi ipſi videbatur, lectum petierit, ſub mediam vero fere noctem evigilans tantam anxietatem perſenſerit, ut nec verbum quidem proferre potuerit, geſtibus autem, ſuſperiis & totius corporis jectigatione inconſueta, abunde, quam male ſe habeat, indicarit, quin

hæc mala in tantum aucta fuiſſe Uxor retulit, ut & convulſiones acceſſerint; de quibus tamen ego dubito, cum ſuperveniente vomitu ea quævis ſic remiſerint, ut iterum fari inceperit, & inprimis quidem de ventriculo conqueſtus fuerit, deductusque ê cubiculo in hypocauſtum ſæpius adhuc vomuerit, hincque uxorem permoverit, ut ſummo mane me vocaverit, & ego accedens aliunde quam â vomitu morbum ejus derivare non potuerim, hincque non habere, quod â periculo ſibi metuant, fidenter edixerim; licetque Potiunc. â me præſcriptam laxantem etiam vomitu rejecerit, quoniam tamen cereviſiam ſub meridien potam retinuit, tormina non percepit, & ſumtæ Pilul. Emanuel. in tempore alvum moverunt, inde Dei gratia tam bene ſe iterum habuit, ut ſequenti die, niſi domeſtici impediviſſent, in publicum prodiiſſet; â quorum partibus poſtmodum & ego ſteti, utque bilis inprimis corrigeretur, Electuar. martiatum præſcripſi, quo non absque inſigni fructu ſe uſum fuiſſe teſtatus fuit, utque continuet, hinc ego monui; ſæpius nempe jam in obſervationibus meis legiſti, vomitum antecedere ſæpe mala, quæ ignaris metum injiciant, quem tamen, niſi alia ſymptomata juſſerint, ne medicus etiam foveat, hæc una cum iisdem docet.

CCXXII.

Gallinarum Ventriculi feliciter aperti.

MAterfamiliâs quædam prudens juxta & ſedula, cum nuper mentio facta fuiſſet Gallinarum minus bene ſe habentium, narravit, quod ante aliquot annos aluerit ancillam, quæ tantum dilexerit has aves, ut, cum aliquando quandam male ſe habentem vidiſſet, & in Ventriculo cauſam latitare credidiſſet, ut eam juvaret, hunc cultro aperuerit, contenta evacuarit, & ipſum Ventriculum elotum loco ſuo reſtituerit, vulnusque conſuerit, hocque tam bene ceſſiſſe, ut prima convaleſcente poſtmodum aliquoties in aliis eandem curam eadem felicitate tentarit, & mortem, in cujus prædam aliâs ſine dubio ceſſiſſent, averterit: Sine dubio vero hæc ingluviem aperuit, cui Ventriculi nomen merito tribui, eleganter defendit Pejerus, & in qua cibi, ut in huic contiguo Ventriculo eo melius ſeparentur, præparantur: licet vero ejuscemodi quid in homine tentare vix poſſimus, quam ſæpe tamen audaces fortuna juvet, & quod omnino interdum aliquid ſit audendum, hac cura egregie confirmatur.

CCXXIII.

Abortiens temeritatis pœnas luens.

MUlier quædam ruſtica per bimeſtre & quod excurrit gravida, cum neſcio qua de cauſa abortiiſſet, licet cum fœtu & ſecundinam & multum ſanguinis

guinis grumoſi depoſuerit, nihilominus tamen paulo poſt inſignem quoque ſanguinis fluidioris quantitatem per has vias perdidit, indeque tantum debilitata fuit, ut per biduum in lecto ſe detinere opus habuerit; quoniam vero hoc vix exacto ad labores ſuos ruſticos rediit, & hinc aeri tum adhuc frigidiori corpus expoſuit, febre puerperali correpta, quæ, utut mulierculæ varia ſua remedia oppoſuerint, indies tamen augmentum ſumſit, & tandem eam ſic proſtravit, ut nec per momentum temporis extra lectum degere potuerit, quod maritum permovit, ut meum propterea conſilium expetierit, ubi quidem perpenſis quibusvis circumſtantiis, in motu adhuc fuiſſe ſanguinem per uterum exitum parantem, huncque ab aere fridido impeditum & hinc regurgitantem dicta mala excitaſſe, judicavi, & hinc quæ hunc motui ſuo reſtituere poſſunt, præſcripſi medicamenta; diſcant vero mulierculæ & quorum intereſt, ne abortus parvi habeantur, ſed ut & poſt illos ſedula corporis cura geratur, quam nonnunquam majorem ac poſt puerperia requiri, plures quidem fatentur, at pauciores obſervant; unde novum non eſt, quod, utut abortus per ſe minus periculoſus extitiſſet, tali tamen negligentia morbi ſubinde accerſuntur, qui niſi mortem accelerent, difficillime tamen curantur.

CCXXIV.

Capillorum Cincinnus à reliquis differens.

Cincinni illius capillorum ab unguento brevi caneſcentis quinto linearum mearum medicarum anno deſcripti cum forte fortuna coram matrona quadam honeſta & fide digna mentionem feciſſem, illa narravit, beatum Patrem ſuum egregiam & flavi coloris comam aluiſſe, ſed excreviſſe ſimul cincinnum albi coloris, quem quoties barbam totonderit raſor, reſcindi curaverit, ne nempe reliquam Comam deformaret, inde vero hos ipſos capillos tantam acquiſiviſſe duritiem, ut ſetarum nomen meruerint, ceterum autem nullum prorſus incommodum eidem attuliſſe, hunc diverſi coloris cincinnum, nec unquam eo reſciſſo illum pejus ſe habuiſſe, unde ad Plicam eundem referri non potuiſſe conſtat; curioſioribus interim & pilorum ſcrutatoribus hæc quoque anſam quandam meditandi ſuggerent.

CCXXV.

Scabies in ungues usque ſe extendens.

JUvenis quidam ruſticus pecudis in pago Seerſtetten / cuſtos, cum jam per aliquot annos pruritu valde moleſto vexatus fuiſſet, & varia remedia illi fruſtra oppoſuiſſet, dum nec balneis, quibus ſæpius corpus immerſit, quicquam profecit, & poſt ſcarificationem itidem malum non tam mitigatum quam auctum ſenſit, calorem præſertim externum ferre nullo modo potens, tandem

Hippiatrum quendam celebrem conſuluit, qui malum ſuo judicio majus judicans illum ad me miſit; ubi cum omnia attentius conſideraſſem, ſcabiem quidem ab alia inveterata & perverſa multum differentem non inveni, niſi quod artus ſolum occupare teſtatus fuerit; at inprimis notatu dignum erat, quod pleroſque digitorum ungues ſic corruperit, ut albi plane, nec minimum pellucidi ut alias extiterint, nec cum uno alterove adhuc ſanis convenerint, unde, cum, niſi decens cura inſtituatur, eum propediem leproſis annumerandum eſſe, judicaſſem, ſe ipſum hoc credere, ſubjecit, ſimulque eo magis remedia convenientia expetiit; cum vero, non niſi domi ſe teneat, curam inſtitui poſſe hic requiſitam, percepiſſet, eam in futuram hyemem diſtulit; interea tamen ut ſaltem levamen quoddam acquireret, pulverem ſerum exturbantem eidem præſcripſi, ſicque eundem dimiſi: notatu autem dignum videtur quod & ad ungues usque ſcabies ſe extenderit, quod mihi quidem ſicuti inſignem humorum depravationem, ita malum pertinaciſſimum indicare videtur.

CCXXVI.

Purgans lene vehementer purgans.

PUer quidam jam diu ulceribus laborans tum manus tum pedes occupantib⁹, adeo omnem curam reſpuentibus, ut per pluſculos annos fruſtra viſitaverit & deligaverit eum chirurgus, tandem ruſtico quodam unguenta & Emplaſtra ſuggerente eadem quidem pleraque coaluêre, & parum adhuc ſeri fudêre, at cetera male admodum ſe habere cœpit, dum non ſolum capitis dolore inſigni tortus fuit, ſed & difficilius reſpiravit, & tota facie expalluit, nec extra lectum ſe tenere potuit; unde jam meum conſilium rogarunt ejusdem honoratiſſimi Parentes, & ego purgante inprimis opus eſſe nullus dubitans, tali tamen, quod per vices materiam peccantem exturbaret, aliquoties pulverem ex martis crudi & Radic. Jalapp. reſ. nigr. ana ſcrupulo dimidio conſtantem eidem exhibere juſſi, quatuordecim jam annos nato, & olim Mag. hujus radicis granis ſex non ita ſæpe purgato; verum enim verò cum primò hunc pulverem ſumſiſſet, non ſolum vigeſies is alvum ſed & toties vomitum movit; unde mirum quantum debilitatus fuit, nec perſuaderi potuit, ut pulverem hunc continuarit, cum præſertim & ego ab ejusdem partibus ſtetiſſem, & aliud medicamentum ordinaſſem: Confirmatur autem hac obſervatione, quam parum certi ſimus operationis purgantium, quantumque famæ ſuæ conſulat, qui propterea certi quid de eadem prædicere nunquam ſuſtinet.

CCXXVII.

Febris continua volatilibus inprimis cedens.

VIdua quædam prope ſexagenaria, variis ærumnis atque miſeriis expoſita, cum victum è lautiore in tenuem & vilem paulatim quidem mutaſſet, hunc tamen melius ferme priore ferens, convivio bis terve excepta pejus ſe habere cœpit, quin acute febricitare & tantum proſterni, ut in lectum ſe conferre opus habuerit; licetque remedia quædam laudatiſſima adhibuerit, tantum tamen abeſt, ut inde vel minimum percepiſſet levamentum, ut potius indies majores moverit querelas, quod filium natu-maximum permovit, ut urina miſſa conſilium meum expetierit, quæ cum cum relatis conveniret, acute ipſam febricitare judicavi, & hinc remedium quoddam hiſce febribus dicatum præſcripſi; ſeu vero hoc in uſum duxerit, ſeu priora continuarit, melius inde ſe non habuit; unde tandem ut ſe quoque viſitarem, per ancillam rogavit, & accedens ego magis in ſententia mea confirmatus fui, cum pulſus itidem calorem p. n. detexiſſet, qui ſimul me certiorem reddidit, vires oppreſſas potius quam reſolutas eſſe; unde jam abſente medico ejusdem ordinario Volatilibus medicamentis opus eſſe judicans, ⊖ Vol. Oleoſ. decentem quantitatem Potiunc. Alexipharm. immiſcere juſſi, poſt quam ter ſumtam ſic ſe habuit, ut eadem hæc Potiuncula Illo conſentiente, iterata fuerit; nec fruſtra, Dei gratia enim febris ſemper magis remiſit, tandemque ſic extincta fuit, ut illius nec minimum quidem indicium ſuperfuerit, niſi quod vires tam cito, uti quidem ſperaverat, non collegit, at & hæ paulatim rediere, ſic ut exactis non ita multis diebus integre convaluerit; In tempore nempe data Volatilia multum proſunt, inprimis quando conſtat vires eſſe oppreſſas, licet ſi & deficiant, non prorſus non conveniant, cautius tamen tum ſunt exhibenda, ut & in quibusdam aliis caſibus, quorum alibi fuit facta mentio.

CCXXVIII.

Braſſica muriata præ reliquis cuidam conducens.

VIr quidam Illuſtris, à morbo diuturniore convaleſcens, cum aliquando iterum magis de abdominis inflatione conquereretur, mihique relatum fuiſſet, illum braſſicam muriatam comediſſe, in hac forſan hujus inflationis cauſam non ita male quæri, judicavi, & hinc ut in poſterum, donec integrè convaleſceret, ab ea abſtineret, decenter rogavi; quod & ſe obſervaturum promiſit, ſimul tamen retulit, ſe, uti ſemper probe notet, quomodo poſt ſingulos cibos ſe habeat, ita nunquam poſt hunc ipſum ſumtum tantum incommodi ſe percepiſſe, quantum quidem percipiat, quando aut braſſicam hanc ipſam recentem & cum butyro coctam comedat, aut inprimis eam, quæ criſpa nomina-

tur, in uſum ducat, hanc ipſam enim tam ſæpe jam ſibi nocuiſſe, ut fere penitus ab ea abſtineat: Non tam depravari nempe quam corrigi braſſicam ſale & ceteris, quæ adjiciuntur, quando muriatæ nomen acquirit, nullum quidem eſt dubium, eo magis tamen convaleſcentibus propterea non conducit, unde & hunc, ut aliquamdiu â menſa ſua exulare jubeat, iterum rogavi.

CCXXIX.

Mictio cruenta interdum diu remittit.

MAtrona quædam honeſta, prope ſeptuagenaria, obeſa, utut Dei gratia cetera pro tanta ſenectute & corporis mole ſit ſat integra fruatur ſanitate, ſicuti tamen jam per plures annos doloribus lumborum ſiniſtram partem occupantibus interdum non parum torquetur, ita quod ren præſertim illius lateris ſit affectus, & aut calculum in ſe contineat, aut ulcere quodam erodatur, vel exinde conſtat, quod doloribus his præſentibus urinam omnino cruentam atque purulentam reddit, quæ tamen mictio aliquoties ſponte ceſſavit, & interdum etiam poſt medicamenta quædam inprimis terebinthinata in uſum ducta remiſit, & quod notatu dignum eſt, ſæpius per aliquot menſes ſic remittit, ut ex urina per hoc temporis ſpatium emiſſa eam rene laborare, nullo modo judicare poſſes, cum præſertim & dolor vix ullam moleſtiam concitet; dantur nempe mala quædam, quæ utut in corpore præſentia non ſemper tamen eodem modo nos afficiunt, ſed identidem per bene longum temporis ſpatium quaſi quieſcunt & dormiunt, non tamen propterea nulla prorſus eorundem eſt gerenda cura, ſed & hîc tempore pacis de bello cogitandum, niſique medicamentis convenientibus in totum abigi poſſint, ne tamen ullo modo ſuſcitentur, ſedulo ſemper cavendum eſt: Hi vero præcipui ex illis ſunt, qui opus habent medico ordinario, quem hæc mala non latent, nam niſi & hoc modo ſibi conſuluerint, vel laudatiſſima medicamenta ſubinde non absque noxa adhibebunt.

CCXXX.

Gutta roſacea à ſanguinis nimia profuſione.

VIri cujusdam docti Uxor, fere quadragenaria, cum Dei gratia aliquot ſanos edidiſſet fœtus, tandem bis etiam abortiit, & aliquando molam dejecit, ſimulque tantum liquoris vitalis perdidit, ut non niſi poſt aliquot hebdomadas vires ſimul amiſſas quodammodo collegerit, veritatemque communis illius verbi, plus negotii faceſſere mulierculis unum abortum quam partus aliquot ordinarios, in ſe ipſa experta fuerit, cum præſertim ab illo tempore difficilius etiam reſpirarit, & aliquoties frigore non parum moleſto correpta fuerit; parum tamen hæc ipſa mala curaſſet, nec forſan horum ergo unquam

quam medicum conſuluiſſet, niſi & facies inde, non tam uti quidem plerumque fieri ſolet, pallidum induiſſet colorem, quam gutta roſacea penitus fere obducta fuiſſet; & hac enim de cauſa me vocavit, ubi ego quidem, nullus dubitans â particulis ſanguinis, tam arcte, uti quidem requiritur, ſibi invicem non unitis, (quam unitatem quippe enormiores ſanguinis profuſiones inprimis ſolvere ego quidem totus credo,) & hinc ſulphureis in faciem redundantibus hoc malum derivandum eſſe, quæ jungendis iisdem denuo aliquid conferre poſſe credidi, præſcripſi medicamenta, quæ tamen non niſi tande, quod exoptatur, præſtare, hactenus aliquoties expertus fui: Non ita quotidiana vero cum hæc ſit guttæ roſaceæ cauſa, ut ejus peculiaris fieret mentio, dignam judicavi.

CCXXXI.

Vomitorium cum noxa ſumtum.

VIri cujusdam, qui olim aliquandiu Pharmacopœum egit, Uxor, triginta annis major, tenerioris conſtitutionis & ſanguinis multum poſt ſingulos menſes per uterum perdens, cum hinc per aliquod temporis ſpatium dolorem in ventriculo perciperet gravativum, ipſamet vomitorio ſe ſibi conſulere poſſe, judicavit; & hinc ut maritus duo Tartari Emetic. grana porrigeret, petiit, qui eum, quem ipſemet olim paraverat, humidiſculum inveniens, & hinc metuens, ne duo fruſtra ſumantur, quatuor grana Uxori exhibuit; verum enim vero vires medicamenti non tam imminutas quam auctas fuiſſe, ipſo opere expertus fuit, cum non ſolum ſæpiſſime evomuerit uxor, ſed & ſimul toties ſeceſſerit, ut jam & graviora imminuerint mala; unde ſumta una alterave panis buccella, quam prius Spiritui Vini intinxerat, motum hunc humorum nimium inhibuit quidem, at tantum abeſt, ut & reliqua mala ceſſaverint, ut potius dolori ventriculi jam quoque capitis dolor & quidem tam vehemens acceſſerit, ut lectum tenere opus habuerit, appetitus quoque penitus proſtratus tandem eam commovit, ut propterea me vocaverit, & ego quidem, quæ ex re futura credidi, præſcripſi: Conſtat vero ê recenſitis, quod non ſemper vomitoriis illud, quod ventriculum gravat, tollatur, hincque ea non niſi diligenti habita cauſarum exploratione & ratione exhibenda ſint, qua in re tamen, cum toto die peccetur, mirum non eſt, laudes ſuas apud nonnullos amittere egregium hoc medicamentum, quod merito non niſi â medico experto ſuaſum in uſum ducendum eſſet.

CCXXXII.

Febris capillis reſciſſis ceſſans.

FOrte fortuna coram nobili quadam mentio fiebat cujusdam ancillæ, cui in febre continua cum delirio reſciſſio capillorum non parum contulerat, unde ea ſequentia retulit; Plures jam præteriere anni, quod una ê filiabus meis febre continua ardente correpta fuit, vix trium annorum tum puella, tantum tamen brevi morbus incrementum ſumſit, at jam de vita ejusdem deſperaverim, conſului Donawerthæ tum degens Pharmacopæum præ medico celebrem, & is, cum percepiſſet, capillis illam abundare, ut hos reſcindi curarem, ſuaſit, cui conſilio & brevi poſt parui, tantaque, Dei gratia, felicitate, ut vix reſciſſis capillis melius ſe habuerit filiola, calor intenſus remiſerit, & quævis mala ſic ceſſaverint, ut alio remedio opus non habuerit, per plures etiam annos poſt hunc morbum devictum bona ſaniate gaviſa fuit, at cum in fœcundo conjugio aliquot liberos genuiſſet, denuo hoc malo correpta fatis ceſſit: quam bene vero & in capillis ſubinde morborum quorundam cauſa quæratur, egregie hæc obſervatio confirmat.

CCXXXIII.

Convulſiones ab intemperantia brevi necantes.

SArtor quidam notior, quadraginta octo annorum, per plures jam annos Dei gratia integerrima fruens ſanitate, & hinc etiam aqualiculum alens, quoniam tamen cibi præſertim tantum non ſemper nimium ingeſſit, & ad hunc diluendum potus quoque non parum ſuperfudit, ante annum fere colorem mutare cœpit, ut quem antea ſat vividum obtinuerat jam flavus & quaſi ictericus conſpectui oblatus fuerit, quod utut monitus parvi tamen habuit, & vix unum alterumve remedium propterea adhibuit, tantum vero abeſt, ut diætam vel minimum mutaſſet, ut gulæ potius magis quam nunquam olim indulſerit, virium præſertim defectum, quem non prorſus nullum notabat, ſe vini potu reſarcire poſſe, totus credens, unde hujus præſertim plus ac prius ingurgitavit, nec ſolum in menſa ſed & ſtatim poſt eam poculis indulſit; licetque â me monitus fuerit, ut, ſi diutius vitam protrahere velit, ab hoc vivendi modo deſiſtat, ſe pariturum, prolixis quidem verbis promiſit, at promiſſis non ſtetit, vix etiam biduo poſt hæc exacto primo quidem iterum Vinum hinc cereviſiam prandio immoderato adjecit, hinc vero & fumo Nicotionæ ſe delectavit, quin domum rediens aliquantum adhuc cœnavit; at vix finita hac cœna pejus ſe habuit, unde ſub mediam ferme noctem Uxor ejusdem me vocavit, quia vero interea, quicquid fere ingeſſerat, per illum diem, evomuerat, hinc malum derivandum fuiſſe, nullus dubitavi, cum præſertim, ſe

non

non habere, de quo queratur, teſtaretur, pulſusque nil mali denotaret, unde præſcripto ⊖ Volat. Oleoſ. ut nempe eo citius mentem colligeret, ipſi valedixi; verum enim vero cum vix abiiſſem, convulſiones tam horrendas ſuperveniſſe retulerunt, ut ipſum aliquoties vita privatum crediderint, unde & ſummo mane denuo vocatus fui, ipſumque valde debilem & inprimis mentis uſu carentem inveni, hincque ſtatim Clyſterem infundi curavi, & poſt ſingulas horas varia antepileptica eidem exhibui, ubi quidem bis adhuc iterato Clyſtere alvus aperta fuit, convulſiones omnino remiſere, & pulſus quoque meliora ſperare juſſit; at quoniam ad mentem nunquam rediit, & inſcius lectum commaculavit, vigiliæ etiam continuæ inſtiterunt, utut diligentiſſime medicamenta continuata fuerint, vires tamen ſemper magis deficere cœperunt, quod tandem & pulſus iterum prodidit, quo ſemper magis imminuto, vix quinque diebus â prima invaſione exactis vivorum numero ſubtractus fuit: Variis nempe modis intemperantia ſanitati noſtræ inſidiatur, licetque plures morbos inde chronicos contrahant, non deſunt tamen quibus & brevi temporis ſpatio vitæ filum abrumpit, ſicuti quidem modo legiſti, hic Vir enim, quoniam appetitu tantum adhuc ſemper polluit, ſine dubio vitam ſuam diu admodum protrahere potuiſſet, niſi eidem nimium toties indulſiſſet.

CCXXXIV.

Febri continuæ ſupervenientes Vomitus curati.

HOrtulani cujusdam ancilla ſubito horrore quodam corripitur, cum laſſitudine & ſubſequente calore febrili tam intenſo, ut ſequenti die extra lectum ſe tenere non potuerit, exhibet propterea eidem herus Tincturam Bezoarticam, & pulverem quendam alexipharmacum, quem olim uni ex filiolis ejusdem præſcripſeram; peti inſuper ê pharmacopolio curat Potionem ê Syrupis & Aquis refrigerantibus conſtantem; qualibus ſolis fere nonnulli hic loci olim ejuscemodi febres aggreſſi fuerunt; at tantum abeſt ut inde malum vel minimum remiſiſſet, ut potius tantum incrementum ſumſerit, ut de vita quaſi deſperans Monachos duos vocaverit, qui pro more ſuo cum animæ uti credebant conſuluiſſent, de corpore quoque ſoliciti, ut medicus vocetur, petierunt; cui petito illa adhuc veſpera morbi die quinto ſatisfactum fuit, & ego vocatus atque accedens ipſam acute febricitantem inveni, cumque difficillime reſpiraret, & de cordis anxietate inprimis conquereretur, Potiunc. ex pulv. Alex. uſual. & Spir. C. C. præcipue conſtantem illi præſcripſi, qua bis ſumta ſudori quidem vacavit, at tertiò vomitu eandem rejecit, poſt quem levamen quoddam ſenſit, pulſus quoque ſanguinis motum minus impeditum indicavit, unde nunc eandem potiunculam ſed omiſſo ſpiritu volatili poſt ſingulas ſex horas ſumere juſſi, at quoties ſum-

ſit, toties brevi poſt vomuit, quin & alvum aliquoties depoſuit; licet vero iterum teſtata fuerit, quod poſt ſingulos vomitus melius ſe habeat, quia tamen vires quoque inde non parum imminutæ ſuerunt, ipſum inhibendum eſſe judicavi, & hinc iisdem Potiunculis Elect. Diaſc. Fracaſt. immiſcui, quod Dei gratia tam feliciter ceſſit, ut ab illo tempore non ſolum vomitus remiſerint, ſed & ipſo die ſeptimo febris etiam finitæ non ita dubia ſigna ſe exſeruerint; licetque nono fere die per totam eundem ſubſequentem noctem varia delira protulerit verba, hæc tamen febre adhuc abſente, uti tantum ac adſtantibus metum mihi non injecerunt, ita cum interrogata num multos aleret capillos? affirmando reſpondiſſet, hi ut imminuerentur, juſſi, quod iterum tantum profuit, ut ab illo tempore non habuerit, de quo conquereretur, & ſic integre convaluerit: Similem vero vomitus in ejuscemodi febribus ſupervenientis curam ſi & tu geſſeris, erroris vix accuſari poteris, plusque his quam aliis opiatis præſtabis.

CCXXXV.

Pes octo digitis inſtructus.

MUlier quædam cum primo partu filiolum edidiſſet, in hoc quidem quâ reliquas omnes partes nullus defectus notari potuit, at in pede ſiniſtro non tam defectus quam exceſſus quidam conſpiciebatur, dum nempe in illo non ſolum quinque ſed octo digiti numerabantur, tam egregie diſpoſiti, ut niſi attentius adſpiciens & numerans vitium vix deprehendere potuiſſet, illi vero patuit, quod utut ſinguli hi digiti unguiculis ſuis inſtructi fuerint, tres tamen maximo proximi arctius ſibi invicem adhæſerint, reliqui vero quatuor cum aliis recte ſe habentibus prorſus convenerint; hoc ipſo autem numero majori digitorum pes quoque majorem acquiſivit latitudinem, hincque majori in hoc olim calceo eundem opus habiturum conſtitit: unde derivandus ſit inconſuetus hic numerus, certo non conſtat, quod enim mulierculæ quædam tempori, quo diutius quam aliâs ſolet, in utero latitaſſe fœtum crediderunt, illum adſcripſerunt, riſu dignum videtur.

CCXXXVI.

Incubo falſo adſcripta Parotis.

ANcilla quædam nondum â Pleuritide ſic liberata, ut iterum ſervitio ſuo præeſſe potuerit, Virgini tamen, quæ hactenus eidem adſtiterat, conceſſit, ut in loco commodiore dormierit, & ſic ipſam ſolum reliquerit; illa ipſa nocte vero, qua hoc primo factum fuit, acceſſit (ut illa tota credidit) incubus ſub forma mulieris ruſticæ, quam tamen non noverat, & jam ſic lecto ejusdem appropinquavit, ut pede tangere, & eo retropellere potuerit, un-

de & retroceſſit, nec ullam ulterius moleſtiam concitavit, niſi quod ab illo tempore prope aurem ſiniſtram dolorem percepit, qui indies auctus tumorem poſt ſe traxit, & novam accendit febriculam; diſcuſſus tamen medicamentis convenientibus fuit; & hinc illa paulatim integre convaluit, nulla dubitans hunc ultimum morbum inde originem ſuam traxiſſe, quia incubus ſe afflaverit, adeo quidem, ut vel parum contradicenti aures plane non præbuerit; nihilominus tamen ego non dubito, quod per ſomnium quidem mulierem viderit, malum vero non tam ab hoc ſomnio quam pleuritidis quibusdam reliquiis ortum ſuum traxerit, quæ uti inprimis mobiles ſunt, ita facillime ad poſt aures ſitas glandulas deferri potuêre; at tam firmiter adhuc hærent infixæ multorum menti tam perverſæ opiniones, ut citius Herculi Clavam, quam illis easdem extorſeris, quin ſubinde contradicendo crabrones ne irrites cave.

CCXXXVII.

Dolor capitis periodicus auris ulcus ſubſequens.

AUrifaber quidam honeſtus, cum per aliquod tempus catarrhis divexatus fuiſſet, tandem dolorem in aure dextra percipit tam inſignem, ut laboribus ſuis vacare ulterius non potuerit, quin in animi deliquium inciderit, cumque paulo poſt pus ex aure profluxiſſet ab ulcere ibidem latitante dolores hos derivandos fuiſſe inde collegit, & propterea Chirurgum vocavit; qui neſcio quem liquorem auri immittendo dolorem fere exaſperavit; acceſſit enim & reliqui capitis dolor tam intenſus ut gravius ſubeſſe malum, ſibi metuerit, & hinc me vocaverit; ubi præmiſſo purgante ex ☿rio dulci & Mag. Jalapp. præcipue conſtante Specif. Cephal. & quædam remedia externa eidem præſcripſi; at ſicuti purgans, non niſi ſumta etiam Potiuncula Laxante operationem ſuam exſeruit, ita nec reliqua medicamenta dolorem vel minimum mitigarunt; retulit vero, quod interdum dolor remittat, & quaſi ſuas periodos habeat, ſemperque de die magis quam noctu ſit moleſtus, unde jam de Cortice Peruviano cogitavi, & ecce! cum illum Cephalicis immixtum vix bis terve ſumſiſſet, dolor Dei gratia ſic ceſſavit, ut exhibito honorario me dimiſerit: Tantæ nempe vires ſunt hujus Corticis in debellandis plerisque morbis periodicis, ut & hic easdem non potuerim non denuo laudare.

CCXXXVIII.

Appetitu refragante cum noxa comedens.

VIr quidam Excellentiſſimus in ſumma fere ſenectute conſtitutus, cum hiſce diebus in cœna duo ova ſorbilia comediſſet, majora, ſicut ipſi videbatur,

conſuetis, licetque poſt primum conſumtum appetitus ſatiatus fuerit, hoc vel renuente alterum etiam ingeſſiſſet, utut juxta hæc aliis quam coctu facillimis cibis uſus non fuerit, noctem tamen valde inquietam duxit, & ſomnum vix ac ne vix quidem capere potuit, dolore ventriculi gravativo impeditus; ſequenti tamen die de lecto ſurrexit, & S. Concionem frequentavit, quin domum rediens placentæ lardo repletæ non exiguum comedit fruſtrum, at eo ipſo appetitum omnem ſic proſtravit, ut non ſolum â quibusvis cibis in prandio abhorruerit, verum & nullus potus gulæ arriſerit; unde jam de morbo quodam ſibi metuere cœpit & hinc me vocavit, ubi cum acceſſiſſem, dormientem eundem inveni, hincq; per integram horam & quod excurrit expectavi, donec evigilavit; ſomnusq; hic tantum contulerat, ut jam longe melius ſe habuerit, nec ego alio remedio ipſum opus habere, judicavi, quam Elix. Aper. Clauder. & abſtinentia â cibis; cum aliunde, quam â cibo præter appetitum ingeſto hæc ejusdem proſtratio derivari non poſſit, nec falſus fui ſententia mea, obſervatis enim, quæ ſuaſeram, ſequenti die Dei gratia non habuit, de quo conquereretur: Non parum nempe ſanitati ſuæ conſulit, qui nil quicquam appetitu refragante ingerit, vel coctu enim facillimi cibi tum non digeruntur, hincque facile in Senibus præſertim varia ſuboriri poſſunt mala.

CCXXXIX.

Ægrotam cum metu viſitantes.

VIſitaverant tres matronæ honeſtæ quandam cognatam, quæ haud ita pridem febrem continuam acutam Dei gratia devicerat, licetque omnes tres nec minimum quidem metum in pectore ſe alere, teſtatæ fuerint, ægrota etiam ſic convaluerit, ut nec minimum infectionis periculum ſubfuerit, paulo tamen poſt metum easdem diſſimulaſſe ſolum conſtitit, cum ſingulæ non ſolum de horrore quodam queſtæ fuerint, ſed & noctem ſequentem inquietam habuerint, imo una ex illis tam vehementi capitis dolore prehenſa fuerit, ut, cum præſertim febriculam ſimul notaſſet, me propterea conſuluerit; cum autem per biduum in lecto ſe detinuiſſet, & bis terve Sal Vol. Ol. Sylv. ſumſiſſet, Dei gratia à metu ſimul & ab hoc productis malis liberata fuit: Niſi itaque ſummè requiratur, non facile quis ægros, â quibus abhorret viſitet, vel morbis enim non contagioſis exiſtentibus, mala quædam horrorem metumque producere poſſe, hæc obſervatio confirmat.

CCXL.

Urina febre depulſa tinctior.

MUlier quædam gravida, cum quinto fere poſt conceptionem menſe Venæſectionem inſtituiſſet, eodem adhuc die ad iram commota, hincque paulo

paulo poſt, cum ſigna incendii publica darentur, & quidam referret, in ædibus ad ſe ſpectantibus ignem ſubortum fuiſſe, valde perterrita fuiſſet, ab illo tempore minus bene ſe habuit; dum non ſolum caput doluit, verum & appetitum plane proſtratum habuit, quibus tamen malis, ſponte ceſſura ſperans, nullum oppoſuit remedium; niſi quod bis terve Rhabarbarum ſumſit; contigit autem interea, quod ancilla ejusdem febre continua non omni prorſus malignitate carente correpta fuit, quam prohibente licet marito aliquoties viſitavit,& hinc,cum illa convaluiſſet, malis deſcriptis auctis & laſſitudine accedente jam ne quid mali ſubſit,metuere cœpit,& hinc meum conſilium rogavit; & accedens ego non ſolum ê pulſu celeriore ſed & reliquis ſignis, urinaq; præſertim tinctiore eam febre laborare,judicavi,undè quantocyus eandem depellendam eſſe,nullus dubitans,Potiunculam huic ſcopo dicatam præſcripſi, poſt quam ſumtam, pejus ſe habuiſſe, retulit; quoniam vero febrem adhuc inſtare, quævis indicia prodidere, ut illam nihilominus continuet, juſſi, licetque poſt ſingula medicamenta ſumta easdem repetierit querelas; eorundem tamen uſui ut per triduum inſtiterit, obtinui; unde paulatim febris extincta fuit; reſtitit vero Urina debito tinctior, quæ plerumque reliquiarum non nihili habendarum ſat fidus eſt teſtis, unde ut & illa priſtinum acquireret colorem, & hæ expellerentur, laxantem Potiunculam eidem præſcripſi, quæ Dei gratia tantum profuit, ut jam & in urina nil reprehendi merito potuerit, & brevi poſt ipſa ægrota lectum ſana reliquerit: Merito vero urinæ talis poſt morbos devictos rationem quandam haberi, ſicut alibi jam demonſtravi, ita hac obſervatione confirmatur.

CCXLI.

Catarrhus malè inhibitus.

CAtarrho prehenſus artifex quidam, cum is admodum moleſtus extitiſſet, neſcio quibus cibis durioribus & ſiccis, inter quos Caſeum nominavit, illum pellere tentans, inde quidem obſtructionem narium incurrit tantam, ut & â ſuffocatione ſibi metuerit, mediaque nocte me vocare voluerit; quod tamen, cum attracto naribus pulvere ſternutatorio malum aliquantum remiſiſſet, in craſtinum diſtulit; quo accedens catarrho ipſum laborantem inveni proficuo potius, quam ſtatim inhibendo, cum jam diu de capitis dolore queſtus fuerit, hicque nunc remiſerit, ceteraque omnino bene ſe habuerit; pulverem ergo acredini demulcendæ dicatum præſcripſi quidem, ne vero modo tam parum conveniente in poſterum catarrhos abigere tentet; ſerio monui: Proſunt nempe omnino ſæpius catarrhi, hincque, ſi in principio modo præſertim tam inepto inhibeantur, non poſſunt non graviora ſubſequi mala.

CCXLII.

Iſchias purgante ſublatum.

MErcator quidam induſtrius fere ſexagenarius, ante aliquot annos Dei gratiâ â Paralyſi feliciter liberatus, ab illo quidem tempore ſic ſat bene ſe habuit, niſi quod aliquoties de doloribus nephriticis conqueſtus fuit, qui tamen nunquam diutius inſtiterunt, nec eum proſtraverunt, unde & præter baccas Juniperinas nullum iisdem remedium oppoſuit; at nuper ſucceſſere quoque dolores Iſchiadici vel ideo magis moleſti, quoniam motum impediverunt, & ſic in cauſa fuerunt, ut publicum frequentare non potuerit, vocavit propterea chirurgum & juxta ejusdem conſilium ſumta Tinctura bis ſudorem elicuit, & balſamo quod album nominatur, partem affectam perfricuit; at nullum prorſus inde levamen percepit, unde tandem & meum conſilium deſideravit; egoque omnia penitius conſiderans, & ex quibusdam ſignis colligens, abundare humores tum ſeroſos tum bilioſos, in horum præſertim evacuatione auxilium quærendum eſſe, judicavi, & hinc purgantem Potiunculam præſcripſi, quæ cum aliquot ſedes moviſſet, Dei gratia tantum profuit, ut qui heri vix pedem movere potuerat, ſequenti die non adeo difficulter obviam mihi iverit, & hinc vix aliis medicamentis opus habuerit: Ubi nempe in primis inprimis viis ejuscemodi humores abundant, niſi purgantia exhibueris parum admodum proficies, quin aliis medicamentis malum plerumque exaſperabis.

CCXLIII.

Ardor Ventriculi brevi curatus.

PRofugus quidam Gallus, cum in exilio multum perpeſſus fuiſſet, Uxorem dilectam & fidam comitem amiſiſſet, inprimisque paupertate preſſus ſemper fere victu duriore & minus conſueto uti opus habuiſſet, tandem hic loci in febrem incidit, quam pro maligna habuerunt, qui eum hoſpitio exceperant, unde in noſocomium publicum receptus fuit, ibique ſic convaluiſſe videbatur, ut & foras prodierit, non tamen ſine inſigni ſuo damno, cum enim domum rediiſſet, pejus iterum ſe habuit, & de ardore inprimis Ventriculi conqueſtus fuit, qui tantum abeſt, ut purgante ſumto, licet hoc duos vermes exturbaverit, melius ſe habuiſſet, ut potius ardor tantum incrementum ſumſerit, ut jam de morte inſtante magis quam unquam prius ſibi metuerit; unde illi, qui ejusdem miſerti fuerant, me rogarunt, ut ipſum viſitarem, & conſilium quoddam ſuggererem, quorum petito ſatisfaciens, non ſolum de dicto malo conquerentem, ſed & leviter febricitantem inveni, ab humo-

ribus vero non tam quantitate quam qualitate peccantibus malum derivandum eſſe, ratus, pulverem ſequentem eidem præſcripſi:

℞. Pulv. C. C. Phil. calc. ℥iij.
Specif. Cach. Lud. ℥j.
Cinnab. nat. pp. ℈ij.
Extr. Op. Cydon. gr. iij.
M. ad Scatul.

Sign. Pulver / davon all drey Stund zwey Meſſer-Spitz voll zunehmen.

Hunc cum hoc modo vix bis terve in uſum duxiſſet, inde Dei gratia tam bene ſe habuit, ut &, ne tam ſubitanea mutatio mali quid portendat, adſtantes metuerint, non tamen & ego, qui acres humores correctos non poſſe non levamentum ſubſequi noveram, nullusque dubito, quin continuato hoc medicamento ſit convaliturus.

CCXLIV.

Vinum dulce Sanguinis motum inpediens.

BUrſarius quidam quinquagenarius, cetera ſanitate integra fruens, cum ſub ipſum æquinoctium Vernum Iter quoddam pene abſolviſſet, in pago milliari adhuc ab urbe diſtante dimidiam menſuram Cereviſiæ ſapidæ, & eandem quantitatem Vini Tyrolenſis dulciſſimi bibit, unde quidem in principio nil quicquam mali ſenſit, at cum diverſorium reliquiſſet & domum, nunc properaſſet, primo quidem frigore p. n. correptus fuit, cui paulatim tanta laſſitudo acceſſit, ut aliquoties non parum ſibi metuerit, ne in via ſubſiſtere quin procumbere cogatur, omnes tamen intendit vires, & tandem domum rediit, ſed tam laſſus, ut vix membrum movere potuerit, unde â ſuis in lectum collocatus fuit, in quo jam calor ſucceſſit cum ſiti tam intenſa, ut vix unum alterumve verbum proferre potuerit; unde perterritæ Uxor & filia unica illa adhuc veſpera me in conſilium vocarunt, & ego, dum accedens pulſum exploravi, illius vix parvum quoddam indicium inveni, unde ſtatim de ſanguine in motu ſuo â Vino illo non fermentato (quod inſuper frigidum extitiſſe poſtmodum retulit,) impedito judicavi, utque hic motui ſuo quantocyus reſtituatur, conſultum duxi, quem in finem Potiunculam, cujus præcipuum ingrediens ⊖ Volatil. Oleoſ. conſtituit, præſcripſi; cujus primam doſin cum ſumſiſſet, inde in ſudorem incidit, qui tantum profuit, ut ſuperindormierit, hincque & ſecunda doſi abſumta, continuante ſudore tam bene Dei gratia ſe habuerit, ut ſequenti die iterum laboribus ſuis, ſi voluiſſet, vacare potuiſſet: Vina nempe illa tam dulcia adhuc fermentatitii quid in ſe continent, quod

quod ſanguini confuſum primo quidem motum ejusdem aliquamdiu inhibet, unde non poſſunt non memorata ſuboriri ſymptomata, quæ deinde ſanguine renitente & tandem victoriam reportante, paulatim primo motum ejusdem augent, hinc vero tandem, ſi præſertim ſuppetiæ ferantur, penitus ceſſant.

CCXLV.

Arthritidem avertens diarrhœa.

VIdua quædam quinquagenaria, Arthritica, utut aliâs ſingulis annis doloribus artuum non parum torta fuerit, hoc tamen anno cum aliquando funus comitata fuiſſet, ſubito quidem in via laſſitudinem minus conſuetam & appetitum prorſus proſtratum notavit, indeque & illos iterum inſtare collegit, at domum rediens alvi fluxus tam frequens ſucceſſit, ut is vires non parum exhauſerit, ipſaque jam de lecto in hypocauſtum collocando cogitaverit; dormiit tamen per illam adhuc noctem in loco conſueto & mane evigilans Rhabarb. drachmam dimidiam ſumſit, quæ primo quidem alvum adhuc aliquoties movit, at hinc poſtmodum omnis fluxus nimius deſiit; â doloribus vero arthriticis immunis vixit; materia nempe dolorifica, quæ aliâs in articulis ſeparata fuit, nunc ad inteſtina delata hæc ad crebriores excretiones ſtimulavit, ſicque per hanc viam evacuata aliam moleſtiam non excitavit: optime vero motum ejusdem non tam ſtatim inhibuit, quam Rhabarbaro promovit, niſi enim hoc modo ſe ipſam juvaſſet, vel paululum inhibita antiquas & jam notas vias repetiiſſet, ſicque priores intuliſſet dolores.

CCXLVI.

Epilepſia cum Melancholia.

VIrgo quædam triginta annis major, jam diu convulſionibus epilepticis torta, cum illis varia remedia fruſtra omnino oppoſuiſſet, inde paulatim in Melancholiam quoque incidit, dum non ſolum ipſamet tota credidit, diabolum eſſe, qui nervos ſuos tam perverſe moveat, verum & ut alii credant, illis omnibus viribus perſuadere conata fuit, unde & coram me conquerebatur, quod nemo fidem ſibi adhibere velit; quemadmodum vero mihi ſat conſtitit, cauſas eſſe mere naturales, ſeu, ſi mavis præternaturales, quæ malum hoc producant, dum novi, primam ſuam originem ab impetigine male curata illud traxiſſe, ita ne tam pravis cogitationibus vacet, ſeque ipſam torqueat, rogavi; præſcripſi vero ſimul medicamentum antepilepticum de die ter exhibendum, inde tamen malum non tam penitus ſublatum quam delinitum iri, expreſſe edixi; fateri ſiquidem opus habeo, quod medicamentum, quod epilepſiæ inveteratæ, & eos qui Juventutis annos jam exceſſerunt proſternenti

ti curandæ ſufficeret, nondum noverim, licetque plura jam pro talibus venditare viderim, quin ut in uſum ducta fuerint, conceſſerim, exoptatum tamen inde eventum hactenus mihi quidem videre nondum licuit, quin interdum malum iisdem potius auctum quam imminutum fuiſſe notavi, unde non tam talium ægrotorum ſpem inflare, quam ut patienter quod mutari nequit, malum ferant, ſuadere ſoleo, ſique diætam ſervaverint, quod raro obtinebis, & medicamenta notiora diutius continuaverint, interdum tum mitigabunt malum, tum paroxyſmos diutius protrahent; inprimis vero talem quoque curam melancholia difficiliorem reddet, majoris humorum depravationis certiſſimus index.

CCXLVII.

Vomitorium hypochondriacum juvans.

JUvenis quidam viginti ſex annorum, jam per trimeſtre & quod excurrit variis vexatus malis, quæ malum hypochondriacum prodere ſolent, dum nempe jam de dolore ventriculi gravativo, jam de caloribus quos volaticos nominant, jam de nauſea â cibis, jam de appetitu nimio, jam de dolore capitis conqueſtus fuit, & ſingula hæc mala tanti habuit, ut ſemper â gravioribus ſibi metuerit, cum inde plura iisdem remedia oppoſuiſſet, licet levamen quoddam ſenſerit, quoniam tamen identidem rediere, tandem ex meo ſuaſu medicamentum emeticum ſumſit, quod cum aliquot vomitus moviſſet, & multum materiæ peccantis ê corpore exturbaſſet, adeo quoque ſingula recenſita mala pepulit, ut jam ſe penitus non habere, de quo queratur, ſancte teſtatus fuerit; ubi tamen monui, ut nihilominus in poſterum quibusdam utatur medicamentis, ne malum redeat, impediendi vi præditis: Omnino vero vomitoria hypochondriacis proſunt, quæ et, quo minus malum radices egit, eo majori cum fructu in uſum ducuntur.

CCXLVIII.

Martis apud Florentinos frequens uſus.

MArte quidam Florentinus opus habebat, â quo ipſum inſtar non paucorum noſtrorum abhorriturum, & neſcio â quibus imaginariis noxis metum ſubiturum metuens, primo quidem ſub aliis medicamentis illum occultavi; at cum poſtmodum ipſemet hujus remedii mentionem injiceret, & in illo ſe non exiguam ſpem convaleſcentiæ ponere, indicaret, non ſolum quod hactenus jam aliquoties illo uſus fuerit, detexi, ſed &, cum ut continuaret, aliquamdiu opus eſſe, judicaſſem, avide parentem ipſum habui; retulit vero, in ſua Patria tam communiter adhiberi martem, ut & plures vel medico non conſulto illum in uſum ducant, & quidem præcipue Vinum illius viribus im-

prægnatum ibi locorum in uſu eſſe, cujus, dum nempe ſeptem vel octo menſuris Vini martis ſacculo incluſi dimidiam libram injiciant, parati poſt viginti quatuor horas vitrum trium vel quatuor unciarum capax bibant, ubi poſtmodum corpus per horam & quod excurrit, moveant, hincq; illud lecto committant; adeo vero multos hac cura opus habere, ut ne pauperes eadem carere cogantur, ſacræ quædam Virgines illud in magna admodum quantitate parent, & hiſce gratis diſtribuant, qui monaſterium quadrante horæ ab urbe diſtans accedant, ibique bibant vinum, & tum vel domum redeundo motu quoque ejusdem operationem promoveant: quæ quidem ut hic producerem, digna judicavi, quoniam ſemper adhuc inveniuntur, qui tam neceſſarium hoc medicamentum diffamare conantur, cum tamen eodem indies minus minusque carere poſſimus.

CCXLIX.

Chirurgus falſo accuſatus.

URinæ totali obſtructione ante aliquot annos laboraverat Vir quidam in non exigua conſtitutus dignitate, & hinc una mecum vocaverat Chirurgum quendam, ut nempe hic Cathetere non tam in cauſam mali inquireret, quam eam ſic removeret, ut eo citius mingere iterum poſſet; cum vero hic, cui feliciter hoc inſtrumentum admoventi aliquoties adſtiti, vix dimidium penem in hoc viro eodem penetraſſet, is jam de dolore ſummo queri, & ut illico retrahat urgere cœpit, nec dictis non paruit Chirurgus, ſed catheterem denuo extraxit, & donec denuo ut manum adhiberet, expeteretur, expectavit, quoniam vero interea urinam per ſe iterum excrevit, ulterius eodem opus non habuit; at ab illo tempore ſe â Chirurgo læſum fuiſſe, ſæpius conqueſtus fuit, quod quidem in Viro harum rerum ignaro æquo tuli animo, at quod nuper in hac ſententia lithotomus quidam ipſum confirmavit, & ſic ſat audacter edixit, hanc ipſam læſionem impedire, ne tuto ſectioni ſubjici poſſit, aut parum in arte verſatum hominem, aut malevolis jure annumerandum eſſe, prodit; noxam enim cathetere tantilla ſui parte immiſſo inferri, nemo peritus unquam aſſeret: ſic vero multi ſunt, qui alios calumniando ſe evehere conantur, quo ipſo tamen apud ingenuos ſe parum commendabunt.

CCL.

Ileos â vermibus letalis.

NEpos ex fratre Lindavii habitantis, puer quatuordecim annorum, bonæ indolis nec minoris ſpei, cum hucusque quantum quidem per ſigna externa conſtabat, Dei gratia ſanitate ſat integra gaviſus fuiſſet, ſubito doloribus Ven-

tris

tris intenſiſſimis corripitur, cum vomitibus continuo inſtantibus, & alvi obſtructione pertinaciſſima; quibus malis licet celeberrimus ibi medicus præſtantiſſimis medicamentis ſtrenue obviam iverit, iisdem tamen impedire non potuit, quin tandem feces quoque & iisdem immixtos lumbricos quosdam longiores vomitu rejeciſſet, unde, ſicuti quo nomine malum ſit inſigniendum abunde patuit, ita quam parva vitæ ſuperſit ſpes eodem modo innotuit; cum plures adhuc reſtare vermes, mediantibus aliquot clyſteribus injectis evocata quaſi materia ſanguine, pure, & vermibus jamjam putreſcentibus repleta fœtidiſſima prodiderit, vomitusque tum vermium tum fecum inſtans, de inflammatione tum inteſtinorum tum ipſius quoque pylori dubitare medicum præſentem vix ſiverit, cum præſertim & febris notata fuerit, & puer interdum delirarit; hæc cum frater ad me germanicis verbis expreſſa detuliſſet, quin filius hic in mortis prædam ſit ceſſurus, nullus dubitavi, unde, licet quædam medicamenta & inter hæc æthiopem mineralem commendaverim, conſolatorias tamen potius litteras ſcripſi, quam quod ullum medicamentum vel minimum juvare poſſe, vel minimam ſpem feciſſem: licet enim non deſint exempla illorum, in quibus vel hoc graviſſimum malum curatum fuit, cum tamen cauſa, quæ in hoc ſubjecto illud excitavit, (quæ me judice inteſtinorum â vermibus corroſio, exulceratio quin forſan perforatio extitit,) tolli viribus humanis non potuerit, qualem quæſo! ſpem concipere licuit? nec fefellit me opinio, in litteris enim ſequentibus frater indicavit, quod antequam meæ appulerunt, quin ſcriptæ fuerunt, Puer animam ſuam Creatori reddiderit, in cujus manibus jam absqne ullo tormento quieſcit; quod ut & firmo Parentibus ſit ſolatio, eſt, quod ex toto corde foveo, cum ſane non ita parvum inferat dolorem, tam brevi mortuis aſſociatum videre filium tam bonæ indolis; at Chriſtianis noſcentibus non tam mortuum fuiſſe, quam per mortem in veram vitam penetraſſe, hoc non poterit non eſſe ſolatio: quam male vero parvi â plerisque habeantur Vermes, hac obſervatione inprimis confirmatur, hos enim præſertim in cauſa fuiſſe, quod hic puer tam cito vivorum numero ſubtractus fuit, nemo, ſpero, dubitabit.

CCLI.

Urinæ excretio feliciter promota.

EQues quidam Illuſtriſſimus cum per aliquot menſes apud Menapios degiſſet, victus illorum minus aſſuetus, cum præſertim cereviſiam ibi locorum coctam ferre non potuiſſet, nec Vinum ad palatum fuiſſet, ſitim ſæpius acidulis reſtinxit, quæ tamen per urinam non redditæ paulatim abdomen ejusdem inflarunt, unde non ſolum difficilius reſpiravit, verum & laſſitudinem moleſtam notavit, quæ mala vix quinquagenario tam ſuſpecta videbantur, ut

Conſilium celeberrimorum quorundam Medicorum, qui olim corporis ſui curam in Patria geſſerant, propterea expetierit, qui ſinguli hydropem metuendum eſſe, indicarunt, & hinc præmiſſo leniore purgante, ut Infuſ. Herbæ Thee & Therebinthinam aliquamdiu in uſum duceret, ſuaſerunt, cum præſertim urinam ſemper parrcius excerneret; antequam vero hæc in uſum duxit, huc Auguſtam ſe contulit, & me conſuluit, ubi, cum medicamenta jam parata fuiſſent, & magnam in iisdem ſpem ſe ponere, retuliſſet, nec merito rejicere eadem potuiſſem, ut eadem aliquamdiu in uſum ducat, conceſſi, at minori hoc, ac quidem ſperaveramus, fructu fecit; non ſolum enim urina inde nec minimum quidem mota fuit, ſed & reliqua mala notatu dignum ſumſere incrementum; unde ego, cum in Terebinthina inprimis multum opis quæreret, & hanc hactenus in forma Pilulari ſumſiſſet, ejusdem jam ſpiritum cum Elix. Propr. corr. commixtum commendavi, cujus remedii licet iterum aliquot drachmas abſumſerit, nec inde tamen melius ſe habuit, nec plus urinæ excrevit; hincque purgante vehementiore opus eſſe judicans, pulv. illum in Lineis laudatum ex Mag. Jalappæ & Cremor. atque Sal. Tartar. conſtantem eidem præſcripſi, qui ſumtus pluſculas ſedes movit, & multum ſeri extravaſati evacuavit; eidem ergo Eſſent. ♂ ſubjunxi, ut nempe tum viæ magis reſerarentur, tum viſcera corroborarentur, quam tamen ad Ludovici præſcriptum paratam exiguo cum fructu in uſum duxit, qua de cauſa bis adhuc ad pulveris purgantis uſum rediit, qui quidem ſemper multum ſeri per alvum eduxit; at urinam nec minimum quidem movit, unde nunc Vinum medicatum eidem præſcripſi, quo cum vix bis terve uſus fuiſſet, urinam, cum antea vix ſextam potus ingeſti partem reddidiſſet, in debita quantitate excrevit, hincque jam hoc vinum eo diligentius continuavit, & finito eodem Dei gratia penitus convaluiſſe ſe credidit; utut vero me ſuadente pulverem ê limatura martis præſertim conſtantem ejusdem uſui ſubjunxerit, quia tamen diætam convenientem non ſervavit, brevi priora mala rediere, quæ diligenter continuato marti nec minimum quidem ceſſerunt; unde jam ad vinum medicatum rediit, quod licet non tam cito, cum tamen ſexies vel ſepties bibiſſet, & Eſſ. ♂ cum Succ. Pomor. paratæ uſum eidem interpoſuiſſet, iterum urinam ſic promovit, ut nunc Dei gratia non habeat, de quo queratur, ceteraque itidem longe melius ſe habeat: Sicuti vero inprimis notatu dignum eſt, quod urina, quam parce quoque eandem excrevit, ſemper ferê naturalem ſervaverit colorem, ita Vinum tam proficuum ut communicem, operæ pertium eſſe credo:

℞. Radic Vincetox. ℥ß.
Herb. Abſinth.
Agrimon.

Hep.

Hep. nob. â mj.
Flor. Cichor. p. ij.
Fol. ſen. ſ. f. ℥jß.
Rad. Jalapp. reſ. n. ʒvj.
⊖ Ciner. Clavell. ℥j.
Semin. Anis.
Cinnam. acut. aa ʒj.
Inciſ. & cont. q. o. Miſc.
ad Sacc. ex ſyndon. alb.
Sign. Stück zu einer Maß Wein.

℞. Aq. Ebuſ.
Ononid. aa ℥vj.
M. ad V.
Sign. Waſſer an dem Wein.

CCLII.

Pinguedo Venæſectioni adſcripta.

JUvenis quidam longioris ſtaturæ, ſimulque tam pinguis, ut in vita mea in hac ætate conſtitutum hominem pinguiorem vix viderim, cum vel cum pinguiſſimis facile certamen inire poſſet, paucique invenirentur, de quibus victoriam non eſſet reportaturus; cum hiſce diebus ut purgans, uti quidem vocant, vernale præſcriberem, me rogaſſet, eum interrogavi, an & hoc ipſo tempore ſanguinem ſibi detrahi curet? dumque negando reſpondit, & ego, ſic optime ſanitati ſuæ ſe conſulere, regeſſiſſem, cum tam pingues Venæſectio raro juvet, quin ſæpius repetita plerumque in cauſa ſit, ut citius ac alii hydropici evadant, ſi præſertim pinguedo adeo modum exceſſerit; is ſubjecit, quin imo Venæſectionem ego in cauſa eſſe credo, quod tam brevi temporis ſpatio corpus meum in tantam excreverit magnitudinem, cum enim fere adhuc macer Florentiæ in febrem quartanam incidiſſem, toties venam mihi aperiri curavit medicus, ut ferme vix corporis pars aliâs quoque huic operationi dicata reſtet, quæ tum non hoc modo læſa fuiſſet; utut febris inde non tam imminuta quam aucta fuerit, quæ mutato demum aëre in totum ceſſavit; at ab illo tempore aqualiculum nunc ſic ſat moleſtum alere cœpi, quo carere mallem: Spoliatur nempe crebriore Venæſectione ſanguis particulis volatilioribus, quæ pinguiores & oleoſas ſuperfluas conſumere ſolent, hiſce ergo per quotidie ſuggeſta alimenta indies magis auctis non poteſt non habitus quoque

 cor-

corporis augeri; quis vero ei, quem Venæſectio pinguiorem reddidit, eandem tuto ſuadebit?

CCLIII.

Conceptionem impeditam ſubſequens hydrops Uteri.

MErcator quidam olim formoſam habens conjugem, quæ & unum alterumve infantem ediderat, cum in flore quaſi ætatis parere deſiiſſet, aliquoties ab amicis vexatus, quæ cauſa ſubeſſet, quod ulterius Uxor non concipiat? coram fidentioribus ſemper teſtatus fuit, Uxorem in cauſa eſſe, quæ ſemper quando ſemen emittere velit, corpus retrahat, ſicque, ne illud eo usque, quo debeat, penetret, impediat, nec ullo modo, ut hoc omittat, ſe jam per bene longum temporis ſpatium impetrare ſeu bonis verbis ſeu & minis potuiſſe, & ſane ab illo tempore hæc ulterius non concepit, at poſtmodum vidua facta de tumore uterum occupante conqueri cœpit, qui primo quidem pugni magnitudinem non exceſſit, paulatim tamen tantum excrevit, ut jam, quæ quantum in ſe fuit gravida olim eſſe noluit, nolens volens gravida pareat; hæc cum nuper hac de cauſa me conſuluiſſet, uti pro hydrope uteri ſaccato malum agnovi, ita quæ modo recenſui mihi in memoriam revocata fuerunt, ex ipſo marito me olim audiviſſe, recordatus; ſic enim ovulum unum alterumve loco ſuo motum at non ſufficienter promotum, indies magis magisque diſtenſum tandem facile hoc malum producere potuit, quod quidem uti aliorum ulteriori disquiſitioni ſubmitto, ita optandum eſſet, ut remedia hydropi huic curando ſufficientia invenirentur, quibus me hucusque deſtitui lubens fateor.

CCLIV.

Mala cruda per alvum eadem rejecta.

DIu jam cum variis malis conflictatur unus ex filiis meis, undecim fere annorum, quæ, cum ſedem ſuam in Inteſtinis fixiſſe per varia ſigna conſtitiſſet, & interdum vermium quoque non inanis ſubeſſet ſuſpicio, eo diligentius tum per ancillas in alvi excrementa inquiſivi, tum ipſemet eadem aliquoties inſpexi, quæ ſicuti ſemper ferè conſuetis magis fœtida inveni, ita colorem quoque aliquoties mutarunt, & aut alimenta vel furtim ſumta prodiderunt, aut & medicamentorum operationem denotarunt; cum ergo aliquando præcedente die, quo pejus ferme quam unquam prius ſe habuerat, ſequenti mane iterum in his ipſis inquiſiviſſem, an forſan certior reddi poſſem, quid mala ejusdem tantum exaſperaſſet? quasdam fecibus innatantes particulas inveni, quas primo pro globulis oleoſis & pinguibus habui, indeque miratus fui, quod cibum è butyro & farina ſimilaginea coctum, quem præcedente veſpera

ra ingeſſerat, nondum conſumſerit ventriculus, at nunc propius easdem examinans inveni mali crudi partes eſſe, quod heri poſt prandium eum comediſſe, poſtmodum faſſi fuerunt: Tantum ſcilicet opus eſt, ut cibi, qui in alimentum cedere debent, in aſſuetis præcipue antequam ingerantur, prius ad ignem quoque coquantur, aliâs ſiquidem, non ſolum incocti rejicientur, verum & diutius quam par eſt in corpore detenti varias movebunt turbas.

CCLV.

Abortum ſubſequens tumor totius.

MIlitis cujusdam Uxor, cum ſexto vel ſeptimo fœtu ſe jam per quinque menſes gravidam credidiſſet, ſubito menſium fluxu corripitur, & hinc fœtum rejicit, prout quidem mihi deſcribebatur, vix ſesquimeſtrem, quem tamen præter ſecundinas mola quoque comitabatur, quæ ſine dubio in cauſa fuit, ut is tam cito hoſpitium ſuum relinquere coactus fuerit; quoniam vero paupercula vix biduo exacto ſtatim publicum frequentavit, & aeri minus faventi corpus expoſuit, inde primo quidem lochiorum fluxus inhibitus fuit, hinc vero non ſolum abdomen, ſed brevi poſt artus etiam intumuêre, unde quasdam Matronas & obſtetricem conſuluit, quæ conſilii inopes eam ad medicum demandarunt; ubi cum ad me ventum fuiſſet, egoque illam viſitaſſem, viribusque conſtantem inveniſſem, iis, quæ Cachexiam imminentem avertere poſſunt, ipſam opus habere judicavi, & hinc pulv. ex Marte & Rad. Jalapp. conſtantem eidem præſcripſi, quem profuturum totus ſpero: Sicuti vero hæc obſervatio, quod debitam ſui curam poſt abortum gerere debeant mulierculæ, confirmat, ita quam ſubito ſubinde toto corpore intumeſcere poſſimus, ex eadem conſtat.

CCLVI.

Thee mala à conceptione depellens.

MAtrona quædam tribus annis quadragenaria minor, cum decima ſexta vice concepiſſet, non quidem communibus illis gravidarum ſymptomatibus, vomitu, & nauſea â Carne correpta fuit, quam de frigore & hunc inſequente calore tam vehementi, ut & â febre ardente ſibi metuerit, querelas movit; qui tamen brevi ceſſans, ſuccedensque eidem difficilis reſpiratio, capitisque dolor intenſus ſuperveniens eam moverunt, ut in utero cauſam hujus mali quæſiverit, unde aliquoties Eſſent. Caſtor. ſumſit, quæ tamen parum admodum profuit, unde ego memor quandam ante biennium fere in ſimilibus malis Infuſ. Herbæ Thee multum juviſſe, & huic illius uſum commendavi; nec illi diſplicuit conſilium, ſed aliquoties mane & veſperi aliquot hujus potus ſcutellas evacuavit, licetque in principio quaſi de novo calorem nimium

mium excitaverit, ſimul tamen ſudorem movit, & hinc poſt tres vel quatuor dies tantum Dei gratia profuit, ut quævis recenſita mala ceſſaverint; Sicuti vero illa, quæ ut huic hoc remedium ſuaſerim, me movit, illud cum jam per aliquot hebdomadas cum ſimilibus malis conflictata fuiſſet, cum fructu in uſum duxit, ita notari meretur, quod hanc ſtatim in principio juverit, adeoque ſine dubio & pluribus in malis, quæ conceptioni originem ſuam debent, fruſtra non commendabitur; licet & hic prudentia medica omnino requiratur, cum illis, quibus facile ſanguis movetur, nocere potius quam prodeſſe poſſet: notatu vero etiam dignum videtur, quod hæc, quæ toties jam conceperat, tantum nihilominus moleſtiæ inde perceperit, adeoque haud inepte inde concluditur, conſuetudine hæc mala non ſemper deliniri.

CCLVII.

Febris cibo nimio ingeſto revocata.

ANcilla illa, cujus nuper admodum mentionem feci, cum â febre continua Dei gratia liberata monitis meis, ut nempe per aliquot adhuc dies diætam ſervet, & cibos præſertim in nimia quantitate non ingerat, non paruiſſet, ſed carnis præſertim nimium ingeſſiſſet, inde, ſicut prædixeram, febrem denuo contraxit, quod utut in principio ipſamet ad me detulerit, & ego nunc ſtatim purgans, ad everrendas reliquias exhibuerim, minime tamen impediri potuit, quin febris iterum majus ſumſerit incrementum, unde delirare quoque denuo cœpit, & ego repetere uſum medicamentorum, quæ primo ipſi profuerunt, nec fruſtra, hiſce enim nunc vix per triduum continuatis febris Dei gratia denuo profligata fuit, ipſaque integre convaluit: quemadmodum vero ſemper hactenus notavi, febres præcipue redire, ſi iiſdem vix devictis nimium cibi ingeratur, ita hæ ipſæ tamen febres tam difficulter non curantur, modoque in principio ſtatim iiſdem obviam eatur, raro diutius inſtant, adeoque commune fere proverbium, quod morbus rediens plerumque primo deterior exiſtat, non ſemper attendi meretur.

CCLVIII.

Mola â primipara rejecta.

FŒmina quædam viginti ferme annorum, quamdiu quidem virgo adhuc tributum lunare ſolvit, plus ac quidem aliæ ſolent illam ſolviſſe, mater notavit, & hinc varia quoque huic nimio fluxui oppoſuit remedia, at omnia omnino fruſtra, unde & facilius, ut conjugium inierit, conſenſit, ſperans nempe, hinc modo naturali hunc fluxum inhibitum iri, uti vero in principio hac ſpe ſua plane cecidit, dum plus, quam unquam olim ſanguinis per uterum perdidit, ita tandem tamen ceſſante hoc fluxu gravidam ipſam factam fuiſſe,

fuiſſe, nulla dubitavit, cum præſertim per integrum trimeſtre menſes plane nunquam notaſſet; at elapſo hoc tempore primo quidem aliquantum ſanguinis iterum per has vias profluxit, hincque grumi quidam rejecti fuere, quoniam vero nec ille fluxus nimius fuit, nec hi multum moleſtiæ faceſſivêre, abundantis ſanguinis indicium hoc eſſe judicarunt, nec ſpem conceptionis depoſuerunt; vix autem elapſo triduo doloribus quibusdam præcedentibus maſſam excrevit, quam propius examinatam obſtetrix experta pro mola agnovit, cum nec minimum quidem fœtus indicium in eadem reperiri potuerit; ſic ſat bene tamen poſt eandem excluſam ſe habuit, nec ſanguis in nimia quantitate ſubſecutus fuit; ſed illa veſpera dolores rediere, qui matri metum injecere, nunc ſubſecuturi nimii fluxus ſanguinis, unde me vocavit, & ego in quævis ſedulo inquirens, reſtare adhuc quædam in utero eidem peregrina judicavi, non tam ſanguinis fluxum ſiſtens, quam blande hæc promovens medicamentum, pulverem nempe ex Antim Diaphor. Cinnab. nat. pp. & ⊖ Volatil. Succin. conſtantem præſcripſi, poſt cujus uſum licet præter ſanguinem fœtentem nil rejectum fuerit, dolores tamen ceſſarunt, & ſequenti die mane ſic ſat bene ſe habuit; unde jam ſimilem ferme pulverem, omiſſo tamen ⊖ Volatili eandem aliquamdiu in uſum ducere juſſi, rediere autem ſub veſperam quidam dolores, urentes præſertim partes genitales, quas propterea neſcio cui accedenti vetulæ naſutæ ut inſpiceret, conceſſit, quæ roſam conſpectui patere dixit, & hinc matri uteri prolapſi metum injecit, quæ hinc illico obſtetricem vocavit, quæ cum una mecum metum vaniſſimum nominaſſet, continuato pulvere, & hinc excreta materiæ fœtentis quadam quantitate Dei gratia brevi poſt integre convaluit: Ubi matri interroganti, an falſa hæc conceptio mediante Venæſectione poſt primum bimeſtre impediri potuiſſet? negando reſpondi, ſimulque indicavi, quod niſi in tempore rejecta fuiſſet, plurima mala poſt ſe trahere potuiſſet: conſtat autem ex hac obſervatione, eas quæ virgines multum ſanguinis per uterum profuderunt, præ aliis molæ geſtationi eſſe obnoxias.

CCLIX.

Venæſectio in incipiente Cachexia proficua.

MErcatoris cujusdam Uxor, cum ante decem fere annos aliquot ſymptomatibus correpta fuiſſet, quæ non adeo injuſtum hydropis acceſſuri metum injiciebant, cum præſertim pedes indies magis intumuiſſent, hac de cauſa ipſamet dubitare cœpit, an Venæſectionem, quam tum non ſolum Vere, verum & Auctumno ſingulis annis inſtituerat, continuare liceat, licetque medicus ejusdem ordinarius merito hanc eidem diſſuaſerit, ejusdem tamen judicio non contenta, alium quoque propterea conſuluit, qui conſuetudini aliquid

quid dandum, ratus, ut ſemel ſolum in anno & in minori quantitate ſanguinem ſubtrahi in poſterum curet, ſuaſit; at nec huic paruit, ſed miram quandam in Venæſectione ſpem ponens illo Vere fere plus ac aliâs ſanguinis emiſit, quoniamque bene hoc ceſſit, tumorque inde non tam auctus quam imminutus fuit, ab illo tempore, non conſultis medicis ſingulis annis, ſicut olim Venam ſecari curavit, tamque bene ſe habet, ut, cum nuper dicta mihi narraſſet, non potuerim, ut & in poſterum continuet, diſſuadere: Experientia nempe ea, quæ per plures rationes pro noxiis habemus tam noxia non eſſe, ſæpe nos docet, quod inprimis qua Venæſectionem hactenus aliquoties notavi, & hinc ejuſcemodi exempla eo lubentius communico, ut inanis metus quorundam menti excutiatur, ne nimium abhorrentes â generoſo hoc præſidio interdum optimam agendi occaſionem ê manibus elabi ſinant.

CCLX.

Oculi colorem mutantes.

CUm nuper Matronam quandam, quæ gravida Venæſectionem inſtituerat, viſitaſſem, & alia quædam præſens filioli ejusdem hinc inde curſitantis oculos laudaſſet, narravit, ſe tum in hoc, tum in natu majore ejusdem fratre obſervaſſe, quod in lucem editi cœrulei coloris oculos habuerint, ſed intra quatuor fere annos hunc colorem paulatim ſic mutatum fuiſſe, ut jam eum, qui oculis noſtris pateat fuſcum nempe, quem nigrum etiam nonnulli nominant, acquiſiverint, & ſane alium nunc præ ſe colorem non ferunt; cumque Matri tanquam fide dignæ Matronæ fidem denegare vix audeam, notatu dignam ſane coloris mutationem communicatione quoque dignam judicavi; an & alii ejuſcemodi quid obſervaverint, per negotia inquirere non licuit, ſi tamen factum fuit, quin ab humorum quadam exſiccatione ſit derivandum, ego quidem nullus dubito.

CCLXI.

Cardialgia alexipharmaco medicamento præſertim cedens.

VIr quidam, qui haud ita pridem apud ſummum quendam Mœcenatem ſervum egerat, uti tum ſponſus â malo in principio non parvum injicientem metum Dei gratia Vomitorio mediante brevi liberatus fuit, ita nuper iisdem plane malis ſe correptum credens, urina miſſa, ut idem quod tum profuerat, medicamentum præſcriberem, per Uxorem rogavit, nec, cum urina quoque bilis in motu ſuo interturbatæ indicia quædam præberet, petito ejusdem defui, ſed Potiunculam tum vomitum tum alvum movendi viribus inſtructam præſcripſi, quæ & quod quidem deſiderabatur præſtitit, & ſæpius ambas

ambas has excretiones promovit; at tantum abeſt, ut & nunc tam bene inde ſe habuiſſet, ut potius quævis mala incrementum ſumſerint, dolor nempe Ventriculi inſignis, anxietas magna & appetitus prorſus proſtratus; unde ſequenti die me in conſilium vocarunt, accedensque ipſum ſumme quidem de hiſce malis conquerentem, absque febre tamen & urinam jam in melius mutatam excernentem inveni, indeque ut humorum Ventriculi os vellicantium & dicta mala excitantium acredo corrigeretur, Potiunculam huic uſui dicatam præſcripſi, quæ ſumta denuo malum non tam imminuiſſe quam exaſperaſſe viſa fuit, dum non ſolum dolor nec minimum quidem ceſſavit, ſed & calor febrilis acceſſit tantus, ut eum deliria comitata fuerint; unde, ut ſtatim iterum accederem, rogatus fui, pulſusque celerior & mihi calorem auctum prodidit, unde jam ne anguis in herba latitet, metuens, dictaque ſymptomata non tam humorem acrem, quam malignum producere ſuſpicatus, Potiunculam ex El. Diaſcord. Frac. & Pulv. Alexiph. præcipue conſtantem præſcripſi, quæ Dei gratia tantum profuit, ut illa nocte dormierit, & ſequenti mane ſe convaluiſſe nullus dubitaverit; quoniam vero nunc urinam iterum longe tinctiorem excreverat, utut cetera & mihi ſpem convaleſcentiæ fecerant, quin tamen revera Cardialgia laboraverit nullus dubitans, ne hæc reverteretur Specif. Cach. Ludov. uſum ipſi commendari, quo, iterum clementer benedicente Deo, tanto cum fructu uſus fuit, ut, cum vix per biduum illud continuaſſet, integre convaluerit: Tanta vero mala bilis exorbitans excitare poteſt, cui in ordinem redigendæ cum alexipharmaca etiam non parum conferre hæc obſervatio doceat, hæc eo promtius ſuadebis, ſi præſertim vel minimam malignitatis ſuſpicionem habueris: In hoc vero Viro Iram præcipue bilem ſic commoviſſe, ipſemet poſtmodum faſſus eſt.

CCLXII.

Urinæ difficultas à glande glandulis obſita.

Lithotomus quidam haud ita procul ab urbe noſtra habitans, cum nuper me præſide nobili cuidam Juveni adſtitiſſet, variorumque rarorum caſuum mentio injiceretur, inter alia recenſuit, ſe aliquando ad Senem quendam ſeptuagenario majorem vocatum fuiſſe, qui urinam non niſi ſummo cum dolore, & tam tenuiter, ut vix filum æquaverit, excreverit, hincque opem ſumme deſideraverit; huicque quidem primo Cathetere viam liberiorem reddere ſe tentaſſe, at hoc nec ad glandis quidem foramen penetrare potuiſſe, hincque penitius in cauſam ſe indagaſſe, & tactu præputium hinc inde glandulis obſitum, ſicque exitum obſerans inveniſſe, hincque illud digitis manus ſiniſtræ ſe arripuiſſe, quantum quidem fieri potuerit, ſupra glandem elongaſſe, hincque quemadmodum Judæi in circumciſione ſoleant, cultello ſuo reſcidiſſe,

ſcidiſſe, & ulterius inquiſiviſſe, ubi cum innumerum fere glandularum minorum numerum invenerit, haſce paulatim arte ſe conſumſiſſe, hincque ægrotum brevi poſt ſic convaluiſſe, ut hodienum integerrima fruatur valetudine, & urinam nunc liberrime reddat: Tantum nempe intereſt, noſce veras morborum cauſas, hiſce ſiquidem detectis vel graviſſimi morbi interdum non adeo difficulter curantur, ubi contra iisdem latentibus plura vel generoſiſſima remedia ſæpe diu fruſtra opponuntur, ante omnia itaque ſemper in cauſas inquire nec unquam laboris te pœnitebit.

CCLXIII.

Glanduloſa moles in Veſica latitans.

INterpoſito uno alterove ſermone, idem ſequentia quoque narravit: quod nempe haud ita pridem ad quendam vocatus fuerit, qui quoniam ſumma urinæ difficultate diu laboraverit, ut an calculo hæc ſuam originem debeat? reſciſceret, mediante cathetere exploraret, rogarit, quo applicato in veſicam quidem facile penetrarit, at non tam durum quoddam corpus & calculum, ſed glandulas plures majores minoresque inſtar ovarii gallinacei ſibi invicem appendentes, & circumferentia ſua pugnum fere virilem æquantes deprehenderit, quas quia alicubi Veſicæ annatas eſſe nullus dubitaverit, ſectione tolli non poſſe ſtatim ſtatuerit, hincque quomodo nihilominus opem ferre poſſit? ſecum pependerit; commode vero ſibi in mentem veniſſe, compreſſione hujus molis illam forſan imminui poſſe, & hinc quidem digito inteſtino recto immiſſo & manu abdomini applicata tantum eandem ſe compreſſiſſe, quantum quidem fieri potuerit, nec parum materiæ purulentæ inde per penem evacuatum fuiſſe, quæ indies in majori quantitate ſucceſſerit, cum poſtmodum mediante ſiphone hunc in finem adaptato liquorem convenientem injeciſſet, unde tandem æger Dei gratia convaluerit; an vero malum non ſit rediturum? eſt, de quo ego non parum dubito, licet in modo illud aggrediendi, non tam habeam, quod carpam, quam quod magis illum laudem: at ſunt morbi in quibus vel levamen afferre ſufficit, quique hac de cauſa identidem iteratis talibus operationibus opus habent, quas tamen ſæpius inſtituere, quam tam graviter afflictum derelinquere præſtat.

CCLXIV.

Diarrhoea alvum tenaciorem ſubſequens.

JUvenis quidam Mercator, cetera ſanus aliquando notat, quod excrementa ut aliâs per alvum deponere non poteſt, viſcidiora nempe, & pertinacius inteſtino recto adhærentia; parvam tamen hujus vitii curam gerit, unde tandem diarrhoea ſupervenit, quæ itidem in principio neglecta paulatim viribus

eundem

eundem ſic exhauſit, ut domi ſe continere opus habuerit, vox etiam rauca ſuborta hujus debilitatis non parvum dederit indicium; unde mater ejusdem me vocavit, & ego, utut poſt meridiem vocatus fuerim, nihilominus ſub veſperam Rhabarbarum eidem exhibui, quod per illam noctem aliquot adhuc ſedes promovit, ſed ſequenti die Dei gratia longe melius ſe habuit, præſcriptaque hinc Eſſent. Catech. vix bis terve in uſum ducta Dei gratia convaluit: Non confert nempe, ſi feces diutius quam par eſt, in inteſtinis detineantur, ſic enim magis corrumpuntur, & tum exhalationibus minus gratis diſtantioribus quoque partibus inſidiantur, tum humoribus particulas peregrinas communicantes eosdem in motus minus conſuetos cient, ſicque facile tandem & diarrhoeas producunt; qui ergo ejuscemodi quid notat, ſi in principio ſtatim alvum officii ſui memorem reddiderit, & correxerit corrigenda majora mala facile avertet.

CCLXV.

Partum peſſime retardans.

PAupercula quædam primipara, cum partui vicina dolores hunc antecedentes ſecundare debuiſſet, iis, qui ad hunc laborem inſtigarunt, aures minime præbuit, ſed potius quantum in ſe fuit, partum impedivit, unde per aliquot horas non ſuccedente illo dolores etiam remiſere, & hinc peſſima quæque metuerunt, tum reliquæ adſtanres tum ipſæ quoque obſtetrices quæ proinde, ut conſilium ſuggererem, ingruente jam nocte me rogarunt, nec defui ego petitis, ſed Potiunculam ex pulv. ad dyſtok. & ⊖ Volatil. Succin. præcipue conſtantem eidem præſcripſi, qua ſumta dolores tantum denuo ingruerunt, ut jam nolens eosdem ſecundare opus habuerit, nec fruſtra ſe huic labori vacaſſe, brevi poſt vidit, quia nunc fœtum excluſit, at mortuum, quem vivum excludere potuiſſet, ſi monitis obſtetricum paruiſſet: licet enim probe â ſe invicem diſtinguendi ſint dolores parturientium, ſi tamen conſtiterit, eos revera fœtum promovere, niſi ſecundent, gravia tum ſibi tum fœtui inferunt mala, quæ ſic male & aliquoties ſceleſte refragantur.

CCLXVI.

Febrim à balneo ſanans Cortex Peruvianus.

MAtrona quædam nobilis cum filiolis in balneo diligenter adſtitiſſet, ſudoremque inde commotum non tam diligenter deterſiſſet, aut & veſtibus madefactis mutatis ſibi conſuluiſſet, quam brevi poſt aeri corpus expoſuiſſet, brevi poſt inde pejus ſe habuit, & de frigore caloreque præter naturalibus ſe invicem excipientibus queri cœpit, quin de hac ipſa mutatione facies quoque teſtata fuit, dum jam expalluit, jam plus quam aliâs rubuit, quibus

U 3 cum

cum appetitus proſtratus & inconſueta laſſitudo accederent, ego propterea in conſilium vocatus fui, & primo quidem blandum diaphoreticum præſcripſi, poſt cujus tamen uſum melius ſe non habuit, & urinam, quam ſana hactenus ſemper claram & aqueam quaſi excreverat, jam tinctiorem & colore ferè aliorum ſanorum inſtar ſe habentem reddidit, unde, ne forſan febris intermittens ſubſequatur, metuens, cum alvum apertam haberet, Eſſent. Cortic. Peruvian. nunc commendavi, hacque vix bis terve ſumta non ſolum febrilis effervescentia ſedata fuit, ſed & urina priſtinum colorem acquiſivit: ut adeo in quibusvis fere febribus hic cortex laudem mereatur.

CCLXVII.

Tragea intempeſtive ſuaſa.

Piſtor quidam prope quinquagenarius, cujus temperamentum alio quam Melancholici nomine Veteres non inſigniviſſent, cum per aliquod temporis ſpatium per ſe macer corpore tamen indies magis conſumeretur, appetitumque fere penitus proſtratum haberet, Balneatorem alia de cauſa ipſum viſitantem propterea conſuluit, qui vix facta ventriculi minus bene ſe habentis mentione, ut trageam in pharmacopolio parari curet, eaque diligenter poſt ſingulas menſas utatur, ſuadet, ſine dubio credens, hanc remedii formam omnibus Ventriculi malis curandis ſufficere; at falſo, & cum hujus piſtoris non exiguo damno, cum enim hic talem pulverem, ſtomachicum ſine dubio ex aromatibus & aliis ſiccantibus etiam ſpeciebus compoſitum aliquoties in uſum duxiſſet, inde magis exſiccatis quibusvis partibus, inprimisque naribus obſtructis tum male ſe habuit, & aliquando tam difficulter reſpirare cœpit, ut, quin mors accelerata fuiſſet, ſi trageam continuaſſet, nullus dubitaverit, ſicuti ergo ſponte hanc ſepoſuit, ita poſtmodum meo conſilio uſus fuit, egoque anticachecticis, & cum alvum præſertim fere ſemper obſtructam haberet, blande humectantibus medicamentis ipſum opus habere, judicavi, hincque talia ordinavi: Hic vero eſt quorum vis Empiricorum mos, ut quibusvis aliis circumſtantiis nec minimum quidem perpenſis medicamenta commendent, quæ deinde non poſſunt non ſæpiuſcule magis nocere, quam prodeſſe.

CCLXVIII.

Calculo ſe laborare non credentes.

Conſuluerat me haud ita pridem Aurifaber quidam ſexagenario major, qui jam per bene longum temporis ſpatium urinam non niſi difficulter admodum reddit, interdum quoque per aliquot horas reddere non poteſt, non dubitans in medio fere penis cauſam mali latitare, cum eousque urina penetret quidem, at poſtmodum non niſi difficillime excernatur, quoniam vero

ſimul

ſimul quædam narravit, quæ quandam calculi in veſica præſentis ſuſpicionem mihi injecerunt, quod nempe olim calculum majuſculum excreverit, mucus viſcidus interdum cum urina ſecedat, & inprimis tenesmo ſæpius vexetur, ut vera morbi cauſa innoteſceret per Chirurgum partem affectam probe explorandam eſſe judicavi, hincque poſtquam illa innotuerit, me conſilia ſuggeſturum, promiſi; nec diſplicuit ipſi conſilium, ab illo enim tempore in Chirurgum hujus operationis peritum inquiſivit, cumque tandem ipſemet quendam altetius ergo huc vocatum, quantum quidem ex ſermonibus ejusdem ariolari potueram, commendaſſem, hunc non ſolum ipſemet adiit, verum & petiit, ut in mala, quæ in pene & veſica latitent diligenter inquirat, qui cum hoc feciſſet, calculum in veſica non ita parvum invenit, qui ut ſectione mediante eximeretur, tum ob viri ſenectutem, tum ipſius magnitudinem non conſultum duxit; ut itaque medicamenta præſertim dolores delinientia in uſum duceret, nec iis, qui calculum ſe aut expulſuros aut in veſica comminuturos audacter promitterent, fidem adhiberet, monuit; at, quod mirum, qui ipſemet prius ſemper de calculo ſuſpicatus fuerat, & ut certior hujus rei redderetur, exoptaverat, fidem huic in arte magiſtro minime adhibuit, ſed per uxorem ſuam ad me detulit, ſe optare, ut explorationem nunquam admiſiſſet, nullumque dubitare, quin à ſola pituita viſcida malum ſuam ſit derivandum, & hinc jam medicamenta in uſum ducere, que huic tum educendæ tum corrigendæ ſuffectura ſperet; ſicuti vero fideliter hunc monui, ne aures, in vanam ſpem ſe erigentibus præberet, ita is mihi in memoriam revocavit alios quoque, qui calculo ſe laborare aut reſcire nolunt, aut, ſi vel maxime certiores hujus ſui mali per artis peritos reddantur, iisdem fidem non adhibent; ſic mercatorem quendam novi, qui certo calculoſus medicos tamen hujus mali mentionem facientes vix ferre poteſt: & Perllluſtris quidam Vir, qui aliquoties olim conſilio meo uſus fuerat, vel hac de cauſa ſe alium mihi ſubſtituiſſe, coram quibusdam aſſeruit, quia ego non ſemel, calculo ſe laborare edixerim, utut non ſolum per plurima certiſſima ſigna, ſed & per explorationem, quæ cathetere etiam inſtituta fuit, is ſeſe ſufficienter prodiderit: At parum ſane ſibi ipſis ii conſulunt, qui morbo, quo revera laborant, ſe laborare non credunt, ſic enim in Agyrtarum manus incidentes ſemper quidem quosdam invenient, qui auribus illorum ſe accommodabunt, & aureos promittent montes, at tantum non ſemper certo quidem eos nummis emulgebunt; niſique malum gravius reddiderint, nunquam ſane tollent.

CCLXIX.

CCLXIX.

Faucium Inflammatio potu caffee curata.

MErcator quidam quadraginta fere annorum, jam diu in hypochondriacorum claſſe ſtrenuum agens militem, cum nuper iter quoddam abſolviſſet, domum rediens faucium tali inflammatione correptus fuit, ut non niſi difficulter admodum vel liquidiora quoque Juſcula deglutierit, unde & me in conſilium vocavit; egoque tum Gargariſmum convenientem ſuaſi, tum pulverem, qui ſanguinem motui ſuo impedito in his partibus reſtitueret, præſcripſi; is vero non tam his medicamentis uſus fuit, quam in pharmacopolium, ubi Infuſum Caffee divenditur, ſe contulit, & hujus calidi potus aliquot ſutellas evacuavit, jamque ſudore blando ſubſequente longe melius ſe habuit, & quævis fere ingeſta facilius deglutiit; pulverem tamen præſcriptum poſtmodum etiam ſumſit, & ſequenti die potum, qui tantum profuerat, iteravit tanto cum fructu, ut jam fauces ut olim muneri ſuo præfuerint; Variis nempe de cauſis potus calidi in hiſce morbis proſunt, dum non ſolum humores motui ſuo reſtituunt, ſed & partem ipſam affectam blando ſuo calore ſolantur, detergunt, & ſic in priſtinum reſtituunt ſtatum: Tuto itaque eosdem nec fruſtra, niſi ſolos, cum aliis tamen medicamentis alternatim in uſum ducendos aliis quoque commendabis.

CCLXX.

Diarrhœæ neglectæ ſupervenientia mala.

HOrologiopœi cujusdam filiolus quinquennis, diarrhœa correptus, hoc quidem malo Parentibus nec minimum metum injecit, cum illud â dentitione derivarint, & hinc ſponte iterum ceſſaturum nulli dubitarint; ſicuti vero vel hac de cauſa nullum prorſus medicamentum eidem oppoſuerunt, nec diætam vel minimum mutarunt, unde cereviſia loco potus ordinarii uſus fuit, ita inde quotidie incrementum ſumſit, & tandem vomitus ſucceſſit, quo quævis ingeſta rejecit, corporeque ſic conſumtus fuit, ut jam propterea meum conſilium expetierint; & ego eundem viſitans primo quidem potum mutare, cereviſiæque Decoctum Carn. Cydon. ſiccat. ſufficere juſſi, hinc Syrupum primas vias everrentem præſcripſi, & huic Eſſentiam Catechu ſubjungere, conſultum duxi, quæ cum ſic executi fuiſſent, vix triduo exacto puer Dei gratia ſic convaluit, ut mali nil reſtiterit; ut tamen Decocti potum adhuc per biduum continuet, ſuaſi, ne nempe malum, quod facile contingit, revocaretur: Non ſemper nempe parvi habendi ſunt alvi fluxus, cum non ſolum, quo diutius inſtiterint, eo difficilius quoque plerumque curentur, ſed & alia ſæpius

mala poſt ſe trahunt, quæ ut plures poſtmodum negligentiæ pœniteat, in cauſa ſunt.

CCLXXI.

Eryſipelas ſubſequens tumor totius.

RUſtici cujusdam Uſterſpachenſis Uxor, triginta annorum, jam per quinque menſes gravida Eryſipelate faciei corripitur, quod, cum in principio neglexiſſet, tumor primo brachiorum, hinc pectoris, pedum & reliquarum partium ſubſequitur, qui eam in lectum proſternit, maritumque movet, ut medicum propterea conſulere ſecum conſtituerit, meque, ſic ſuadente quodam ſuo amico, elegerit; mihi itaque Urinam Uxoris affert, utque ex illa, de quibus queratur malis judicem, rogat, nullus dubitans, ſic ex urina omnia patere, ut ulteriori relatione minime ſit opus, unde & ad plures meas interrogationes vix unum alterumve verbum reſpondit, nec niſi iisdem crebrius repetitis jamjam narrata ex eodem elicui; urina craſſa admodum & valde tincta talium malorum nec ſuſpicionem quidem injiciente, cumque tandem collegiſſem, tumorem ab Eryſipelate neglecto oriundum eſſe malum, contra quod medicamentis pugnandum, & urina abundantes in primis viis humores peccantes proderet, nec febrem ſubeſſe, ex quibusvis reſponſis extortis pateret, purgante opus habere ægram judicavi; quod dum præſcribere volo, demum indicat, gravidam eſſe Uxorem, miraturque ex urina me non perſpexiſſe; utut vero mitius propterea purgans ordinaverim, nihilominus tamen ut ſumeretur, conſultum duxi, huicque poſtmodum uſum Tincturæ Bezoarticæ ſubjungere juſſi, quæ in diſcutiendis tumoribus talem ortum agnoſcentibus omnino laudem meretur: Eryſipelas vero parvi non eſſe habendum, hæc obſervatio confirmat.

CCLXXII.

Ancilla falſiſſimum morbi ſtatum referens.

ANcilla quædam heræ præſertim accepta aliquamdiu difficulter incedit, & hinc pedibus ſe laborare queritur, cui malo cum varia domeſtica remedia & tandem ſudatorium Coriariorum fruſtra oppoſuiſſet, varicatisque pedibus dum ſemper magis ingreditur, tandem familiaribus ſuſpicionem ne lue venerea laboret, movet, dimittitur, & quidem ut apud ſororem curæ vacet; vocorque ego omnium harum rerum plane ignarus, dumque in mala ejusdem inquiro, refert ſe ante biennium, poſt longam ſaltationem præpropere aquam frigidam bibiſſe, & ab illo tempore ſe tuſſire, toto corpore conſumi, & jam pedes dolere; qua narratione illam phthiſeos ſuſpicionem mihi injeciſſe, vel peritiſſimus in arte vix dubitabit; unde cum præſertim ſequenti die eadem confirmaſſet, & urinam ſanorum ſic ſat ſimilem monſtraſſet, medica-

menta huic mala dicata præſcripſi; brevi poſt vero hera ejuſdem in principio relatorum me certiorem reddit, egoque jam & in ea mala, quæ luem prodere potuiſſent, inquirere mecum conſtituo, at, dum eam denuo viſitare volo, exceſſiſſe eam atque evaſiſſe, ſoror refert, & poſtmodum alii retulerunt, ipſam conqueſtam fuiſſe, quod morbum non agnoverim, ulcere enim partium genitalium ſe laboraſſe; quis vero de hoc vel cogitabit, ſi alia, quam quidem recenſui non detegantur? at ſic fere ſemper ancillæ quamplurimum negotii medicis faceſſunt, â quibus ne decipiantur, non fruſtra ſibi cavebunt, ſi præſertim plures ejuſcemodi hiſtorias noverint.

CCLXXIII.

Dolor poſt longum tempus in aliam partem translatus.

TInctoris cujusdam Vidua aliquot annis ſeptuagenaria major,ſenectute vegeta fruens, ſicuti jam per quadraginta & quod excurrit annos ſæpius exoptavit, ut doloris, quem in hypogaſtrii dextra parte ſemper fere perceperat, cauſa aliquando innoteſceret, hincque aliquoties ſuis in mandatis dederat, ut poſt mortem ſuam cultro anatomico per artis peritos in eandem inquirerent, ita magis adhuc curioſa fuit facta, cum ante ſex fere hebdomadas, dum in lecto ſedens illud brachiis arctius corpori jungit, ſubito ex hac parte dolor hic qui tam diu quaſi ſedem fixerat, in hypochondrium ſiniſtrum translatus fuiſſet, ibique tumorem ovi gallinacei magnitudinem æquantem, profundius tamen latitantem excitaſſet, indeque, non tam quidem, ut opem afferrem, quam ut malum tam moleſtum, ut ferre nequiret, non exiſtat, & ut de cauſa mentem meam detegerem, me vocavit; ſicuti vero hîc certi quid edici poſſe, ſtatim negavi, ita ſi dolor hic locum nunquam mutaſſet, ego quidem nullus fere dubitaſſem, ureterem dextrum pro parte affecta eſſe habendũ, cum eam corporis regionem occupaverit, qua affecta in aliis bis jam poſt mortem calculum huic ductui infixum inveni, at hic locum ſic minime mutare potuiſſet, an ergo in inteſtinis aliquid latitarit, quod tam diu moleſta ſuæ præſentiæ indicia præbuit, & tandem in aliam eorundem partem translatum fuerit? uti quidem nunc judicavi, aliis dijudicandum relinquo, ſique forſan olim propius inſpiciendi licentia data fuerit, quæ detegentur fideliter communicabo.

CCLXXIV.

Abortus Rob Juniperino adſcriptus.

POſt meridiem, quo hæc meditatus fui, acceſſit me militis cujusdam Uxor, quæ haud ita pridem abortum paſſa fuerat, nec absque lacrymis refert, ſibi â magnæ auctoritatis quodam Viro exprobratum fuiſſe, quod ipſamet hunc

hunc abortum medicamentis procurarit, & hinc graviſſimum commiſeri peccatum, indeque me rogare, ut teſtimonium innocentiæ dem; quemadmodum autem ego nullam plane hujus mulieris notitiam habens, hic certi quid teſtari me non poſſe, reſpondi, ita, quid ejuscemodi quid de ipſa ſuſpicandi occaſionem dediſſet? interrogavi, cumque reſpondiſſet, ſe ante aliquot menſes Rob. Juniperinum comparaſſe, ejusq; quandam quantitatem deglutiiſſe, eum præcipue in finem, ut Ventriculus inde corroboraretur, minime vero ut abortum promoveret, quem jam huic adſcribi credat; at ego, niſi alia adhibuerit, injuſte ipſam accuſari pronunciavi, ſique expetat, de hoc lubenter me atteſtaturum promiſi: Tantarum nempe virium Rob. Juniperinum non eſt, ut fœtum expellere poſſet, quam vel fortioribus medicamentis moveri non poſſe, alibi jam demonſtravi, ſi vero vel ſaltem hunc in finem in uſum duxiſſet hæc, jam reprehenſionem mereretur.

CCLXXV.

Pleuritis ſpuria flatulenta.

Auriſaber quidam nondum quadragenarius, diætæ regulas non ita ſtricte obſervans, inde paulatim ſcabiem contraxit, quæ, quia eadem ſemper vitia continuavit, indies augmentum ſumſit, & pruritu præſertim valde moleſto eum commovit, ut ſudatorium Coriariorum (quod nonnulli fere pro univerſali habent remedio,) ingreſſus fuerit; utut vero ibi multum ſudaverit, quia tamen univerſale medicamentum non præmiſerat, & ſub illud ipſum tempus murænis ſic ſe delectaverat, ut earum plures ingeſſerit, inde quadam nocte, cum prius alvi fluxu laboraſſet, hoc ſponte ceſſante in dolores lateris punctorios tam acerbos incidit, ut non ſolum abſque ſomno ſed & ſedens illam conſumere opus habuerit; unde ſummo mane me vocavit, utque remedia convenientia ſuggererem, ſumme rogavit; ubi, cum appetitu ſe valere, nec cetera vel minimum, de quo queratur, ſe habere, indicaſſet, ſimulque nullum caloris aucti ſubeſſet indicium, tuſſis quoque abeſſet, Pleuritide quidem at ſpuria ipſum laborare judicavi, hincque Potiunculam laxantem ipſi præſcripſi, quæ ſumta aliquoties quidem alvum movit, non vero tam dolorem abſtulit, quam locum mutare fecit, ea ſiquidem vehementia, qua prius latus ſiniſtrum nunc dextrum is occupavit, unde iterum me propterea conſuluit; licetque jam Potiunculam ex præcipitantibus & anodynis conſtantem ipſi præſcripſerim, externeque Oleum lini calidum parti dolenti imponere juſſerim, nec poſt hæc tamen remedia melius ſe habuit, donec tandem Mixturam, cujus præcipuum ingrediens ⊖ Volatile Oleos. conſtituerat, Dei gratia tantum profuit, ut dolores omnino remiſerint; revocati tamen potu cereviſiæ à me nondum conceſſæ jam in abdomen usque ſe extenderunt, ite-

rum vero ⊖le modo memorato Elix. Aper. maritato ſumto, flatibusque inde expulſis brevi ceſſarunt, unde jam diætæ rationem majorem ſe in poſterum habiturum ſecum conſtituit: Sicuti vero hoc ipſo murænæ minus ſe commendant, nec ſic inter cibos ſalubres referri merentur, ita minus ſanitati ſuæ conſulere, qui Coriariorum ſudatorium non præmiſſo purgante, (quando præſertim humores peccantes abundant,) ingrediuntur, uti quidem hactenus nunquam dubitavi, ita hac ipſa obſervatione magis in ſententia mea confirmor.

CCLXXVI.

Cholera ſubito ſuborta.

PRæfecti cujusdam Uxor elegantis formæ & teneræ conſtitutionis, triginta fere annorum, cum, quantum quidem ex ſignis externis colligi poterat, ſic ſat bene ſe habuiſſet, præterita hebdomade ſancta, feriaque ejusdem ſecunda, cum media nocte cubitum iviſſet, frigore corripitur tam intenſo ut & vix calefieri denuo potuerit, vix vero redeuntem calorem naturalem ſubſequitur dolor Ventriculum ſic gravans, ut pondus graviſſimum in eodem deliteſcere viſum fuerit, & hic paulatim in inteſtina quoque ſe extendens tantum eandem debilitavit, ut & animi deliquia imminuerint, licetque pro malo hyſterico agnoſcentes, quæ vocatæ fuere mulierculæ, quædam eidem dicata remedia adhibuerint, hæc tamen minime profuerunt, ſed tandem vomitus quoque ſucceſſit, qui cum comite alvi fluxu viribus tantum ſubtraxit, ut tandem nec fecibus quidem extra lectum deponendis ſuffecerit, ſed hoc illis commacularit; quod maritum commovit, ut meum propterea conſilium expetierit, ubi ego quidem Rhabarb. toſt. & Eſſent. Catech. anodyn. maritatam, uti in talibus malis ſoleo, præſcripſi, quæ medicamenta Dei gratia tantum profuere ut poſt biduum ſe penitus convaluiſſe per litteras retulerit: Hujus choleræ cauſam externam nullam quidem afferre potuit maritus, ego vero cibos, qui ſub hoc tempus â Romanæ religioni addictis adhibentur, non parum contuliſſe, totus credo.

CCLXXVII.

Hypochondriacus Hectica ſe laborare credens.

MErcator quidam Ulmenſis ejusdem fere ætatis, ſub idem tempus me acceſſit, & ut in Vertigine, qua aliquoties corripiatur, conſilium ſuggeram, rogavit, dum vero in hujus cauſas penitius inquiro, inter alia refert, ſe in Italia adhuc degentem doloribus quaſi arthriticis correptum fuiſſe, & hinc tum Medicum ſat celebrem conſuluiſſe, qui Conſilium, quod ſcriptum mihi ſimul exhibuit, ſuggeſſerit, ex quo docte exarato perſpicere potui; Medicum

dicum tum plurimum metui tribuiſſe, quem & nunc non tam ab arthritide aut prius dicto morbo quam hectica ſubſecutura ſe non exiguum in pectore alere, poſtmodum faſſus eſt, quin ut huic præſertim remedia opponerem, ſerio rogavit; ſicuti vero tum facies cum Melancholicis annumerandum eſſe, detexit, tum cetera ſigna urinaque præſertim arenulis ſubtilioribus ſcatens indicaſſent, malum hypochondriacum eſſe, quo laboret, huic inprimis dicata medicamenta eidem commendavi, quibus ſine dubio Deo benedicente majori cum fructu utetur, quam ſi quævis vel laudatiſſima antihectica in uſum duceret: Felices nempe vel potius infelices in hoc ſunt plerique hypochondriaci, quod de morbis, quibus minime laborant, magis ſunt ſoliciti, quam de eo qui ſic illorum mentem parturbat; hincque medicis identidem plus negotii faceſſunt, ſi perverſas tales ſententias iisdem eripere voluerint, quam vel ipſe morbus curandus, utut & hic tam facile ac quidem cognoſcitur, non curetur.

CCLXXVIII.

Ardor Ventriculi â Chorea ſuſcitatus.

AUrifabri cujusdam Uxor, cum in nuptiis cujusdam amici hilarem admodum ſe præbuiſſet, & inprimis per bene longum temporis ſpatium choreas duxiſſet, ſitibunda inde Vini Tirolenſis dulcis hauſtum ſumſit, & brevi poſt domum rediit, ibique tanto Ventriculi ardore correpta fuit, ut non ſolum integram noctem inſomnem duxerit, verum & â veneno exhibito quin faſcino ſibi metuerit, unde ſummo mane me vocavit, & tum hunc ſuum metum mihi expoſuit, tum ut remedia convenientia ſuggeram, ſumme rogavit; ego vero ſicuti falſam inprimis ſuſpicionem ejusdem menti eximere ſtudui, dum non tam habui, ut cauſis altioribus adſcriberem, quod commode ab humoribus acribus motis derivari potuit, ita præmiſſo laxante pulverem præcipitantem inprimis eidem præſcripſi, quo aliquoties ſumto ardor remiſit, ipſaque poſtmodum in platea me offendens, erroneam ſententiam ſe jam plane mutaſſe, retulit: Diſſipat quidem ſæpiuſcule ſaltatio humores quosdam peccantes, & hinc modica ad ſanitatem conſervandam interdum confert, at ſubinde eosdem movet quidem, ſed non promovet, unde non poſſunt non varia ſuboriri mala, ſi præſertim plures ſimul in diæta errores committantur.

CCLXXIX.

Ejulatus puerilis cauſa quædam detecta.

AMicorum cujusdam meorum filiola per quatuor fere menſes Dei gratia tam bene ſe habens, ut quævis indicia ipſam integerrima frui ſanitate, abunde detexerint, hinc illum eo magis una cum uxore ſua perterruit, cum

ſubito tantum ejulare cœpiſſet, ut per integrum diem huncque ſubſequentem noctem vix per aliquot temporis momenta quieverit, cauſamque tantorum clamorum in principio invenire nullo modo potuiſſet, eo diligentius vero ſedula mater propterea inquiſivit, & cum notaſſet, clamores inprimis intendi, quando urinam reddidit filiola, de calculo primo cogitavit, ſimul vero & partes huic operæ dicatas propius adſpexit, easque hinc inde excoriatas invenit, jamque nulla ulterius dubitavit, dolores hinc concitatos ut eos tantis ejulatibus, alio modo non potens, indicarit, in cauſa fuiſſe, & balneo propterea corpuſculum ejusdem immerſit, quod & ſic Dei gratia juvit, ut ſe in ſententia ſua non fuiſſe falſam, nulla dubitaverit: Juvat vero ejuscemodi cauſas ejulatuum puerilium vel ideo deſcribere, quia ſæpe ſat diu nos latent, quo plures vero nobis innotuerint, eo facilius in poſterum detegere easdem poterimus.

CCLXXX.

Paralytica mali ſui ignara.

MAtrona quædam quadragenaria major, jam diu doloribus capitis atrocibus torta, utut plura iisdem generoſa oppoſuerit remedia, levamentumque interdum quoddam perceperit, nunquam tamen diu hoc beneficio fruita fuit, ſed poſt nimiam præſertim per uterum factam ſanguinis profuſionem ſemper fere dolores cum fœnore rediere,& eandem proſtravere; cum ergo ante menſem & quod excurrit, denuo plus quam jam per aliquod temporis ſpatium menſes fluxiſſent, hocque fluxu vix ceſſante non ſolum aliquoties corpus aeri expoſuiſſet, verum & nimium moviſſet, inde ultimo domum rediens tantos iterum percepit capitis dolores, ut in lectum ſe conferre opus habuerit, quin mareria peccante jam nervos lateris ſiniſtri ſic occupante, ut ſpiritus per eosdem in ſufficiente quantitate partibus ejusdem ſuggeri non potuerint, motu illarum deſtitui cœpit, notatuque mihi dignum videbatur, quod licet cetera ratione ſat integra gaviſa fuerit, & verbis animi ſenſa explicare potuerit, tantum tamen lateris ſiniſtri defectum non obſervaverit, ſed interrogata, an movere manum ſiniſtram poſſit, affirmando reſponderit, & dum dextram movit, illam ſe moviſſe firmiter crediderit, quod idem & qua pedem affirmavit: idem nempe eidem contigit, quod iis, qui vel in pedis amputati digitis ſe dolorem percipere, ſibi imaginantur, minus miſera interea exiſtens, quamdiu miſeriæ ſuæ ſic ignara vivit.

CCLXXXI.

Renum acerbus dolor.

SEnex quidam diu jam doloribus lumborum divexatus, quin ab iisdem tandem proſtratus fuit, indeque variorum conſilia & ſemper urina ſolum miſſa petiit, ubi cum uxor non tam lumbos quam latera nominaſſet, macularumque etiam, quales alias in ſcorbuticis notantur, ſimul mentionem feciſſet, ego quidem de lienis hepatisque obſtructione cogitavi, cum præſertim toto quoque corpore conſumeretur, hincque hiſce inprimis malis dicatum remedium præſcripſi; quod cum fruſtra omnino in uſum duxiſſet, ut accederem rogatus huic petito ſatisfaciens, & manibus partem affectam explorans, renes partem affectam eſſe, conſtitit, in quibus calculos latitare nullus dubitavi, & hinc jam ea medicamenta, quæ in hiſce doloribus deliniendis laudantur, præſcripſi; hic vero hoc produxi, ut confirmem, tum, quam fallax ſit ex urina ſola judicium, tum, quod ad cognitionem morborum non parum juvet, partem affectam ſubinde & tactu explorare.

CCLXXXII.

Eryſipelas ægrotis adſtando contractum.

MUlier quædam paupercula, integra tamen Dei gratia fruens ſanitate, cum aliquamdiu Matronæ cuidam graviter decumbenti fideliter adſtitiſſet, hincque non ſolum per ſex ferme dies veſtes nunquam exuiſſet, verum & ſomnum vix ac ne vix quidem cepiſſet, dolore pedis correpta, cum hunc propterea attentius aſpexiſſet, intumuiſſe & rubere illum notavit, quidque mihi de hoc malo videretur? ſequenti die interrogavit, & ego, cum levem quoque alterationem in reliquis partibus anteceſſiſſe retuliſſet, ipſam Eryſipelate laborare, nullus dubitavi, unde tum Tincturam Beſoarticam ſumere, & poſt hanc ſumtam ſudori vacare eandem juſſi, tum ut parti affectæ farinam ſecalinam cum pulvere Radic. Liquirit. mixtam inſpergeret, ſuaſi; quæ quidem remedia me hactenus raro fruſtra commendaſſe, alibi jam mentionem feci, hanc vero hiſtoriam produxi, quia, ſicuti in lineis legiſti, quendam hoc morbo quando febre malignis laborantibus adſtitit, fere ſemper correptum fuiſſe, ita interea non ſolum hanc, ſed & alios aliis etiam ægrotis ſedulo adſtantes eidem malo obnoxios fuiſſe, notavi, uti vero raro iisdem vel minimam intulit noxam, ita ſine dubio â plerarumque rerum non naturalium uſu mutato; humores inordinatè movente illud derivandum eſſe mihi quidem videtur.

CCLXXXIII.

CCLXXXIII.

Lac Vetulæ cuidam ſumme proficuum.

VIdua quædam aliquot annis ſeptuagenaria major in Xenodochium recepta, primo debilitate, quam ſenio adſcripſit, corripitur, & hinc remedia huic tollendæ idonea vix reperiri, credens, eidem etiam aliud quam quietem non opponit; at dum nec hæc vel minimum ſufficit, ſimulque vomitus quorumvis ingeſtorum accedit, medicus propterea conſulitur, qui hîc ſpem vitæ parvam ſupereſſe judicat, magisque ut ad morem beatam ſe præparet, eam monet, quam quod multa præſcripſiſſet medicamenta; ſedulo tamen roganti, ut, cum hactenus præter aquam fontanam retinere nil quicquam in Ventriculo potuerit, lactis potus concedatur, eundem non ſolum concedit, ſed & prodeſſe quodammodo poſſe, nullus dubitat; porrigitur hinc eidem lactis tantum, quantum deſiderat, deſideratum hunc potum retinet Ventriculus, hincque indies melius ſe habet, & vel hac de cauſa per pluſculos dies alio alimento non utitur, & quidem Dei gratia tam feliciter, ut jam iterum laboribus, quibus olim in hortis præſertim vacavit, præeſſe poſſit, hincque lac miris extollat laudibus: Bis pueri Senes nempe & hoc modo fiunt, quod ſicut illi ob tenerrimam Viſcerum conſtitutionem non niſi alimenta coctu facilia concoquere poſſunt, hi horum robore tam diuturno uſu detrito quaſi & infracto, niſi cibos coctu difficiliores fugiant, morbos varios contrahunt, & mortem non parum accelerant; Lac vero quam maxime hîc convenire, nemo ſpero dubitabit.

CCLXXXIV.

Arthriticus diæta optime ſibi conſulens.

ARthritico quodam Illuſtri nuper in media ætate in mortis prædam cedente inter varios de eodem habitos ſermones, quod nempe non ſolum vita ſua inordinata, verum &, quod cuivis Empirico fiderit, & hinc varia remedia externa adhibuerit, mortem accelerarit, Vir quidam fide digniſſimus retulit, ſe habuiſſe olim ſocerum, qui arthritide per pluſculos annos decubuerit, & interdum quoque ſe eodem decumbere fixerit, cum quoties voluerit, arthriticus evaſerit, hunc vero iisdem revera tortum, nunquam ullum adhibuiſſe remedium, at ſtrictiorem ſervaſſe diætam, parumque admodum ediſſe, nec ita multum bibiſſe, unde non ſolum dolores nunquam fere modum exceſſerint, ſed nec per ita longum temporis ſpatium inſtiterint, annosque plures vivendo ille extraxerit: Et ſane Arthritici hoc modo plerumque melius ſibi conſulent, quam vel plurima medicamenta in uſum ducendo, malum enim inordinata vita contractum (uti quidem hoc tantum

tum non ſemper eadem contrahitur,) melius non corrigitur, quam errores, quæ illud excitarunt, ſedulo fugiendo, & ab iis, quæ nocere poſſunt, abſtinendo; quantum enim nonnulli arcana ſua extollant, vel unicum tamen hactenus diu votis arthriticorum ſatisfeciſſe, ego quidem nunquam vidi, inprimisque is, qui occaſionem ad hæc referenda ſuggeſſit, aliquoties egregie deceptus fuit: in ſpecie vero, cum nuper cuidam arthritici dolores diutius ac alias moleſti extitiſſent, notavi, quod is cereviſia pota eosdem prolongarit, ut adeo hæc arthriticis minus tuto concedatur.

CCLXXXV.

Balneum primo nocens hinc juvans.

JUvencula quædam, cum poſt primum puerperium balneum ingreſſa fuiſſet, quod ipſa pro nimis calido habuit, ab illo tempore, quo illud reliquit, minus bene ſe habuit, dum non ſolum caloribus illis, quos volaticos nominant, continuo fere vexata fuit, verum & menſibus ulterius nunquam rite fluentibus, utut præter votum non conceperit, abdomen tamen intumuit, unde cum varia alia remedia fruſtra in uſum duxiſſet, tandem & meas pulſavit fores, egoque quibusvis circumſtantiis rite perpenſis, quæ balneo quidem haud ita immerito adſcriberentur mala, aliud balneum iterum ſublaturum ſperavi, in tempore ſiquidem & debito modo adhibitum hoc remedii genus non parum in hyſtericis præſertim affectibus confert, hincque haud ita procul ab urbe noſtra diſtans Balneum Weringenſe commendavi, quo cum uſa fuiſſet, Dei gratia ſic convaluit, ut aliquot poſtmodum liberos ediderit: Non ſemper nempe nec qnibusvis etiam ſubjectis prodeſt, ſi ſtatim poſt puerperium inſtituatur balneum, debito præſertim calidius, uti tamen alias quoque ita novum non eſt, idem remedium excitare quoddam in corpore malum, & hoc ipſum poſtmodum denuo tollere, quod quidem qua accidulas me in lineis medicis hiſtoria quadam probaſſe memini, ita idem hic qua balneum etiam ſucceſſit.

CCLXXXVI.

Lochiorum fluxum inhibere male tentantes.

PUerpera quædam, cujus hiſtoria propediem dabitur, cum in varias Lochiorum fluxus ante tempus ceſſantis cauſas inquiſiviſſet, tandem recordata fuit, quod matri aliquando, ancilla, quæ in puerperio tum eidem adſtitit, ferrum illud tripes cui ollæ imponi ſolent, Juſculo immerſerit, quoniamque tum itidem lochia eidem ſubſtiterint, ne ejuscemodi quid & ſibi contigerit, metuit, cum præſertim, dum & ſuæ ancillæ hoc narravit, illa erubuit; detexit hinc hoc reverendo Presbytero, qui quantum in ſe fuit illam ſolatus eſt,

 ſimul

ſimul tamen promiſit, ſe rem ad me quoque delaturum, quibus promiſſis cum ſtetiſſet, cur, ſi vel maxime hoc modo lochiorum fluxum impedire tentaſſet ancilla, ſuccedere potuiſſet, me quidem non perſpicere reſpondi, cum ferrum hoc modo in uſum ductum lochia non tam inhibere quam blande promovere poſſit, quam vim huic metallo adſcribi, vix tyrones latet, licetque interdum & adſtringens quædam vis eidem tribuatur, nec hæc tamen hoc modo præſertim eodem adhibito, tanta eſt, ut hoc fluxum inhibere poſſet, nec alio modo, quam cauſas nimii fluxus corrigendo talem affectum illud poſt ſe relinquit, quæ in ſolatium puerperæ poſtmodum coram ipſa repetii: utut vero hæc ſic revera ſe habeant, minime tamen in ancillis hiſce laudandum eſt, ſi hunc fluxum quovis modo inhibere tentant, jamque intentio talis damnanda eſt, utut, niſi forſan ſuperſtitio quid valeat, non ſuccedat, ſummo enim in diſcrimine verſatur puerpera, quæ ſic reddenda in puerperio non reddit; reperiri vero tam ſceleſtas ancillas, quæ ſolum ut minori moleſtia ſervitio ſuo præſint, illicita talia adhibent remedia, non ſemel jam mulierculas querentes audivi, quæ autem eo ipſo revera ſeveras merentur pœnas.

CCLXXXVII.

Elixiria acida non cuivis conducunt.

AUrifaber quidam tenerioris conſtitutionis, & ad phthiſin pronus, cum hac de cauſa varios conſuluiſſet, tandem ex conſilio neſcio cujus amici Elix. Propr. Parac. â quodam empirico paratum in uſum ducere cœpit; quoniam vero ſimul quidam alii eidem retulerunt, tam acre eſſe hoc elixir, ut inteſtina quoque erodat, an tuto in uſum illud ducere poſſit? me interrogavit; ubi noſcens inprimis multum Spiritus Vitrioli huic Elixirio addi, quod minus eidem conducat, reſpondi, cum non tam acidis acribus & ſuccos ad alendum minus idoneos reddentibus quam blandioribus medicamentis opus habeat, licetque regeſſerit, ſputum illud ſic promovere, ut ſumto eodem interdum hoc nigricans rejiciat, tingere quidem ſputum poſſe, conceſſi, at quod propterea quoque ſit profuturum, negavi; hincque potius Elix. Aper. Clauderi eidem commendavi, cum præſertim poſtea retuliſſet, ſe, quoties ſumat hoc Elixir, tormina percipere, quæ ſane ejusdem acredini adſcribenda erant; hinc vero non niſi rariſſime hodie acido tam abundantia Elixiria commendantur, variaque alia jam diu in uſu eſſe cœperunt, quæ & majori cum fructu ſumuntur.

CCLXXXVIII.

Variolæ aureæ ſcabiei interſperſæ.

HOrologiopœi cujusdam filia viginti annorum, quæ menſium fluxum hactenus nunquam habuit, cum nuper ſcabie laboraret, matris ſuaſu Sudatorium Coriariorum ingreſſa fuit, ibique bis ſudori tantum non nimio vacavit; tantum vero abeſt, ut ſcabies inde vel minimum mitigata fuiſſet, ut potius poſtea plus quam ante pruritui mederi opus habuerit, ſucceſſit poſtmodum dolor capitis minus conſuetus, quem jam frigus comitabatur, jam hoc inſequens calor nimius intenſiorem reddebat, unde mater denuo in ſudore auxilium quæſivit, & hinc bis in lecto eundem mediante Rob Sambuci provocavit, unde quidem dicta ſymptomata ſic ceſſarunt, ut jam iterum laboribus ſuis vacare potuerit; at quoniam ſucceſſere puſtulæ quædam, ab iis, quæ ſcabies hactenus produxerat, plane diverſæ, hæ matrem tam ſolicitam reddidere, ut me propterea vocaverit, cumque accedens eam extra lectum offendiſſem, propius non inſpectis exanthematibus illis primo ſtatim pro ſcabiei producto agnoviſſem, at cum paulo poſt & faciem iisdem conſperſam vidiſſem, ut intimius conſiderarim, hæ me moverunt, ubi variolas illas, quas hic loci aureas nominari, in lineis meis legiſti, interſperſas ſcabiei eſſe, notavi; quoniam vero non adeo male ſe habuit, ne corpus aeri exponeret, ſuaſi, ſimulque præſcripſi pulverem alibi jam in ejuscemodi caſibus commendatum, quibus mediantibus Dei gratia ſine dubio brevi convaleſcet, poſtmodumque & Scabiei idonea remedia opponi poterunt: Confirmatur vero dictis Scabiem ab hiſce & ſimilibus puſtulis neminem immunem præſtare, propiusque omnino easdem eſſe inſpiciendas, ſi quis quid certi de iisdem judicare voluerit.

CCLXXXIX.

Pedum dolor Venæſectioni in iisdem inſtitutæ cedens.

MUlier quædam ſexagenaria prope, ſtrumoſa, cum nuper in tam difficilem reſpirationem incidiſſet, ut & à ſuffocatione ſibi metuerit, cum medicamenta à me præſcripta Dei gratia non absque fructu in uſum duxiſſet, quid mihi de Venæſectione videretur? interrogavit, & ego, cum malum non tam â ſanguinis abundantia quam ejusdem viſciditate inprimis foveri, nullus dubitarem, hanc prorſus non convenire, judicavi, hincque medicamenta potius convenientia præſcripſi; dum vero quam malè ſibi multi conſulant, qui Venæſectionem ea minime opus habentes adhibent, quibusdam exemplis probavi, illa retulit, ſe virginem adhuc diu admodum doloribus pedum valde moleſtis tortam fuiſſe, & hinc ſuadentibus amicis venam in pede ſecari curaſſe, eumque hanc ſibi tantum profuiſſe, ut ab illo tempore ab his doloribus immu-

nis degat; uti vero tum parcior menſium fluxus doloris cauſa extitit, ita non potuit non prodeſſe; mutantur autem tempora, & nos mutamur in illis, nec quod Juvenibus olim profuit, eodem modo & Senibus conducit.

CCXC.

Febris vehementius vomitorium ſubſequens.

FOEmina illa, cujus haud ita pridem mentio facta fuit, poſt in uſum ducta medicamenta ex marte & Cinnab. præcipue conſtantia tum qua caput quidem, tum qua Ventriculum melius Dei gratia ſe habere cœpit, at ſicuti â ſumto vomitorio ſpasmus præſertim multum admodum ipſi concitavit moleſtiæ; ita hunc quidem haud ita magni habuiſſet, ut me propterea conſuluiſſet, niſi brevi poſt febris etiam & quidem quotidiana ſuperveniſſet, circa veſperam nempe ſingulis diebus â frigore initium ſumens, & poſt calorem aliquot horarum cum ſudore finita; cum enim hæc bis terve ſic rediiſſet, & pene eandem proſtraviſſet, iterum conſilium meum expetiit, & ego ſequentes Pilulas præſcripſi

℞. Pulv. Cort. Chin. Chin. ʒjß.
Cinnab. nat. pp.
Balſ. Peruv. aa. ʒß.
C Eſſ, Abſinth. q. ſ. f. Pilul. Num. CXII,
conſperg. Pulv. Liquir.

Sign. Pilulen / davon auf einmal Siebne zu nehmen.

Hiſce vix bis terve in uſum ductis febris ſtatim remiſit, abſumtis vero ſic ab eadem liberata fuit, ut jam Dei gratia ſic ſat bene ſe habuerit: Laxatis nempe nimium Ventriculi & Inteſtinorum fibris â vehementiore Vomitorii operatione, muneri ſuo hæc viſcera ut olim præeſſe non potuerunt, hincque reſtitantibus quibusdam expellendis iisque corruptis febris originem ſuam debuit, quæ facilius curata fuit, quoniam hæc haud ita diuturnam in corpore moram traxerant.

CCXCI.

Calculus Medicum latens.

AUrifaber quidam, cum ante pluſculos annos dolore lumborum præſertim regionem occupante aliquandiu laboraſſet, huncque tum calor etiam præternaturalis comitaretur, medicus adſtans â febre dolorem derivans, & hinc illius præcipue rationem habens, per aliquot hebdomadas varia refrigerantia remedia eidem commendavit, ſicque febrem extinxit; at tantum abeſt ut dolor quoque mitigatus fuiſſet, ut potius indies incrementum ſumſerit, quod

quod ægram commovit, ut urinam ad carnificem celebrem tum Medicaſtrum miſerit, qui ſtatim calculum ſubeſſe enunciavit, & hinc huic dicatum quoddam medicamentum commendavit, quo ſumto brevi poſt calculum non ſine inſigni dolore excrevit, ſic vero ſimul â dolore liberatus fuit, ut per aliquot annos non habuerit, quod de illo conquereretur: occupat nempe has partes ſubinde dolor, qui merito febri adſcribitur, at ſi ab hac originem ſuam traxerit, ea depulſa itidem ceſſabit, inſtans igitur merito renum affectorum ſuſpicionem nobis injiciet, cum & horum dolores ſubinde febrim accendant, quæ tamen raro diutius doloribus inſtat, qui calculo præſente nunquam mitigabuntur, niſi hujus præcipua habeatur ratio: non vero tam peritiæ, quam audaciæ Empirici adſcribendum eſt, quod malum tam cito agnovit, cum ſine dubio is quosvis lumborum dolore correptos pro calculoſis habuerit, unde & ſæpius eundem falſum fuiſſe, & alios fefelliſſe, nullum eſt dubium, tantum vero latent ſubinde calculi, ut medico eosdem non ſtatim deprehendenti minime opprobrio eſſe poſſit.

CCXCII.

Cereviſia fuſca pueris minus conveniens.

MErcatoris cujusdam unica filiola nondum biennis cetera Dei gratia ſana quidem, at ex Parentum indulgentia cereviſiam illam, quam fuſcam nominant, bibit, unde, quamdiu ſitim non adeo magna ejusdem quantitate ſedare potuit, non adeo male inde ſe habuit, at cum nuper dentibus quibusdam erumpentibus ſitis augeretur, hincque multum admodum hujus cereviſiæ puella ingurgitaret, inde non ſolum hanc, ſed & quævis alia ingeſta vomitu rejicere cœpit, quibus vomitibus accedens calor auctior matrem permovit, ut me propterea vocaverit, & ego, ut peccans materia in primis viis latitans blande ſubduceretur, Rhabarbarum cum Sir. conveniente eidem præſcripſi, ſimulque potum per aliquot dies mutare juſſi, decoctum Carnis Cydonior. Cereviſiæ ſubſtituens; nec fruſtra mihi paruerunt, ſumto enim laxante, & vix per biduum poto decocto filiola tam dilecta Dei gratia integre convaluit: Cereviſia nempe, qualis apud nos excoquitur, non adeo magno cum fructu pro potu in tam tenella ætate conſtitutorum adhibetur, licetque illa quam albam nominant, forſan tutius concedatur, non ſolum tamen hæc puella ſed & plures ejusdem cum illa ætatis me docuerunt, quod eam, quæ illi vomitus movit, minus bene ferant, inprimisque morbis ingruentibus niſi illico ſeponatur, eos tantum adaugeat, ut non niſi difficillime curentur. Eſt nempe craſſioris ſubſtantiæ, & hinc in tam tenellis Ventriculis difficulter concoquitur, nervoſo quoque generi, ob vim quam habet magis ac illa inebriantem, non parum inſidiatur.

CCXCIII.

Stupor manuum rediens.

VIrgo illa, cujus Anno quinto Linearum Medicarum Mens. Novembr d. XXVI. mentionem feci, utut per aliquot hebdomadas poſt adhibitam illam in Sanguinem adhuc calentem manuum immerſionem ſic ſat bene ſe Dei gratia habuerit, poſtmodum tn. paulatim malum redire notavit, manibus iterum ut prius ſtupentibus & poſt ſomnum aliquamdiu ad quasvis actiones perficiendas ineptis, unde priora quidem remedia denuo in uſum duxit, at non priori felicitate, malum ſiquidem nunc iisdem nec minimum quidem mitigatum fuit; iniit vero interea conjugium cum quodam artis medicæ non prorſus imperito, qui in Veſicatoriis opem quærens, utrique carpo emplaſtra talia imponi curavit, & veſicas non adeo exiguas excitatas, per aliquot dies apertas ſervavit, licet autem ſic multum admodum ſeri evacuatum fuerit, nec inde tamen ſtupor ceſſavit, quin alia quoque remedia plane fruſtra adhibita fuere, pleraque nempe externa; niſi enim internis diligenter continuatis motus ſanguini reſtituatur, ſcorbuticaque una præſens labes eliminetur, illam vix curatum iri, ego quidem totus credo.

CCXCIV.

Equorum Calculi per alvum excreti.

NObilis quidam Mercator cum quædam de morbo ſuo præfatus fuiſſet, & ego convenientia medicamenta præſcripſiſſem, calculos quosdam attulit, colore Bezoarticos fere æquantes, læves, duriuſculos, angulis aliquot obtuſioribus inſtructos, non adeo magnos, & ferme plane convenientes cum illis, quos olim in Veſicula fellea cujusdam Matronæ poſt mortẽ apertæ inveni; unde interrogatus, quid mihi de iisd. videretur? pro talibus illos agnovi, at ille reſpondit, excreviſſe eos cum aliis alvi excrementis equum ſuum, talesque plures quam viginti ſervum collegiſſe; ut vero, quid intus lateret, melius conſtaret, unum ex illis confringi curavit, plures ergo nigricantes particulæ gummi fere colophonium referentes conſpectui ſe dederunt, quæ odore exploratæ, eum exhalarunt, qui ſtabulum, in quo equi aluntur, ingredientium naribus offertur, ſicque de hoſpitio ſuo teſtati fuerunt; interrogatus, quid mihi de hoc equo cetera ſaniſſimo videretur? ad Hippiatrum ipſum relegavi, quod tamen â nonnemine ſuaſa Veronica pabulo immixta prodeſſe poſſit, non negavi, huicque liquiritiam quoque addere juſſi: Uti vero ipſemet retulit, in equo quem olim beatus ſuus Parens aluerit, poſt mortem aperto inſignem calculum, duosque pugnos magnitudine æquantem inſtar uvæ inæqualem in inteſtinis repertum & pro mortis cauſa habitum fuiſſe, ita quidam Pharmacopœorum noſtrorum

talem

talem ovum columbinum magnitudine referentem poſſidet, dono datum ab Illuſtri quadam Perſona; ut adeo & hæc bruta in inteſtinis interdum calculos alere nullum ſit dubium, an vero hi ipſi bezoarticis virtutibus ſint æquales, uti quidem is, qui majorem invenit, judicavit, & hinc illum quinquaginta florenis æſtimavit, non omni prorſus dubio caret; tantum vero â ſe invicem vel odore differunt, ut, ne vilior pretioſiori illi ſubſtituatur, non habeamus, quod metuamus.

CCXCV.

Veſicæ non ſemper apertæ ſervari poſſunt.

JUvenis quidam Patritius, ophthalmia gravi jam per aliquot menſes detentus, quoniam præſertim metus ſubfuit, neviſui malum tam diu inſtans damnum inferret, varia â variis commendata remedia in uſum ducta fuere, & inter hæc Veſicatoria quoque, quæ tum poſt aures, tum brachiis applicata non parum quidem ſeri ê glandulis cutaneis elicuerunt, at uti nec minimum quidem profuerunt, cum præſertim, ſicuti juſſeram, apertæ ſervari veſicæ nullo modo potuiſſent, ſed quævis applicata, quin vel veſicatoria iterata non tam ſerum novum elicuerint, quam partem affectam exſiccaverint, & dolores concitaverint, ut adeo brevi cicatricem inducere opus habuerimus: Ut veſicæ arte excitatæ diutius interdum apertæ ſerventur, medici non infimi ſubſellii ſuadent, quod uti quandoque ſuccederc vel ipſe notavi, ita tamen non ſemper hoc in manibus noſtris poſitum eſſe, hæc obſervatio docet.

CCXCVI.

Unguentum an ad Veneficia adhibitum fuerit.

ALiquot jam anni elapſi ſunt, quod quædam Vetula Veneficii ſuſpecta in carcerem conjecta fuit, inq; hujus ſupellectilem cum poſtmodum inquiſiviſſent ab Inclito Magiſtratu juſſi, unguentum invenerunt, quod, quia ad artes ſuas prohibitas ipſam adhibuiſſe, crediderunt, inprimis ſepoſuerunt, & quod invenerint, iis, quorum mandatis paruerant, indicarunt; unde hoc Unguentum Collegio Medico, quod hic floret, traditum fuit, ut accuratius inquirerent Ejusdem membra, an merito ſuſpectum haberetur? ubi quidem per unanimia vota concluſum fuiſſe memini, quod per Philoſophiam naturalem, & medica principia non conſtet, qualia ſint Veneficarum Unguenta, ex quibus parentur ingredientibus, & quomodo ab aliis differant? hincque judicium hac de re certum ferri non poſſit: Unguentum vero, de quo nunc quæſtio fuerit mota ab aliis non differre, & hinc eo minus ſuſpectum eſſe: Sicuti vero hoc modo ſceleris convinci non potuit hæc vetula, ita & ad

alia

alia interrogata ſic reſpondit, ut poſtmodum dimiſſa fuerit; quæ unguentum ſuum repetiit, & ad ulcera antiqua ſananda ſe hactenus eodem uſam fuiſſe, retulit: Multi nempe medici vix invenientur, quorum obtutui unquam unguentum in hos prohibitos uſus adhibitum oblatum fuiſſet, latentque vel ſolertiſſimos naturæ indagatores tum ſimplicia tum compoſita tam miris viribus inſtructa, hincque de talibus rebus judicium ſe ferre non poſſe, fateri non erubeſcunt.

CCXCVII.

Partus mulieris ſtantis.

HOſpitis cujusdam pagani Uxor aliquot liberorum mater, cum reliquos quidem omnes ordinario modo edidiſſet, nec habuiſſet quod de difficili partu quereretur, nec tamen nullos etiam dolores percepiſſet, duodecimo fere fœtu gravida cum nil minus cogitans cubiculum ſuum ingreſſa fuiſſet, tam ſubito doloribus partum alias antecedentibus corripiebatur, tantum hac vice urgentibus, ut illico ſtans adhuc pepererit, & ſic recens natus in terram ceciderit, quem tamen ipſamet ſtatim de eadem ſuſtulit, nec vel minimum læſum Dei gratia invenit; maritum poſtea vocavit, qui tam celeri partu an exhilaratus magis an perterritus fuerit? ipſemet diſcernere nequivit; puerperium tamen ſat felix fuit, & quantum novi in hunc usque diem ſalvus & incolumis vivit puer, qui tantum in hunc mundum properavit, ut prius terram ſalutarit, quam ulnis exceptus fuit: Diſcant vero inde gravidæ, ut cautas præſertim ultimis geſtationis menſibus ſe præbeant, omniaque quæ ad partum requiruntur, in parato habeant, non ſemper enim tam felicem ſortiuntur eventum ejuscemodi celeres partus, ſed non deſunt exempla, quod vel matribus vel recens natis vel & ambobus ſimul exitioſi extiterint: ſtando vero mulierem peperiſſe adeo novum non eſt, quin inter has obſervationes referri meruiſſet.

CCXCVIII.

Narium obſtructio mercurio præſertim cedens.

TExtoris cujusdam Uxor quinquagenaria fere, ante aliquot hebdomadas me acceſſit, & conqueſta fuit, quod per bene longum temporis ſpatium ulcera varia in facie prope nares præſertim, quin in ipſis naribus aluerit, hincque variorum conſilia expetierit, licetque ex conſultis unus cura præſertim interna ſe opus habere ſerio affirmarit, quia tamen, non parum pecuniæ requiri, ſi hæc rite ſit inſtituenda, ſimul indicarit, ſe præ hoc balneatorem elegiſſe, qui quippe promiſerit, ſe brevi temporis ſpatio hæc ulcera ſanaturum; utut vero hic nec unicum quidem medicamentum internum exhibuerit, intra paucas tamen hebdomadas ulceribus cicatrices inductas fuiſſe, (quæ quidem

dem faciem non parum deformantes viſui ſat patebant,) ab illo tempore minus bene ſe habere, doloribus fere continuis tum capitis tum artuum torqueri, & inprimis ſibi moleſtam eſſe narium obſtructionem, quæ quippe reſpirationem ſubinde ſic impediat, ut & â ſuffocatione ſibi metuat; huic vero ſicuti reſpondi, quod male curam internam neglexerit, & ſolam externam admiſerit, cum mali cauſa in humoribus corruptis lateat, quibus non correctis revera curari non potuerit, ita nullus dubitans, quin venenum venereum hæc ulcera tum excitarit, tum hactenus foverit, jamque iisdem conſolidatis mala, de quibus nunc queratur, producat, Pilulas ex ☿ dulci præcipue conſtantes eidem præſcripſi, quibus Dei gratia tam felici cum ſucceſſu uſa fuit, ut nuper retulerit, ſe longe melius jam valere, & inprimis â narium obſtructione liberatam eſſe, unde has Pilulas, cum præſertim ſalivationem non concitarint, aliquamdiu adhuc continuare eandem juſſi: Nunquam nempe in morbis â lue venerea ſubortis mercurius plane fruſtra exhibebitur, niſique juverit, levamentum tamen certo afferet, at raro etiam ſine cautelis decenter obſervandis tuto in uſum ducetur.

CCXCIX.

Hydrops in Gibboſa.

NArravit hæc hæcce, cum brevi poſt ſororis ergo conſilium meum deſideraſſet, quam cum vix quadragenaria non ſolum difficillime reſpirare, ſed & tum pedibus tum abdomine intumeſcere, hæcque mala menſibus rite licet fluentibus non tam imminui tamen, quam augeri retuliſſet, inſuperque urina, quam attulerat, nil mali in corpore proderet, dum in cauſas tanti mali inquiro, tandem gibboſam eſſe indicat, unde jam inde præſertim illud derivandum eſſe, nullus dubitavi; at alia quidem quam alios hydropicos & hoſce non ſolari remedia pernoſcens, Pilul. deſideranti ê Limat. martis & Magiſter. Jalappæ conſtantes præſcripſi, quas nempe plures hactenus fruſtra in uſum non duxiſſe memini: Confirmatur autem hac obſervatione, ad hydropem proclives eſſe gibbum alentes, quibus tamen cum cauſa nunquam in totum tolli poſſit, non niſi difficillime medemur.

CCC.

Pharmacopœi Examen.

QUando hic loci quis Officinam Pharmacevticam aut jure hæreditario acquirit, aut pecunia ſuam facit, aut & tanquam Proviſor in poſterum eidem præeſſe debet, ut prius Examen ſubeat, opus habet, quod quidem ſequenti fere modo hic loci inſtituitur: Candidatus, vel cujus intereſt, rem primo ad Inclutum Senatum defert, isque per Ampliſſimos Dominos rei Pharmacevticæ

Præfectos Examen non ſolum concedit, ſed hi Collegium quoque Medicum convocant, cui & Senior ex Pharmacopoeis adjungitur, primoque quidem plerumque in teſtimonia tum Tyrocinii rite abſoluti, tum alibi honeſtè transactæ vitæ, tum feliciter exercitæ artis producuntur, & inſpiciuntur; hinc in præſentia laudatiſſimorum Dominorum Decanus Examinis initium facit, primoque interrogat, in qua lingua examinari velit examinandus, ubi nonnulli quidem ſed pauciores latinam eligunt, plerique Germanicam præferunt, alii etiam jam hac jam illa ſe reſponſuros reſpondent; ſicut autem ei, qui menſe Aprili hic loci examini ſe ſubjecit, hæcque ſcribendi occaſionem dedit, variæ quæſtiones, de Officio Pharmacopœi, Ambra, Moſcho, Camphora, Saccharo, Violis, Cortice Peruviano, Lap. Bezoart. & aliis ſimplicibus, quomodo nempe genuina â ſpuriis dignoſcat? quæ ex uno alterove parentur medicamenta? quis modus hæc parandi? quos judices in dignoſendis iisdem adhibeat? quem ignem in parando Specif. Cachectico adhibeat? quomodo Mannam Potiunculis addat? quomodo acida & alcalia inter ſe invicem miſceat? quantum Sacchari Emulſionibus addat, ſi doſis ejusdem arbitrio relinquatur? quæ purgantia per ſtatuta divendere liceat? quomodo Camphoram cum aqua ſeu aliis liquoribus commiſceat? an Myrobalanorum ſingulas ſpecies ſuis inſignire poſſit nominibus? & quæ ſunt plures aliæ, propoſitæ fuere, ad quas omnes fere cum ſat apte reſpondiſſet, nec adeſſet, qui ulterius interrogabat, una cum Pharmacopœo ſecedere juſſus fuit, votisque omnium præſentium Dominorum Medicorum collectis, quod Proviſorem agere in poſterum poſſit, aptus atque dignus judicatus, totusque actus appoſitis bellariis atque Vino finitus fuit; poſtmodum vero, cum coram Inclyto Senatu Juramentum conſuetum præſtitiſſet, huic ſuo muneri diligenter præfuit: Ex haud ita multis nempe quæſtionibus non adeo difficulter ferri poteſt, quantum quis in arte Pharmacevtica præſtiterit? judicium, artisque ignarus vel binis prolatis reſponſionibus ignorantiam ſuam prodit: non vero hæ ſolum ſed quovis tempore aliæ aliæque quæſtiones artis pharmacevticæ candidatis proponuntur, cum cuivis medico ſemper pro lubitu ſuo easdem mutare liceat.

CCCI.

Vomitus Clyſteri præſertim cedens.

MErcatoris cujusdam filiola, licet optime Dei gratia ſe habuerit, nec quenquam errorem, cui adſcribi merito potuiſſet, commiſerit, ſubito vomitibus corripitur, quibus non ſolum multum admodum materiæ peccantis, ſed & quævis aſſumta rejicit, hincque brevi temporis ſpatio tantum debilitatur, ut pedi inſiſtere non potuerit; vocor ego propterea, & ut humores vitioſi hos vomitus foventes ſubducerentur purgans conveniens præſcribo, quod

quod vero eadem, qua reliqua omnia fortunâ ſumſit, dum brevi poſt vomitu rejecit, adſtringentia ergo quædam & ſtomachica tum externa tum interna adhibita fuere, at & hæc vomitum non inhibuerunt, utut ſat diligenter continuata fuerint, acceſſit hinc ſomnolentia matri præſertim ſuſpecta, quam comitans calor p. n., ne variolæ, quibus quidam tum decumbebant, ſubſint, metum injecerunt, hincque ego reliquis medicamentis alexipharmaca quoque adjeci, quæ quidem diutius ac alia Ventriculus retinuit, at non plane ceſſavit vomitus, alvum itaque præſertim aperiendam eſſe, judicavi, & Pilul. FF. fruſtra ſumtis Clyſterem applicare juſſi, qui quidem per aliquot horas alvum minime ſtimulavit, at, cum ſuppoſitoria qnoque adhibita fuiſſent, is tandem officio ſuo reſpondit, indeque ſtatim non ſolum vomitus ceſſaverunt, ſed & reliqua tam bene ſe habuit, ut vix alia medicina indiguerit; juſſi tamen repetere Pilulas & aliquamdiu in uſum ducere Elix. Aper. Clauderi, quæ Dei gratia ſanitatem recuperatam conſervarunt: Multum vero intereſſe, ut in ejuscemodi malis alvus præſertim ſit aperta, hæc obſervatio egregie confirmat.

CCCII.

Gingivarum tumor Scorbuticus.

VIri cujusdam in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti filiolus trium fere añorum, jam aliquot dentibus inſtructus ſubito non ſolum caloribus volaticis, exanthematibus eryſipelaceis, dolore partium vago, ſed & gingivarum præſertim intumeſcentia tam inconſueta corripitur, ut hæc matri non adeo exiguum injecerint metum, cum tumor præſertim atropurpureum induerit colorem, ſat magnus extiterit, & ſanguinem fuderit, aliquoties enim audierat, ſcorbutici quid hoc denotare, & nuperrime hoc ipſum malum puerulum quendam brevi vivorum numero ſubtraxiſſet, unde ut hujus præſertim rationem haberem, multis flagitavit precibus, ſicuti vero ego Scorbutici quid ſubeſſe omnino ſtatui, ita reliquorum tamen ſymptomatum non prorſus nullam rationem eſſe habendam judicavi, hincque his quidem pulverem convenientem, illis vero Eſſentiam abietis oppoſui, partemque affectam quotidie ter Mixtura ê Mell. Roſat. partibus tribus & una unguenti Ægyptiaci conſtante perfricare, & poſt hanc Sir. Violar. exhibere puerulo juſſi; quorum remediorum uſui licet in principio alvi quidam fluxus ſucceſſerit, hic tamen diu non inſtitit, at tumor brevi tam feliciter diſcuſſus fuit, ut vix elapſis tribus hebdomadis gingivæ prorſus detumuerint, & priorem etiam acquiſiverint colorem: commendari vero omnino modo deſcripta Mixtura meretur, cum & aliis Dei gratia profuerit, at in talibus præſertim caſibus internis ſimul medicamentis omnino opus eſſe, non habes quod dubites.

CCCIII.

Herniæ cum ulcere Pectoris conſenſus.

ULceris illius, quod â coxendice ad pedis usque digitum maximum penetravit, & in lineis medicis â me deſcriptum fuit, nuper coram quadam experto Chirurgo cum mentionem facerem, is retulit, ante quosdam annos ad ſe delatum fuiſſe puerum, non ſolum hernia in inguine dextro, ſed & ulcere coſtas ejusdem lateris jamdiu occupante, laborantem, quæ duo mala conſenſum quendam inter ſe aluiſſe, tum exinde conſtiterit, quia linea quædam rubra ab ulcere ad herniam usque extenſa conſpici potuerit, tum poſtmodum ex cura magis patuerit, ſe enim primo quidem ulcus aggreſſum fuiſſe, licetque pluribus medicamentis tantum præſtiterit, ut illud ferme coaluerit, ſemper tamen illud aliquantum adhuc ſeri fudiſſe, & cicatricem perfectam induci non potuiſſe, quin & lineam imminutam quidem fuiſſe atque colorem mutaſſe, ſed plane nunquam diſparuiſſe; hinc vero ſe ad herniæ ſectionem properaſſe, qua feliciter peracta, & ulcere hinc inflicto conſolidato, ulcus etiam nunc ſponte quaſi ſanatum fuerit, nec lineæ dictæ vel minimum reſtiterit indicium: Oblique nempe aſcendens abdominis muſculus ſicuti principium ſuum non procul â partibus quæ in hernia læduntur & diſtenduntur habet, hincque ſine dubio ipſemet ſimul diſtenditur, ita non ſolum in ſingulas nothas ſed & nonnullas veras coſtas inſeritur, hincque ſine dubio tum linea illa rubra, tum ulceris cum hernia conſenſus commode derivabuntur, diſtenſioneque ceſſante, ulcus inde ſine dubio originem ſuam trahens facile coaluit.

CCCIV.

Medicus urinæ ſoli nimium fidens.

TExtor quidam cum hiſce diebus fratris in Bavaria degentis, ibique Sacerdotem agentis ergo me conſuluiſſet, huncque Cachecticum eſſe ex omnibus ſignis conſtaret, hincque ego & in hypochondria inquirerem, an nempe dura an vero mollia exiſtant? is reſpondit, hoc ipſo mihi in memoriam revocas, quæ ante pluſculos annos contigere, cum enim tum ego biliosis quibusdam morbis correptus fuiſſem, hic meus frater petiit, ut urinam mittam, quam monſtrare ſuo medico velit, qui certo optima remedia ſit ſuggeſturus, nec ego petito ejusdem defui, & is urinam ad medicum ſuum detulit, qui ſtatim peſſima quæque ex eadem prædixit, niſique auxilium in tempore feratur, brevi in mortis prædam ceſſurum eum, qui illam emiſit, ſancte teſtatus fuit, quo perterritus Parochus Medicum ſumme rogavit ut una ſecum ægrotum viſitet; ſternuntur hinc equi, conſcenduntur, & medicus atque Sacerdos Auguſtam properant, dum vero domui meæ (pergit Textor) quem pro ægroto habue-

habuerant, appropinquant, ego ad fores ſtans accurro, ipſosque deſcendentes juvo, petit ſtatim medicus, ut ad ægrum ducatur, digitoque me monſtrat frater, dicitque, hic eſt; terretur hinc ille, & quod judicio ſuo falſus fuerit, fateri incipit, in cubiculum tamen deductus, ibi quoque ſedulo in hypochondria inquirit, at & hiſce bene ſe habentibus jam mihi gratulatur, quod ope medica tam parum indigeam; vel hac de cauſa vero, quæ nihilominus ordinavit medicamenta, non potuere non prodeſſe; Cautos autem hæc quoque obſervatio reddat medicos, ne in judicio ex urina præſertim ſola ferendo nimium properent, niſi ſæpiuſcule turpiter ſe proſtituere velint.

CCCV.

Lochiornm fluxus à terrore inhibitus.

Pictoris cujusdam Uxor poſt primum quidem partum tam multum ſanguinis per uterum profudit, ut tandem & medicamentis ejusdem fluxum refrenantibus opus habuerit, convaluit vero, & brevi poſt denuo concepit, exactisque novem menſibus ſic ſat feliciter peperit, fluxere etiam per primum biduum ſicut olim Lochia, unde eo minus ſiniſtri quid metuit, contigit autem, quod non ſolum ad iram commota, ſed & brevi poſt, dum ancilla exclamavit, ignem ædes quasdam conſumere, hasque non ita procul a ſe diſtare credidit, terrore inſigni commota fuit, hincque illico lochiorum fluxus ſic inhibebatur, ut nec guttam quidem ſanguinis per partes genitales ab eo tempore reddiderit; cumque in ciendo iterum hoc fluxu quædam remedia domeſtica plane nil contuliſſent, tantum inde perterrebatur, ut cum me propterea vocaviſſet, ferme non tam de malo, cum quo conflictabatur, conqueſta fuerit, quam metum ſuum de morte certo inſtante cum pluribus ſuſpiriis detexerit, quia vero tanti periculi ſignum ego quidem nullum deprehendere potueram, quantum in me fuit, ipſam ſolatio erexi, & remedium præſcriptum vix omnino fruſtra ſumtum iri, ſpem eidem feci; ſed licet poſt illud in uſum ductum pejus ſe non habuerit, ſed blande potius dormierit, & cum appetitu, quæ ſuggerebantur, comederit, quia tamen lochiorum fluxus non rediit, metum nondum depoſuit, quam ſerio quoque tum ego tum adſtantes, non ſemper opus eſſe, ut lochia in magna quantitate per plures dies profundantur, teſtati fuerimus, unde, cum tertio ab illorum fluxu ceſſante die interanea ovilla comediſſet, indeque pejus iterum ſe habuiſſet ventriculo, nempe iisdem digerendis non ſufficiente, iterum me vocavit, & antiquam de metu â morte repetiit cantilenam, inprimis vero nunc de animi deliquiis interdum ſupervenientibus conquerebatur, præſcripſi hinc Eſſentiam ex ea præcipue quæ ê Caſtoreo paratur, conſtantem, quæ quidem ſanguinem quodammodo movit, quod nunc pluris fecit, quam quod quævis Symptomata prius jam penitus ceſſaverant,

 rant,

rant, tum hanc ergo, tum pulverem diligenter eandem continuare juſſi, unde Dei gratia brevi priſtinam recuperavit ſanitatem, cum prius alvi quoque fluxus acceſſiſſet, quem tamen, quia viribus non inſidiabatur, non ſtatim inhibendum eſſe judicavi: Eſt nempe terror puerperis non parum noxius, quoniam vero hæc tum brevi ante conceptionem multum admodum Sanguinis amiſerat, tum poſt partum quoque ejusdem non ita parum profluxit, hæc obſtructio tantam illi noxam non intulit, quantam quidem intuliſſet, ſi ſanguine abundaſſet; periculo tamen fere malum non vacaſſet, ob inſignem, qui conjunctus fuerat, metum, quem non ſemel vel puerperarum vitæ inſidias ſtruxiſſe, â nonnullis notatum fuit.

CCCVI.

Partus difficilior Primiparæ.

Fœmina quædam octodecim annorum, cum aliquamdiu furtivis amoribus indulſiſſet, tandem exinde concepit, uti quidem, quod moleſtum fuiſſet, per aliquot menſes vix habuit, niſique ipſamet facinus, quod commiſerat, matri detexiſſet, hæc ejusdem certior non fuiſſet facta, at eodem modo, cum menſe fere nono partus inſtitiſſet, non ſe habuit, dolores enim ſpurii hunc antecedentes eidem tam moleſti extiterunt, ut & meo propterea conſilio opus habuerit; vocatus ergo eandem acceſſi,& de doloribus ſumme quetem inveni, quia vero hi ſuperiorem abdominis partem occupabant, nec vel minimum urgebant, partusque nullum plane indicium obſtetrix notabat, eos non tam ſecundandos quam deliniendos eſſe judicavi, & eum in finem tum Clyſterem tum Potiunculam convenientem præſcripſi, quibus in uſum ductis dolores ſpurii ſic remiſerunt, ut & obſtetricem dimiſerit; at ſuceſſere iisdem ſequenti die veri, qui non ſolum aquam promoverunt, ſed & ſic urſerunt, ut eosdem nolens volens ſecundare coacta fuerit, unde jam ipſemet hos pro veris agnovi, nec falſus fui mea ſententia,brevi enim poſt filiolam enixa eſt, quæ ſine dubio longe difficilius peperiſſet, ſi in principio ſtatim ut partum ſecundet, coacta fuiſſet: Injungendum nempe utique eſt obſtetricibus, ut in omnia prius ſedulo inquirant, antequam mulieres, ut partus laborem aggrediantur, adigunt, ſicut enim jam in lineis meis medicis probavi, magnas eſſe noxas, quæ inde immineant, & tum matrem tum fœtum inſigni periculo exponant, ita quia nihilominus toto adhuc die & hic peccatur, ut ejuscemodi monita identidem repetantur, opus eſt.

Bur-

CCCVII.

Reſpiratio difficilis Gravidæ.

BUrſarii cujusdam Uxor octavo menſe gravida me accedit, & de difficili præſertim reſpiratione conqueritur, quæ inprimis moleſta exiſtat, quando cibum vel in conſueta quantitate ingeſſerit, dum vero in quævis, quæ huc ſpectant ſedulo inquiſivi, aliunde quam â diaphragmate compreſſo & in motu ſuo quodammodo impedito, partibusque reliquis reſpirationi dicatis hinc itidem coanguſtatis quaſi derivandum hoc malum non eſſe credidi, indeque ante partum ntegrè non ceſſaturum, edixi, ne tamen absque conſilio dimitterem, Mixturam eidem præſcripſi ex fœtum juxtaque Ventriculum quoque roborantibus conſtantem, cui lapides quoque cancrinos addidi, ut nempe ardor, qui etiam eandem incommodabat, Ventriculi, ſimul mitigaretur, cumque alium etiam metum, ne nempe fœtus utero adnatus ſit, quia tantum non omne tempus ſedendo terat, & per hyemem pedes ſæpius carbonibus ignitis impoſuerit, menti ejusdem exemiſſem, mihi valedixit: Commune ſcilicet ſymptoma multis gravidis eſt difficilius reſpirare, quod ſi â cauſa modo memorata derivandum remediis aliâs huic malo dicatis aggreſſus fueris iisdem vix quicquam efficies, quin aliquoties nocebunt, uti contra modo tempus partus patienter expectaverint, ſponte cedet, confortantia vero tuto ſuadebis.

CCCVIII.

Pleuritis diu neglecta curata.

OPerarius quidam ſex annis quinquagenario major cum diem ligna findendo extraxiſſet, veſperi frigore tam intenſo correptus fuit, ut licet focum luculentum extruxerit, calorem tamen priorem acquirere nullo modo potuerit, donec elapſis quibusdam horis hic ſic rediit, ut nimius vocare meruerit, quem comitantia mala, tuſſis nempe, difficilior reſpiratio, dolor lateris punctorius, ſputumque cruentum Pleuritidem adeſſe prodiderunt, cui tamen vehementiſſimo malo, uti quidem retulit uxor ejusdem, vix unum alterumve remedium oppoſuit, paupertate nempe preſſus, & illud ſponte ceſſaturum ſperans, verum enim vero tantum inde auctum fuit, ut ſeptimo die mortem imminere vix ulterius dubitaverit; acceſſit tamen vicina quædam & ut meum conſilium rogarent, urſit, huic cum paruiſſent, ego pot. ex antim Diaph. oc. ♋ pp. & ∽, ✳ci præcipue conſtantem præſcripſi, qua vix bis ſumta Dei gratia omnis calor nimius diſſipatus fuit, facilius reſpiravit, doloresque non parum remiſere, quin urina, quam prius valde tinctam reddiderat, meliorem acquiſivit colorem, unde nunc, ut ipſe accederem, per filium rogavit, nec defui ego petito, ſicque conſtitutum inveni, ut de convaleſcentia nullus fere

dubitaverim, ut tamen per biduum continuet Potiunculam & poſtmodum Decoct. Veronic. bibat, ſuaſi; nec fruſtra, inde enim indies melius ſe habuit, paulatimque convaluit; dies nempe criticus fuit, quo tum cuncta in pejus ruere videbantur, tum conſilium meum expetiit, viribusque adhuc conſtantibus medicamentum ſeparationem puri ab impuro promovens, tantum tam brevi præſtitit; licet vero alii non habeant, quod certo ſperent, eodem modo & ſua mala in principio neglecta curari poſſe, non ſemper tamen penitus deſperandum eſſe, hæc obſervatio confirmat.

CCCIX.

Sal culinare febrifugum.

ARthritica quædam, cum alia de cauſa ipſam acceſſiſſem, me interrogavit, quid mihi de Aquæ pluviæ menſe Majo collectæ potu videretur? cui cum reſpondiſſem, me quidem non latere, quod nonnulli eandem acidulis niſi præferant, æquiparent tamen, ſimulque meminiſſem illius, quæ aliquando aquam ſimplicem ſe eodem cum fructu quo acidulas bibiſſe, credidit, cujus hiſtoriam alibi dedi, hæc ſubjunxit, omnino tamen quædam vis in aqua latitet neceſſum eſt, ante aliquot annos enim cuidam febricitanti ſuaſi, ut Aquam communem, in qua prius bonam ſalis quantitatem diſſolviſſet, biberet, & hæc, cum conſilium executa fuit, inde febris ſic ceſſavit, ut poſtmodum aliquoties remedium ſumme commendarit: non vero tam aquam ſimplicem huic quam Sal profuiſſe, uti ſtatim reſpondi, ita artis vel parum gnarus non dubitabit, ſic enim in febribus humores interdum corrumpi, ut Salia præ aliis conducant, vel exinde conſtat, quia hæc jam dudum inter febrifuga numerata fuere, fruſtra vero eam & in Sale communi te non querere, ex dictis certior factus es.

CCCX.

Aranea brevi pinguedinem conſumens,

CUm Agyrta quidam hic loci in publico Theatro venenum ſumſiſſet, ut Electuarii ſui Orvietani viribus eo magis fiderent ementes, Vir quidam clariſſimus mihi narravit, Adfinem ſuum Canonicum cum cibo aliquando forte fortuna Araneam deglut, iiſſe inde vero ſtatim tam male ſe habuiſſe, ut non ſolum abdomen intumuerit, verum & totum corpus ſudore frigido perfuſum fuerit, unde ſtatim medicum vocaverit, qui remediis convenientibus exhibitis brevi venenum expulerit, ut adeo pleraque metum injicientia mala haud ita diu poſt ceſſaverint; verum enim vero cum prius aqualiculum aluiſſet, & inter pingues non ultimum locum meruiſſet, vix exactis paucis diebus adeo omni pinguedine ſpoliatum inde fuiſſe, ut abdomen complicare potuerit, &

ii,

ii, qui paulo ante familiariter cum ipſo vixerant, vix ulterius eundem noverint; licet cum viribus collectis pinguedo quoque indies incrementum novum ſumſerit, ut adeo poſt paucos menſes vix ullum veneni ſumti indicium ſuperfuerit: quæ ſicuti eum in finem narrata fuêre, ut conſtaret, non unum eundemq; venena quævis poſt ſe relinquere effectum, agyrtæ ſiquidem tum naribus tum ori ſanguinem expreſſiſſe, relatum fuerat, ita pinguedinem præſertim araneas aggredi, inde conſtat, cui tamen conſumendæ niſi tutius noveris remedium, vix ulli pingui te commendabis; quam multum vero valeant in corpus noſtrum venena hæc obſervatio novus teſtis eſt.

CCCXI.

Alvus horrore à Clyſtere aperta.

VIr quidam ſeptuagenario major, dolore lumborum tam intenſo tortus, ut & lectum tenere opus habuerit, ſuadente amico quodam me in conſilium vocat; accedens ergo dum in ſingula accurratius inquiro, dubiusque hæreo, cui cauſæ hi dolores merito adſcribantur? urina inprimis in partibus ſuæ excretioni atque retentioni dicatis nil quicquam mali ſubeſſe, teſtante, tandem refert, ſe jam per integrum octiduum alvum nunquam depoſuiſſe, & plurima remedia domeſticorum nomine venientia fruſtra hactenus in uſum duxiſſe; ſicut ergo obſtructionem hanc inprimis dolores dictos fovere nullus dubitavi, ita quovis modo eidem obviam eundum eſſe, quod ſumme requiratur, indicavi, & hinc cum Potiunculam Laxantem præſcripſiſſem, ut, niſi hæc votis noſtris ſatisfaciat, Clyſterem quoque applicari curet, ſerio ſuaſi, licetque ſe ab hoc valde abhorrere, teſtatus fuerit, quantum tamen eodem opus habeat, ſi Potiuncula fruſtra ſumatur, pluribus demonſtravi, donec conſenſum præbere viſus fuit; at horror tantum profuit, ut me vix abeunte alvum ſic apertam habuerit, ut jam hac de cauſa medicamentis carere potuiſſet, movente illo ſine dubio particulas medicamentorum jam ſumtorum ſtimulantes, & ſic illorum operationem promovente; quantum enim vel ſola fortior imaginatio in movendis corporis humoribus valeat, pluſculis hiſtoriis alii probarunt, nec plane nullam in meis quoque lineis medicis invenies.

CCCXII.

Pleuritis ſub pulſu bono brevi interimens.

OBſtetrix quædam ſeptuagenaria major, cum hactenus muneri ſuo ſic ſat ſedulo præfuiſſet, ſubito frigore corripitur; quod excipiens calor doloribus pectoris punctoriis comitatus eam adeo poſtravit, ut de lecto ſurgere ut prius non potuerit, unde &, cum ſputum quoque ſanguinis ſubſequeretur, prius S. Viatico animæ conſuluit, quam meum conſilium deſideravit, ego

vero vocatus poſtmodum ex omnibus ſignis Pleuriticam judicavi, & quia ſputum rite procedebat, pulſusq; celerior quidem at æqualis & robuſtus erat, morbum periculo quidem non vacare, at nec omnem prorſus ſpem abjiciendam eſſe, edixi, medicamentaque convenientia præſcripſi; quæ, utut diligenter in uſum duxerit, tantum tamen abeſt, ut vel minimum profuiſſent, ut potius ſemper quævis in deterius ruerint, ſputum ceſſarit, calor nimius incrementum ſumſerit, & reſpiratio difficillima facta fuerit; unde, cum ſecundo me vocaſſent, jam peſſima quæque metui, licetque pulſus idem adhuc iterum ſpem quandam præbuerit, huic tamen minime fidendum eſſe totus perſuaſus, alia quidem medicamenta ordinavi, ſed & metum meum filiæ adſtanti detexi, cum præſertim lecto corpus operire non pateretur, & aliquoties aquam fontanam frigidam bibiſſet; nec metus meus fruſtraneus fuit, ſequenti enim nocte fatis ceſſit, quæ olim pluribus obſtetricando profuerat: cujus hiſtoriam vix produxiſſem, niſi confirmaret, in hoc præſertim malo pulſui non eſſe fidendum, bono enim eodem exiſtente & molitorem quendam in mortis prædam ceſſiſſe anno ſexto Linearum medicarum legiſti.

CCCXIII.

Scabies corticibus pineis curata.

SCabiem contraxerat Puer quidam elegantiſſimus, cui cúm varia remedia interna præſcripſiſſem, exteriusque decoctum ſecundarium Herbæ Thee commendaſſem, hiſce tamen parum admodum aut nil fere præſtitum fuit, adeo ut ego quidem jam de balneo tutiſſimo in hoc malo remedio cogitaverim, ſuaſit vero neſcio quis, ut partes affectas aquæ viribus Corticis Pinei in uſus Coriariorum adaptati, nomine Loh hic loci venientis, immergeret, nec conſilium diſplicuit matri, indeque aliquoties aquam talem adhibuit, & quidem Dei gratia tam bono cum effectu, ut brevi inde puer penitus convaluerit, nec vel minimum ſcabiei indicium reſtiterit, quod cum ipſemet notaſſem, modo memorata mihi mater narravit: latent nempe & travmaticæ quædam particulæ in dictis corticibus, quæ hoc modo ſcabioſis magis proſunt, quam ſi corpore non evacuato prius, ſudatorium Coriariorum ingrediantur, uti quidem haud ita pridem exemplo probavi.

CCCXIV.

Uteri excreſcentia cancroſa.

CAſus quem hiſce diebus Excellentiſſimus Dn. D. Lehenherr / Collega honoratiſſimus retulit, notatu dignus hic eſt; quod nempe mulier quædam paupercula per integrum jam triennium tantum non continuo menſium fluxu laboraverit, quem tamen ſic ſat æquo ferre potuiſſet animo, niſi dolor quoque

que acceſſiſſet, & excreſcentia partes verendas de die in diem ſemper major occupaſſet, quæ tandem eandem adegit, ut primo quidem mulierum, hinc vero & in arte peritorum virorum oculis illam expoſuerit, ubi tamen, utut obſtetrix acceſſerit, quæ ſe extrahere hanc poſſe credidit, cum tentata extractio dolores non parum exacerbarit, utut & de ſectione aliquando cogitatum fuerit, hi pro cancroſo tumore agnoſcentes hanc non conceſſerunt, malumque inter inſanabilia merito numerarunt, quod tandem & miſeram vita privavit, jamque & in cadavere ut in hunc tumorem ulterius inquireretur, haud abs re conſultum viſum fuit, uti vero excreſcentia extra uterum conſpicua pugni magnitudinem æquavit, ita totam uteri cavitatem penetravit, & fundo ejusdem tam arcte annexa fuit, ut non niſi cultro ſeparari potuerit, pondere etiam ſuo ipſum uterum ſic loco movit, ut quævis partes eundem conſtituentes & eidem annexæ (teſticulos puta ligamenta & ceteras) ſitum mutaverint, unde quod absque vitæ periculo non exſcindi, extrahi vero minime potuiſſet, abunde conſtitit: Læſum uterum in partu difficiliore ab obſtetrice fuiſſe, demortua crediderat, quo jure vero hanc accuſaverit? nunc dijudicare non ſuſtinens, quin tamen ab externa quadam læſione malum originem ſuam duxerit, nullus fere dubito.

CCCXV.

Vertigo Venæſectioni cedens.

MErcatoris cujusdam Uxor juvencula, optima gaudens ſanitate, & hinc quoque pinguiuſcula, ante aliquot menſes vertigine corripitur non parum moleſta, unde &, cum ſponte non ceſſaret, meum conſilium deſideravit, licetque ego ſtatim â ſanguinis abundantia eandem deduxerim, & hinc Venæſectione opus eſſe judicaverim, quia tamen ab hac abhorruit, & prius medicamentorum vires experiri voluit, primo quidem ⊖ Vol Ol. Sylv. eidem præſcripſi, quod cum fruſtra plane ſumſiſſet, pulveres cephalicos commendavi, at & his nil prorſus juvantibus, utut Specifica quoque contra vertiginem iisdem immixta fuerint, iterum Venæſectionis mentionem feci; jamque magis vacivas mihi præbuit aures, & præmiſſo purgante conveniente eandem inſtituit, quæ & tantum profuit, ut Dei Gratia ab illo tempore non habeat, quod vel minimum de vertigine queratur: Et ſane in ejuscemodi caſibus Venæſectione vix ac ne vix quidem carere poſſumus, licet enim omnino quædam medicamenta prius ſint tentanda, hiſce tamen nil juvantibus, & Sanguine abundante, niſi hunc ſubtraxeris, quin graviora quoque ſint ſucceſſura mala, nullum eſt dubium, quicquid etiam in contrarium hæmophobi addaxerint.

CCCXVI.

Ventriculi dolor purgantibus exaſperatus.

ANcilla quædam jam per aliquod temporis ſpatium dolore Ventriculi gravativo laborans, ei quidem aliquoties Rhabarbarum oppoſuit, & cum hoc nil quicquam levamenti attuliſſet, aliquando etiam neſcio quantum Radic. Jalapp. ſumſit, quæ utut ſæpius alvum ſubduxerit, non magis tamen profuit, quia inde malum potius exaſperatum fuit, unde jam meas pulſavit fores, & quoniam nulla dubitavit, quin magna admodum materiæ peccantis quantitas ventriculum & partes vicinas occupet, nil magis in votis habuit, quam ut hæc fortiori quodam medicamento expelleretur, & hinc, ut tale præſertim præſcriberem, rogavit; licet vero ego non tam quantitatem quam qualitatem humorum eſſe accuſandam nullus dubitaverim, quoniam tamen inprimis urſit, ut medicamentum purgans præſcriberem, egoque emeticum prodeſſe quodammodo poſſe ſperavi, ♀rum qui inde nomen ſortitus fuit, præſcripſi, ſimul tamen indicavi, hoc medicamentum non ſuffecturum, & hinc E-lectuarium quoque conveniens ordinavi; nec magîs vero quam olim alvum ſubducentia vomitorium medicamentum profuit, utut enim vomitus moverit, tantum tamen abeſt, ut dolor Ventriculi gravativus vel minimum ceſſaſſet, ut potius tantum ſumſerit incrementum, ut illo adhuc die me vocarit, ubi ſicut recordari illam illorum juſſi, quæ mane de purgantibus diſſerueram, quod nempe hæc malo abigendo non ſufficiant, ita, ut nunc eo diligentius Electuario utatur, monui: Notari vero meretur, quod plerumque dolorem gravativum Ventriculi purgantia non tam ſedant quam exaſperant, unde ego illa rariuſcule commendare ſoleo.

CCCXVII.

Aquæ potus pueris valde proficuus.

AMicus quidam meus, cum nuper filiolorum ſuorum mentionem feciſſet, narravit, quod iis quidem per aliquot annos cereviſiam loco potus ordinarii exhibuerit, ob omnium vero rerum caritatem indies magis invaleſcentem ſe ante ſemeſtre fere huic aquam communem ſubſtituiſſe, & ab illo tempore notare, quod ſanitate integerrima fruantur, magis ac olim pingueſcant, & inprimis ad quosvis labores perficiendos alacriores exiſtant, hincque aquam non ita parvis extulit laudibus; nec me vel minimum diſſentientem habuit, qui ſancte teſtari poſſum, hactenus hunc potum tum mihi tum meis tantum Dei gratia profuiſſe, ut multi vix credant, filios præſertim meos ſola aqua ſitim ſedare, at utut ego quidem vinum quoque juxta aquam nunc bibam, illis tamen per totum annum hæc ſufficit: Vix vero novi, quem pœnituiſſet,

tuiſſet, ſi cerevifiæ aquam ſubſtituit, quin hac mutatione inſtituta aliquot graviores morbor avertiſſe nonnullos, facile hiſtoriis probare poſſem.

CCCXVIII.

Amygdalæ dulces vermes evocantes.

ALiquoties jam coram me conqueſta fuerat Matrona quædam ſexagenaria, bono corporis habitu prædita, quod vermiculis minimis inteſtinum rectum præſertim obſidentibus interdum adeo divexetur, ut præ illis non ſolum vix ſomnum capere poſſit, ſed & aliquoties animi deliquia imminuerint, horum ergo cum nuper me conſuluiſſet, ego interrogavi, quorumnam ciborum uſum inprimis ſubſequantur? reſponditque, dulcia quidem omnia non immerito ſibi ſuſpecta eſſe, hincque ea, quantum fieri poſſit, ſe fugere, at inprimis aliquoties hactenus contigiſſe, quod hi minus grati hoſpites inprimis poſt amygdalarum dulcium & ex his paratorum ciborum eſum magis moleſti exiſtant, inprimis vero, dum hæc ipſa protulit, conqueſta fuit, quod remedium, quo hactenus nunquam fere abſque fructu uſa fuerit, Butyrum nempe, cui pulvis Abſinthii immixtus eſt, inſtar ſuppoſitorii applicatum, nunc nec minimum quidem juverit, unde jam internis quoque medicamentis opus eſſe judicavi, & quia ſimul quendam ab hydrope in pectore aluit metum, revera autem hypochondriaca exiſtit, huic malo dicatis remediis anthelmintica addidi, & vinum medicatum ex ambobus his malis dicatis ſimplicibus conſtans præſcripſi: num ex ipſis amygdalis generentur hi vermiculi, ego quidem dubito, ſed cibum hunc gratum, ex hoſpitiis, in quibus prius latitant, & minus ſunt moleſti, eos elicere, mea eſt ſententia, prius jam in corpore ſine dubio latitantes, & ex variis ſeminibus cum aliis cibis ingeſtis in majori quantitate ideo producti, quia in hoc ipſo ſubjecto bilem, ut quidem debebat, non eſſe conſtitutam, per varia ſigna patet; ſicut autem huic hoc ipſo modo amygdalæ dulces ſe haud abs re ſuſpectas reddunt, ita an propterea inter cibos, vermibus affectis minus convenientes numerandæ ſint? ulterior experientia docebit.

CCCXIX.

Infans ſubito mortuus.

ARtificis cujusdam filiolus annuus, cum hactenus â dentitione varia mala perpeſſus fuiſſet, inprimis vero hinc inde intumuiſſet, quia tamen hæc ipſa mala identidem ſponte ceſſarunt, & interdum puerulus ſic ſat bene ſe habuit, nullum fere iisdem Parentes oppoſuere remedium, donec tandem aliquando noctem admodum inquietam duxit, & clamoribus per totum ferme diem protractis, quam male ſe habeat? abunde detexit; accedit forſan avia,

& ut, abſente præſertim Patre Medicus vocetur, ſuadet, vocor hinc ego, & quidem tempore, quo ſtatim accedere potui; vix diſcedentem itaque ancillam, quæ me vocaverat, ſequor, at dum ingredior cubile, puerum jam mortuum deplorantes invenio, quem in vitam revocare nequiens matrem ſolor, & ne gravida fœtui in utero latitanti nimio mœrore noceat, moneo: Periculoſum nempe eſt, ſi dentientes corpore intumeſcunt, & inter plures vix unus ſervatur, ſi vel maxime medicamenta convenientia diligentiſſime in uſum ducantur, quanto minus ergo boni quid merito ſperare licebit, ſi malum penitus negligatur, cumque ſæpius improviſa admodum ſit horum infantium mors, jure eo major eorum geritur cura, ne præter omnem opinionem mortui majorem injiciant terrorem.

CCCXX.

Variolæ magna cum vehementia invadentes.

MErcatoris cujusdam filiolus ſex annorum, cum antea nimium cibi ingeſſiſſet, omneque fere tempus currendo extraxiſſet, ſubito inappetentia corripitur, cum tanta laſſitudine, ut nec inſiſtere quidem pedibus potuerit, vocor hinc ego, & quoniam noveram, ipſum cibis non tam nutriri, quam quaſi farciri, ab horum reliquiis in ſuccum alibilem non converſis & hinc corruptis malum originem ſuam trahere credidi, hincque, cum medicamenta abhorreret, primo cum potu Elix. Aper. Cl. eidem exhibere juſſi, quia jam aliquoties hoc non absque fructu in uſum duxerat; tantum vero abeſt, ut nunc eundem vel minimum juverit, ut potius ſemper pejus ſe habuerit, unde de purgante cogitavi, cum præſertim alvus officio ſuo non reſponderet; exhibui itaque medicamentum huic ſcopo ſatisfaciens, quod & multum materiæ peccantis evacuavit, at nec minimum levamenti attulit, quin jam accedens calor quoque valde intenſus, & magna inquietudo adſtantibus metum convulſionum injecerunt, quem tamen menti illorum exemi, nunc autem in febrem tela medica direxi, & quidem Dei gratia feliciter, vix enim bis terve ſumtis alexipharmacis maculæ hinc inde in corpore comparuere, quæ aliâs Variolarum prodromi eſſe ſolent, quibus conſpectis de hiſce ſubſecuturis nullus ulterius dubitavi, hincque, quantum quidem per artis regulas licuit, earum maturationem promovi, & ab illo tempore, Dei gratia indies melius ſe habuit, paulatimque exareſcentibus tandem puſtulis varioloſis ſic convaluit, ut mali in principio tam gravis vix paucula reſtent indicia: ſicuti vero confirmatur hac obſervatione, purgantia, antequam variolæ eruperunt, non adeo male exhiberi, cum hîc eruptionem non tam impedierint quam promoverint, ita ſæpiuſcule jam notavi, quod quam vehementia quoque antecedant Variolas ſymptomata, eadem tamen raro mali quid denotent, modo maculis conſpectis

ctis remittant, nec diutius quam par eſt, inſtent; ut adeo ſolamine non adeo vano, eos, quoram intereſt, erigere poſſis.

CCCXXI

Hernia ſub umbilico.

RUſticus quidam Prætor, cum Uxoris ergo conſilio meo uſus fuiſſet, hac melius Dei gratia ſe habente ipſemet quoque queri cœpit de doloribus inferioris ventris interdum ſubito invadentibus tantumque moleſtis, ut & decubitu conſulere ſibi opus habeat; cum in varias cauſas inquiſiviſſem, inprimisque de hernia ſuſpicatus fuiſſem, hac quidem ordinaria & inguina aut & ſcrotum occupante ſe minime laborare, umbilicum etiam magnitudinem conſuetam non excedere, at tribus transverſis digitis ſub hoc tumorem eminere, qui quo major evadat, eo magis quoque dolores increſcant, qui contra eodem iterum imminuto cedant, reſpondit; unde ego de hernia vix dubitavi, ſui quidem generis, at inteſtinorum præſertim motum ſubinde interturbante, & alvum enim, quoties dolores inſtant, obſtructam habet; hincque, ut hujus tumoris præcipue habeat rationem, ſuaſi, cui fini ſubligaculum inprimis, quale commendavi, ſatisfacturum, ſpero: ſic vero non in conſuetis ſolum abdominis partibus herniæ ſuboriuntur, ſed ea ſubinde latius quoque ſe extendunt, harum autem ſuſpicionem tormina ſæpiuſcule redeuntia nobis haud immerito injicere, hæc obſervatio probat.

CCCXXII.

Oris fœtor menſibus fluentibus auctus.

IN viſitatione leproſorum publica nuper inſtituta, cum quædam â Scabie fœda penitus liberata, ut propius inſpicere poſſem, me acceſſiſſet, tantum fœtorem ore expiravit, ut nares avertere coactus fuerim, cumque Patrem propterea interrogaſſem, is retulit, ſemper quidem hoc malum in eadem notari, at jam ſe cum ſuis ſic eidem aſſuetum eſſe, ut, niſi magis fœteat, quam nunc, vix unquam de hac moleſtia querantur, at quando menſes inſtent, tantum augeri hunc fœtorem, ut niſi ſumma cum nauſea propius cum eadem verſari nemo poſſit; hoc vero malum vix curatum iri, quia jam per pluſculos annos inſtet, judicavi, quam ſententiam magis confirmat, quia ipſa nec hujus mali nec munditiei vel minimam gerit curam, indeque ut curetur, nunquam deſiderabit: Sed ut hæc produxerim, me commovit, quia in aliis quoque fœminis notavi, uteri quosdam affectus per os ſe prodere, dum nempe eæ præſertim, quæ albo fluore laborant, carnem recens mactatam fere æquantem exſpirant odorem, ut alia jam taceam, quæ conſenſus inter has partes nos certiores reddunt.

CCCXXIII.

CCCXXIII.

Lacrymæ cruentæ.

DUm huic ipſi labori in alia domo vaco, quædam mulier rogat, ut filiolæ ergo conſilium ſalubre ſuggeram, quam in ulnis geſtatam dum inſpicio, ex facie manibusque anaſarca ipſam laborare facile judicare potui, undeque malum originem trahat? haud ita diu me latuit, cum dentire puellam, vel ex ætate, qua annum non multum ſuperaverat, conſtiterit; præſcripſi ergo eidem pulverem, quem aliâs in hiſce malis commendare ſoleo, inprimis vero notatu dignum mihi viſum fuit, quod mater retulit, lacrymas ſe in hac puella, brevi antequam huc portaverit eam, notaſſe cruentas, & linteum quibus easdem deterſerit, ſanguineo colore tingentes, ſeri acrioris & venulas minimas erodentis certiſſimos teſtes; utut enim hæ ipſæ lacrymæ adeo novæ non ſint, quin vel ipſe in lineis medicis earundem mentionem fecerim, inter quotidie tamen contingentia merito non referuntur, hincque, quando obſervantur, haud abs re deſcribuntur; vellem vero, ut aliquando & oculis meis exponerentur, ut eo certius quid de iisdem judicare poſſem, cum facile decipi vulgum, & de hiſce rebus tam accuráte, uti requiritur, judicare non poſſe, nullum ſit dubium, at & hæc nil mouſtrare potuit, unde certi quid colligere potuiſſem.

CCCXXIV.

Arthritici mortui facies calce quaſi obducta.

HOc ipſo die Illuſtris Dn. D. Dürrius ſenior mihi retulit, de quodam Arthritico nuper defuncto, quod ejus facies poſt mortem tota quaſi calce obducta fuerit; uti vero hic per pluſculos annos cum hoc malo conflictatus fuerat, ita ſufficienter inde patet, quam peregrinis ſalibus ſcateant Arthriticorum humores, qui ſimul tam arctum cum iisdem iniêre connubium, ut non niſi poſt mortem ſeparentur, hinc vero tam multum negotii medicis faceſſit hoc malum, quorum vel peritiſſimi indies magis fateri coguntur, quam parum eidem curando ſufficiant.

CCCXXV.

Menſes lactis ſaporem mutantes.

NOhiliſſima quædam Matrona, cum in puerperio diarrhœa laboraſſet, poſtmodum quidem Dei gratia tam bene ſe habuit, ut ſanis annumerari omnino meruerit, mammas etiam filiolæ ſuæ per quatuor & quod excurrit menſes, tam feliciter præbuit, ut hæc pinguiuſcula inde evaſerit, ſubito vero nauſeam quandam â lacte materno in eadem notavit, dum primo tantum, quantum

tum prius non ſuxit, hinc vero & à ſuctione abhorruit, dum, quoties applicare illam mammis voluit mater, os avertit, & nec guttam quidem lactis admiſit, ubi cum primo hæc mihi narraſſet, ipſam forſan concepiſſe, ariolatus fui, hinc enim puſiones lac multoties averſari, experientia me ſæpius docuit; at cum paucos poſt dies me menſium nimium fluentium ergo in conſilium vocaſſet, & cum hi inſtiterint, & fluere inceperint, primò ſe dictam nauſeam in filiola notaſſe, retuliſſet, quin ea â ſanguine in motu ſuo turbato, & hinc particulis quibusdam peregrinis ſaporem lactis pervertentibus, ſeparatis atque ad mammas delatis, derivanda ſit, nullus dubitavi; cum arctum præſertim inter mammas & uterum intercedat commercium, quod vel in hac ipſa Matrona vel inde quoque innotuit, quia, cum hac de cauſa ablactaſſet filiolam, tantum abeſt ut â lacte vel minimum moleſtiæ in mammis percepiſſet, ut potius ſtatim priorem acquiſiverint magnitudinem, ſanguinis nempe tam inſigni quantitate per uterum ſubtracta, ad hunc recolligendum chylus inſumtus, nec ulterius ad mammas amandatus fuit.

CCCXXVI.

Agyrtæ Veneno oppoſita remedia.

AGyrtam quendam acceſſit Vir, qui ſuſpicionem in pectore aluit, cum halece ſibi Venenum exhibitum fuiſſe, & quidem pulverem adamantis haleci inſperſiſſe eam, apud quam hunc comederat, maritumq; ſic interficere illam voluiſſe, communis tulit fama; audi vero quæſo! quid hic eidem ſuggeſſerit? primo quidem Pilulas purgantes, cum tamen de alvo nimium fluente ipſemet conqueſtus fuerit, & hæc inprimis ut inhiberetur, deſiderarit; Secundo Eſſentiam, quæ ſapore non niſi ſpiritum frumenti retulit, utut colore fuſco tincta fuerit; tertio aliam, quam à colore Sapphirinam nominavit, quæ ſal ammoniacum guſtanti linguæ exhibuit; Quarto Pilulas neſcio ex qua reſina paratas, & tandem Electuarium, quod neſcio cujus Orvietani nomine vendidit; quæ, quomodo huic Viro prodeſſe potuerint, (ſi exceperis electuarium, ſi rite paratum fuerit,) ipſemet judicabis, interea nihilominus pro his quisquiliis tres Thaleros numerari voluit, ut nempe & pretio medicamentis auctoritatem conciliaret; ſicut ille, cujus ex alio auctore nuperus ſcriptor Goris meminit, qui, cum pro applicatione hirudinum ſex aureos popoſciſſet, ei qui nimium hoc tantilli laboris pretium judicavit, reſpondit, ſe per integrum menſem, hirudines perlis nutriiſſe: at nihilominus ejuscemodi impoſtoribus plurimi fidunt, lubentiusque in illorum corrupta medicamenta, multi plures thaleros, quam vel aliquot baccos in veros medicos erogant; juvat vero eorum technas detegere, ne ſaltem quidam medici iisdem nimium fidant, uti quidem dari qui & illos commendare non verentur, novi.

CCCXXVII.

Cereviſia urinam movens.

TExtor quidam Itineris in Almangoviam ad Parochum quendam comes, in via narravit, ſe ante aliquot annos febre tertiana intermittente per pluſculas hebdomadas laboraſſe, tum diæta vero ſic ſat exacte ſervata, tum medicamentis diutius diligenter in uſum ductis adeo nil quicquam ſe profeciſſe, ut febris ſemper potius aucta quam vel vel minimum imminuta fuerit, comitata moleſto inprimis ſymptomate, quod, utut multum admodum biberit, ſemper tamen urinam in parca quantitate reddiderit, indeque, ne pejora immineant mala ſe metuiſſe, aliquando tamen ſe non tam in medicamentis, quam Sole, aerisque temperie faventibus in prodeambulando auxilium quæſiviſſe, & quantum quidem pedes ferre potuerint, ſe expatiatum fuiſſe, & in via adhuc offendiſſe amicum quendam, qui ſe invitaverit, ut ſecum cereviſiam bibat, cujus petito dum ſatisfecerit, & menſuram fere cereviſiæ ingeſſerit, inde urinam in majori quam jam per aliquot hebdomadas quantitate profluxiſſe, hincque ſe ſecum illico conſtituiſſe, quod in poſterum alio quam hoc ſuo conſueto potu uti non velit, hocque tam feliciter Dei gratia ſucceſſiſſe, ut ab illo tempore melius ſe habuerit, nec febris unquam redierit, urinamque inprimis ut olim reddiderit: quam bene vero interdum conſuetudini aliquid dent medici, ſi hæc obſervatio te magis confirmaverit, fruſtra ſcriptam non habebis, in hoc enim conſuetum per plures annos potum felicius quam alium ad vias urinarias penetraſſe,& hinc quoque morbi cauſam per easdem expuliſſe, mihi quidem nullum eſt dubium.

CCCXXVIII.

Apoplexiæ letalis ſignum quoddam.

HIſce diebus ad mulierem quandam ſexagenaria majorem vocatus fui, quæ dum à marito texta veſtium ornamenta, ei qui texere juſſerat, affert, ſubito apoplexia correpta fuit;me ergo vocarunt,ut tum ſi ſumere poſſet,medicamenta convenientia, ſuppeditarem,tum ut inprimis judicarem,num tuto domū deportari poſſet? ſicuti vero primo petito ⊖. Volat. Oleoſum præſcribendo ſatisfeci, ita dum pulſum exploro, & hunc ſæpiuſculé intermittentem, ſimulque frigentes extremas partes invenio, ſenſusque omnes deficientes deprehendo, malum brevi mortem illaturum judico, hincque ſeu domum deportetur, ſeu ibi relinquatur, parum admodum intereſſe indico; unde cum Sal Volatile vix deglutire potuiſſet, brevi vero antea ſerio expetiiſſet, ut domum deportaretur, eam eo portarunt; at ſicut judicaveram, malum ſemper auctum fuerat, & hinc poſt tres horas eam vita privaverat: In hoc caſu ſicuti pulſus præſertim me

movit,

movit, ut eum pro lætali agnoverim, quem quippe nunquam hactenus talem in apoplecticis, qui evaſerunt, deprehendi, ita motum tamen eidem nullam inferre noxam potuiſſe, nimiumque ſibi noſtratium quosdam ab hoc metuere, jam dudum experientia docuit, uti, ni fallor, alibi exemplo quoque probavi.

CCCXXIX.

Medici præſentia interdum ſumme requiritur.

PArochus quidam, cum jam per aliquot hebdomadas minus bene ſe habuiſſet, per fratrem ad me defert, ſe pede præſertim dextro intumeſcere; & urinam non parum tinctam in parca admodum quantitate reddere, unde ego, cum tuſſim nullam hæc mala comitari, ceteraque ſic ſat bene ſehabere ægrotum, ſimul relatum fuiſſet, ne hydrops ſubſit, metui; cumque jam ante me conſultum empiricus quidam nimium corpus purgaſſet, â martiatis medicamentis ſtatim initium feci, & Electuarium cujus præcipuum ingrediens minerale hoc conſtituebat, primò, hinc vero & talem pulverem præſcripſi; at utut hæc diligenter in uſum duxerit, nullum tamen hinc levamentum ſenſit, hincque commotus fuit, ut me rogaverit, ut ipſe viſitarem ægrotum; cui petito cum ſatisfeciſſem, quævis indicia prodiderunt ipſum non tam habere, quod ab hydrope quam à febre hectica ſibi metuat, cum tumor quidem dextrum pedem adhuc occupaverit, at cetera toto corpore conſumtus fuerit, & calor febrilis tum ex pulſu deprehendi potuerit, tum tactui patuerit, tum inprimis per linguæ ſiccitatem ſe prodiderit, quorum malorum quoniam hactenus nec verbo quidem mentio facta fuerat, nulla quoque ratio haberi potuerat, quin hæc indies non parum augebantur, quia in potum ordinarium Vinum ſat generoſum adhibebat; non itaque tam hydropi dicata remedia continuanda, quam inprimis contra febrem hecticam pugnandum eſſe, nunc ſtatui, & hinc huic debellandæ dicata remedia commendavi: patet vero ex dictis, quantum interſit, ut medicus ipſemet ægrotos viſitet, quoniam enim hic nunquam de calore nimio conqueſtus fuerat, nec adſtantes de eodem cogitarunt, hincque ejusdem nulla plane ratio habita fuit, unde malum indies incrementum ſumſit; ubicunque igitur fieri poteſt, antequam ipſemet ægrotos tuos videris, non facile certi quid de eorum morbis ſtatues.

CCCXXX.

Animi deliquium laboribus per noctem continuatis ſuccedens.

ANcilla quædam in vicinia degens, cum totam noctem lavando extraxiſſet, mane tam gravi animi deliquio corripitur, ut adſtantes, ne jamjam mo-

riatur, metuerint, & hinc, ut illico accedam, ſumme rogarint, nec ego cunctatus fui, ſed ſtatim acceſſi; at vires jam quodammodo collegerat; dum vero in quævis ſedulo inquiro, & nullo hucusque cibo eandem refectum fuiſſe, refertur, ut juſculum eidem exhibeatur, ſuadeo, & quia ſimul certior reddor, ipſam malis hyſtericis alias eſſe obnoxiam, Eſſentiæ Caſtor. uſum præcipue commendavi, quæ & Dei gratia tantum profuit, ut ſequenti die ipſamet pro præſtita opera gratias egerit; quia vero ſimul conqueſta fuit, menſes ſemper parcius fluere, ut Venæſectionem, quam hactenus hoc tempore jam aliquoties in brachio inſtituerat, & plethoricæ omnino diſſuadere non potueram, nunc in pede admitteret, conſultum duxi, hanc enim hactenus in ejuscemodi malis tantum, non ſemper proficuam inveni: Et Caſtorei Eſſentia vero in talibus animi deliquiis raro fruſtra commendabitur.

CCCXXXI.

Tuberculum Clyſteri adſcriptum.

CUm hiſce diebus aurifabro cuidam partim ex ſenectute partim & à malo hypochondriaco virium defectum patienti, alvumque non niſi ſolicitatam apertam habenti, Clyſterem commendaſſem, is reſpondit, ſe ante pluſculos annos malo decubuiſſe, cujus ergo itidem Clyſteres commendati fuerint, hincque ultra quinquagies tum hoc remedii genus ſe admiſiſſe, nec plane non profuiſſe, at aliquando quendam, qui applicaverit, dum properarit, cannula inteſtinum læſiſſe, & hinc ab illo tempore ſe tuberculum in hac parte notare; uti vero hic nihilominus in Clyſteris applicationem conſenſit, ita, (ututcerto non conſtet, an hoc tuberculum merito Clyſteri adſcribatur, cum talia pluribus de cauſis in hiſce partibus ſuboriantur, & forſan jam olim has partes occuparit, & ſic tunc demum detectum fuerit,) ut, quibus hoc munus demandatur, cauti ſint, & lente feſtinent, ex hac obſervatione diſcant, ſic enim vix unquam inteſtinum vel minimum lædetur, quique prius vanum â Clyſteribus in pectore aluerunt metum, poſtea eos multo lubentius admittent, nec ſic jam pluribus immerito ſuſpectum remedium ſemper magis ſuſpectum reddetur.

CCCXXXII.

Menſes movens Vaporarium.

ADſto nunc Paralyticæ cuidam, cujus hiſtoriam alio tempore dabo; huic cum inter plura alia remedia Vaporarium quoque commendaſſem, & hoc præ aliis profuiſſe videretur, invita admodum ob menſes ſupervenientes illius uſum aliquamdiu ſepoſuit, eoque magis hinc, cum hi parum remiſiſſent, ad eundem iterum properavit; licet vero nec guttam quidem ſanguinis per

uterum

uterum ulterius profuderit, vix tamen iterum egreſſæ vaporarium ſanguinis fluxus cum impetu rediit, hincque in cauſa fuit, ut per aliquot dies ſeponere ejusdem uſum opus habuerit: Facilius nempe menſes, quorum fluxus modo remiſit, revocantur, hincque illa remedia, quæ hic aliquid conferre poſſunt, merito aliquamdiu ſeponuntur, ab iis præſertim, quibus fluxus hic nimius exiſtit, quæque non tam ut promoveatur, quam ut quovis modo inhibeatur, opus habent, qualis quidem & ea cujus modo hiſtoriam dedi, exiſtit.

CCCXXXIII.

Menſes non ſemper ſunt movendi.

HOc ipſo tempore me acceſſit Horologiopœi cujusdam Uxor, petens, ut filiæ viginti annorum, quæ nuper variolis laboraverat, purgans præſcribam, ſimulque interrogans, an conſultum ducam, ut menſes, quos hactenus nunquam viderit, moveantur? ubi ego quidem uti petito ſatisfeci, ita ad interrogationem reſpondi, quia cetera optime valeat filia, nec ullo malo laboret, quod de menſibus diutius quam par eſt, retentis teſtaretur, ſanguine inſuper non abundet, & tenerioris ſit conſtitutionis parvæque ſtaturæ, me, talibus medicamentis opus eam non habere, nullum dubitare, hincque ut potius patienter expectat, donec ſponte aliquando aperiatur hic fons, quam medicamentis in uſum ductis graviora producat mala, ſuaſi; ego ſiquidem, ubi nulla adſunt mala, quæ menſium promotionem urgent, medicamenta hunc in finem nihilominus in uſum ducta non raro multum obfuiſſe memini.

CCCXXXIV.

Herba Kunegundis vulneraria.

DIu laboraverat Hortulanus quidam notiſſimus tumore pedis dextri â lapſu graviore originem trahente, qui pedem in motu ſuo ſic impedivit, ut non niſi difficulter admodum incedere potuerit; hunc cum nuper & qua pedem melius ſe habentem offendiſſem & interrogaſſem, an verum ſit, quod fama ad me detulerat, quod nempe ruſtici cujusdam opera convaluerit? reſpondit, quod omnino huic debeat, quod pes non ſolum detumuerit, verum & aliam moleſtiam non creet; ſicuti vero noveram, hunc ipſum alios quoque juviſſe, & ulcera quædam antiqua inprimis feliciter ſanaſſe, ita dum inquiro, quibus præſertim utatur remediis, ex ſuccis plantarum præcipue unguenta ſua ipſum parare, hinc inde mihi refertur, & hic hortulanus ſubjicit, ſe ex illo aliquoties audiviſſe, quod præ aliis Herb. S. Kunigundis nomine notam laudibus extollat, hancque tantarum virium eſſe, ut cum reliquis omnibus de præſtantia certet, aſſerat: de hac ergo herba dum quosdam Botanicos con-

ſulo, illorum pleroſque ſub Eupatorii ſpurii & adulterini, alios vero Avicennæ, nomine eam deſcribere invenio; licetque Simon Paulli in Quadripartito Botanico teſtetur, illam in officinis pharmacevticis venum non exponi, in hoc tamen reliqui omnes conſentiunt, vulnerariam eam eſſe, & in cutis vitiis Scabie præſertim & ulceribus antiquis fruſtra non commendari; ut adeo olim forſan ſæpius in uſum ducta fuerit; quem uſum dum quaſi reproducit hic ruſticus, non eſt quod nos pudeat, ſi ejus exemplo moti in poſterum eandem ſæpius travmaticis denuo immiſcuerimus.

CCCXXXV.

Purgans lenius ſæpius quam forte alvum movens.

JUrisconſultus quidam, qui hactenus ſingulis annis ante Venæſectionem conſuetum purgans ſumſerat, ut hoc anno idem quidem, quod ante annum præſcipſeram, denuo præſcriberem, at, quia tum ſex ſolum ſedes moverit, purgantium doſin aliquantnm augerem, rogavit; cum ergo hac de cauſa in Diario meo Practico inquiſiviſſem, inveni, illud tum temporis ex Infuſ. Lax. D. D. Mannag. ℥jß. Pulv. Specif. Cach. Lud. ℈j. diagr. ſulph. & rad. Jalapp. reſ. n aa gr. vij. atque Aq. Cinnam. ſine V. ℥ij. conſtitiſſe, hincque binis his purgantibus granum unum adjeci; tantum vero abeſt, ut, cum ſumſiſſet hoc purgans, inde magis hoc anno alvus mota fuiſſet, ut potius tres ſolum ſucceſſiſſe ſedes, poſtmodum retulerit: adeo quidem purgantium operatio non eſt in manu medici, nec ſemper purgantia fortiora ſæpius quoque alvum movent, licetque plus moleſtiæ plerumque iis, qui ſumſerunt, concilient, non tamen magis quoque juvant; ſtatque ſententia, tutius eſſe, iterare purgans lenius, quam fortiore identidem tam facile denuo non componendas turbas excitare, cum præſertim illa ſæpiuſcule præſtent, quod vel â fortioribus fruſtra expectabis.

CCCXXXVI.

Scarificationem excipiens lymphæ fluxus & hunc Eryſipelas.

AUrifaber quidam ſæpius catarrhis obnoxius, in Scarificatione, communi quidem & â nonnullis non parum laudato at ſæpe ſat infido remedio auxilium quæſivit, & hinc hanc poſt ſingulos fere menſes inſtituit, pedes præſertim eidem exponens; cumque hinc ante aliquot hebdomodas iterum hoc modo ſanguinem ê venis capillaribus elici curaſſet, ſtatim poſt lymplæ puriſſimæ non parva quantitas per unum alterumve vulnuſculum inflictum profluere cœpit, ut adeo emplaſtro propterea opus habuerit, quod vero vix impoſitum Eryſipelas totius illius partis ſubſecutum fuit, cum tanto dolore, ut

pedi

pedi inſiſtere nullo modo potuerit, & hinc in lecto ſe detinere opus habuerit; ubi quidem Balneator neſcio quæ externa medicamenta applicando parum admodum profecit, unde tandem & ego conſultus fui; internisque præſertim medicamentis ſanguini communicatas particulas partim corrigendas, partim expellendas eſſe judicans, pulverem, quem aliâs quoque in ejuscemodi caſibus commendare ſoleo, eidem præſcripſi, quo non absque fructu eundem uſum fuiſſe, quia non ita diu poſt ægrotum in platea vidi, nullus dubitavi; Scarificatione nempe utut in totum rejici non mereatur, non paucos abuti, tum hæc obſervatio confirmat, tum in pluribus aliis tantum non quotidie videmus, qui licet nullum poſt eandem adhibitam perſentiant levamentum, ſolius tamen conſuetudinis ego ſæpius ac quidem par eſt, eandem iterant: Lympha vero hoc in caſu purior profuſa, vaſorum hunc liquorem vehentium per totum corpus diſtributionis egregius eſt teſtis.

CCCXXXVII.

Capitis dolor Venæſectione exaſperatus.

VIrgo quædam viginti annorum, proceriorisque ſtaturæ, primo quidem impetigine corpus hinc inde defœdante correpta fuit, cui mox ſucceſſit capitis dolor ſubinde tam moleſtus, ut & in lectum ſe conferre aliquoties opus habuerit, huic utut medicamenta in uſum ducta non plane non profuerint, dum aliquoties poſt eadem ſumta meliuſcule ſe habuit, & aliquamdiu â dolore immunis vixit, at quoniam nihilominus identidem hic rediit, tandem de Venæſectione cogitavit, quam, quia ſanguinem abundare per plura indicia conſtabat, utut ſcopo ſatisfacturam, ſtatim dubitaverim, admiſi; at utut tempore ſat opportuno & præmiſſo conveniente purgante inſtituta fuerit, tantum tamen abeſt, ut dolor inde vel minimum ceſſaſſet, ut potius eodem adhuc die, quo ſanguis ſubtractus fuit, eidem magis quam unquam prius moleſtus extiterit, unde jam medicamentis humores acriores corrigentibus inprimis opus eſſe, mihi fidem adhibuit, & ut talia præſcribam, rogavit: Venæſectio nempe non in quovis capitis dolore, uti quidem plures ſibi imaginantur, prodeſt, niſique ſanguis purior abundet, facile malum augere poteſt.

CCCXXXVIII.

Hydrops dentientis lætalis.

PUerulus quidam binis menſibus ſesquiannuo major, cum vix tribus, poſtquam editus fuiſſet, hebdomadis elapſis ſcabie laborare cœpiſſet, hac per quinque fere menſes nulli remedio vel minimum cedente ita debilitatus fuit, ut vix membrum movere, pedibus vero, quamdiu vixit, inſiſtere nunquam potuerit; collegit tamen quodammodo vires, & quoniam quinq; fere trimeſtribus

bus exactis duo dentes non ita difficulter erupêre, ipſeque ſe jam ſic ſat hilarem præbuit, ſpem quandam concepere Parentes, quod diutius ſit ſuperfuturus; me tamen judice, quoniam ſemper difficilius reſpiravit, dubiam, cum hoc ſymptoma in partibus reſpirationi dicatis vitium quoddam ſubeſſe prodiderit, nec me falſo judicaſſe, non ita diu poſt conſtitit, cum enim & dens molaris gingivas mediam ſui partem perforaſſet, brevi poſt primo quidem manibus, hinc facie, poſtmodum pedibus & tandem abdomine intumeſcere cœpit, malumque primum inde non parum auctum fuit, hincque in principio ſtatim ego conſultus purgans conveniens eidem præſripſi, quod ſumtum utut aliquot moverit ſedes, & non ita parum ſeri extravaſati evacuarit, tantum tamen abeſt, ut detumuiſſet, vel & melius cetera ſe habuiſſet, licet ab illo tempore diligenter tum martiata tum Volatilia medicamenta continuarit, ut potius, cum prius per biduum fere nil quicquam comediſſet, vigilque totum hoc temporis ſpatium ejulando extraxiſſet, ſubito, nilque minus cogitantibus adſtantibus, cum paulo ante erectus in ulnis geſtatus fuiſſet, hanc vitam cum meliore commutarit, non ſine Parentum cordolio: Eſt nempe ſignum, hydropem vix ne vix quidem in pueris curatum iri, non ita dubium, ſi purgantia id quod deſideratur, præſtiterint, malum tamen inde nec minimum imminuatur, uti contra, melius ſe habentibus poſt eorundem uſum puerulis, quemadmodum tuto continuantur, ita non raro brevi omnem tumorem diſcutiunt, cujus rei ipſemet jam aliquot exempla dedi.

CCCXXXIX.

Animi deliquium ab abſtinentia â Cibo.

JUvenis quidam nobilis, cum Ol. Antim. ad curandum ulcus quoddam fiſtuloſum, partibus affectis illitum fuiſſet, inde tantos percepit dolores, ut per integrum fere biduum â cibo quoque prorſus abſtinuerit, indeque & vires tantum deficere cœperunt, ut animi deliquium imminuerit; quare adeo perterritus fuit, ut ſerio rogaverit, ut ego vocarer, ſimulque & de confitendis peccatis cogitaverit; dum vero primo ejusdem petito ſatisfit, egoque acceſſor, prudentiſſima ejusdem mater hoc malum non tam ab alia cauſa quam cibi abſtinentia derivans ipſum ſedulo rogat, ut cibos admittat, & tandem eidem perſuadet, ut carnis quandam partem comederit, unde tam bene ſe habuit, ut jam optaverit, ut ego non vocatus fuiſſem, quod cum acceſſiſſem paulo poſt, retulit; ut vero & dolores quodammodo mitigarentur, Theriac. Cœleſt. illa nocte ſumendam ipſi præſcripſi: Facile vero in Juvenibus præſertim vel haud ita diuturna â cibis abſtinentia deliquium animi producit, cui felicius quam cibum ſuggerendo, non medeberis.

CCCXL.

Menſium fluxus diu inſtans Conjugio curatus.

Jam biennium, & quod excurrit, interea præterlapſum eſt, quod aliquoties me conſuluit Pharmacopœi cujusdam Vidua paupercula, menſium jam per bene longum temporis ſpatium fluentium ergo, hiſce enim utut ipſamet varia â variis ſuaſa remedia oppoſuerit, & ego quoque quædam aliâs valde commendata præſcripſerim, omnia tamen omnino fruſtra in uſum duxit, & hinc non adeo vanum ab hydrope in pectore aluit metum; nihilominus vero novo interea proco aures præbuit, & jam magis quàm unquam olim ſolicita fuit, ut fluxus dictus inhiberetur, metuens ne futuro marito parum grata ſit futura, ſi partes genitales ſemper cruore madeant; at præter omnem ſuam ſpem in conjugio remedium invenit reliquis omnibus præſtantius, brevi enim poſtquam illud iniit, concepit, & hinc omnis ſanguinis per uterum fluxus ceſſavit; quod cum nuper ex abdomine conſueto majore notaſſem, ipſamque hac de cauſa interrogaſſem, uti denuo ſancte confirmavit, per integrum triennium dictum fluxum inſtitiſſe, ita quod tam bene ſucceſſerit conjugium quod iniit, ſibi ipſi gratulata fuit: novum nempe ſub novis amoribus acquiſivit vigorem uterus, hincque non ſolum fœtui novo lubens hoſpitium præbuit, verum & liquorem tam proficuum quem olim inutiliter profuderat, in longe nobiliores uſus adhibuit.

CCCXLI.

Graviditas non abs re prædicta.

Acceſſit me hiſce diebus ruſtica quædam, quæ ante aliquot menſes ex me petierat, ut ex urina, quam tum apportaverat, judicarem, an ea, quæ illam emiſit, gravida ſit, an vero fruſtra hujus rei accuſetur? ſimul autem retulerat, illam de dolore lumborum quidem conqueri, & abdomen intumeſcere, at cetera ſic ſat ſanam eſſe; recenſuitque nunc, eam vix octiduo poſt me conſultum exacto peperiſſe, hincque haud abs re me monuiſſe, ut illius accuratior geratur cura, nam ſemper eam facinus pernegaſſe, tumque demum, cum & medicum ipſam pro gravida agnoviſſe, nunciarint, illud faſſam fuiſſe, hincque Patrem, cum quo jam maritata vivat, detexiſſe: Sicuti vero ego huic fideliter indicaveram, ex urina certi quid de graviditate prædici & judicari non poſſe, ita illam gravidam potius eſſe, quam alio morbo laborare, ex ceteris relatis ariolatus fui: non facile vero falleris, ſi præſertim tibi detegatur, ſuſpectæ fidei eſſe fœminam, cujus urina propterea inſpicienda tibi exhibetur, quando eam gravidam denunciaveris, modo omnium circumſtantiarum debitam habueris rationem.

CCCXLII.

Mors falſo prædicta.

RETulit mihi hiſce diebus Matrona quædam, de quodam Scriniario, quod is jam ante biennium & quod excurrit febre hectica tam graviter decubuerit, ut medicus certo prædixerit, eum brevi temporis ſpatio in mortis prædam ceſſurum, at vivere eum in hunc usque diem, & ſic ſat bene valere; eoque ipſo mihi in memoriam revocavit, quod ante pluſculos annos hic loci contigit, laboraverat tum Vir quidam doctus malo, quod quia quotidie corpore magis conſumebatur, nec plane non febricitabat, alio quam hecticæ nomine commodè inſigniri non poterat; vocavit ergo medicum tum famoſum, & quod mala, quibus curandis alii non ſufficerent, curare feliciter poſſit, jactitantem, huicque ſe totum confidit, licet vero plura medicamenta ſuggeſſerit, tantum tamen abeſt, ut iisdem vel minimum profectum fuiſſet, ut potius indies magis conſumtus fuerit, quod Medicum permovit, ut, cum ſub initium fere temporis quadrageſimalis hæc contigiſſent, jurato prædixerit, tempus Paſchatos ipſum non ſupervicturum, unde & ab illo tempore plura medicamenta non præſcripſit, quin tandem miſerum ægrotum dereliquit; unde is refugium ſuum ſumſit, ad amicum quendam academicum, qui nuper ſtudia medica, uti loqui amant, abſolverat; hic denuo ſpem ejusdem erexit, & quædam communia medicamenta ordinavit, quæ Dei gratia tantum profuere, ut brevi integre convaluerit, & in hunc usque diem medici interea dudum mortui prognoſticon eludat, dum nempe ab illo tempore optima fruitur valetudine; dignam vero, ut hic quoque recenſeretur, hanc hiſtoriam judicavi, quia medicos in prædicenda morte cautos eſſe jubet, ſunt enim nonnulli morbi ſic comparati, ut licet per quævis ſigna letales videantur, nihilominus tandem adhuc curentur, vixque medicus invenietur, cui non ejuscemodi quid aliquando contigiſſet, quod ipſum itidem nos eo magis cautos reddat.

CCCXLIII.

Venæſectionis iterandæ quoddam indicium.

VEnæſectionem dum hoc anno eidem aſſueti inſtituerunt, apud eos, qui me præſentem illi eſſe voluerunt, nil notatu digni occurrit, niſi quod cognatus quidam retulit, quod per aliquot dies in faucibus ſaporem ſanguinem referentem notaverit, quin aliquando aliquantum ſanguinis ſputo rejecerit, indeque ſumme ſe hoc ſuo remedio opus habere, ſtatuerit; quod cum adſtans chirurgus audiviſſet, addidit, ſe ſimilem plane ſaporem notare, quoties Venæſectionis conſuetæ tempus inſtet, illumque ſemper tam diu inſtare, donec

hac

hac ſibi conſuluerit, vix vero ſanguine ſubtracto, hunc ipſum ſaporem penitus evaneſcere, indeque nullum ſupereſſe dubium quin, is unicè ab hac cauſa ſit derivandus: ſicuti vero omnino non ſunt reprehendendi, qui talem ſaporem notantes, ceteris indicantibus præſertim permittentibus, Venæſectione ſibi conſulunt, cum aliâs facile hæmoptoe ſupervenire poſſet, ita in hoc ipſo malo hoc generoſum remedium non absque ratione commendari, hæc obſervatio confirmat.

CCCXLIV.

Atrophiæ letalis cauſa rara.

Filiolus meus Leopoldus Joſephus cum decimum ætatis annum vivendo attigiſſet, anteaque poſt hæmorrhagiam narium inſignem alibi deſcriptam ſic ſat bene ſe habuiſſet, ſubito de dolore hypochondrii præſertim ſiniſtri queri cœpit, ſimulque laſſitudinem minus conſuetam non tam ipſemet notavit, quam alii in eodem obſervarunt; unde ego quidem, quia cibi appetentiſſimum noveram, ne forſan ventriculum eodem nimium replerit, metuens, ante omnia purgans eidem præſcripſi; quod licet non parum materiæ peccantis evacuarit, parum tamen profuit, malo nempe antiquum obtinente, unde jam in obſtructione vaſorum meſenterii cauſam mali quærens, martiatis pugnare contra illud cœpi; utut vero his & vomitorium interpoſuerim, & illa ſic ſat ſedulo per aliquot hebdomadas continuarim, ſemper tamen malum augmentum potius ſumſit, quam vel minimum mitigatum fuit; quia tamen appetitu ſemper polluit, Scholam adhuc frequentare potuit, & dolorem ſubinde locum mutare indicavit puer, jam de vermibus cogitare cœpi, utut vero per pluſculas hebdomadas tum ea, quæ propria experientia iisdem haud fruſtra opponi me hactenus docuit, tum ab aliis experientiſſimis viris ſuggeſta ſedulo in uſum duxerim, interque hæc tum allium ſæpius comederit, tum æthiopem mineralem pluries ſumſerit, tum Clyſteribus ê lacte & ſaccharo paratis trigeſies & quod excurrit ad exitum quaſi vermes allecti fuerint, nil quicquam tamen & hiſce profectum fuit, nec vel minimum horum animalculorum indicium, diligenter licet inſpectis excrementis in iisdem comparuit; unde jam vermes ſubeſſe ulterius quidem non credidi, at quia interdum duritiẽ quandam in abdomine notavi, & hactenus absq; febre hectica puerum indies magis conſumtum vidi, quin tamen peregrini quid in inteſtinis latitet, quod chyli in venas lacteas diſtributionem impediat, nullus dubitavi, & hinc ad martiata redii, tandemq; etiam in acidulis opem quæſivi, quæ, utut per aliquot dies tantum profuerint, ut jam ſpem novam convaleſcentiæ conceperim, continuatas tamen tandem vomitu rejecit, & tam male ſe habuit, ut ſeponere coactus fuerim; ſucceſſit vero jam febris, quotidie eadem fere hora prævio frigore p. n. tam exacte re-

diens, ut quotidiana nominari omnino meruerit; ſicuti vero in principio ſtatim etiam notatam febrim erraticam Eſſ. Cort. Peruviani Dei gratia feliciter depuleram, ita hunc ipſum corticem nunc iterum variis modis adhibui, & inprimis cum Balſ. Peruv. in Pilul. redactum aliquoties filiolo exhibui, varia alia quoque febrifuga ſedulo ſumſit, quibus omnibus febris inhibita quidem aliquoties fuit, nunquam tamen depelli plane potuit; unde indies magis conſumebatur, cumq; præſertim tandem & diarrhoea accederet, in lectum proſternebatur, & quibusvis fere remediis in principio quidem levamen quoddam afferentibus, at poſtea fruſtra omnino continuatis, totus conſumtus placida morte abſumtus fuit: Ut vero innoteſceret magis, quid hunc dilectiſſimum meum filiolum ante tempus morti tradiderit? cadaver ejusdem per chirurgum peritum aperiri curavi, ubi ſicut vix granum pinguedinis ſuperfuit, ita cum inteſtina vix oculis patuiſſent, quæ aliâs non niſi diligenti ſcrutatione inveniuntur glandulæ, hinc inde oculis patuerunt, uti vero inprimis in inteſtinum duodenum inquiſivi, in quo nempe mali cauſam inventum iri, ſemper mecum ſtatueram, ita juxta ventriculum quidem longitudinem duorum triumve transverſorum pollicum illius, ſic ſat bene conſtitutam inveni, at jam ſuccedebat maſſa informis carnoſa pugni fere magnitudinem æquans, & inteſtinum oculis plane ſubtrahens, quæ aperte parvam cavitatem monſtrabat, per quam ſuccus chyloſus ad reliqua inteſtina, exceptis glandulis, ſic ſat bene ſe habentia, deferri hactenus potuerat; ſicuti vero ſic chylus nec depurari nec moveri decenter potuit, ita corruptus alendoque corpori minus aptus exiſtens in parca quantitate in ſanguinem delatus ibidem febrem accendit, reliquiæ vero alvum ſæpius ac par eſt, ſtimularunt, indeque quævis reliqua ſymptomata unice derivanda eſſe, ego totus credo, hepate, liene, ceterisque infimi ventris viſceribus nulla labe conſpicuis, veſica in ſpecie & renibus, in quas partes quia aliquoties multum admodum urinæ reddidit, diligenter inquiſivi, optime conſtitutis, unde quod forſan hoc ſymptoma ab excreſcentia, citius ac par eſt, ſerum ad partes urinarias promovente derivandum ſit, ariolatus ſum; licet autem pulmones quoque hinc inde exulcerati inventi fuerint, unde & tuſſis ultimo menſe moleſta originem duxit, hoc tamen malum primarium non extiſſe, ſed paulatim ab humoribus ſemper magis corruptis contractum fuiſſe, cum in principio tuſſi plane non laboraverit, nec unquam difficilius reſpiraverit, ego totus ſum perſuaſus: unde vero tumor in inteſtino inventus derivandus ſit, certo quidem determinare vix audeo, ſemper tamen in ea fui opinione, quod aliquid deglutierit, quod tum depurationem tum diſtributionem chyli impediverit, quia vero nil prorſus peregrini in hoc tumore inveni, quod aliquando aliquid in hanc inteſtini partem delatum fuerit, quod illam læſerit, quo poſtmodum excreto nihilominus caro in loco læſo paulatim in hanc usque magnitudinem

excreverit, ſtatuere tam diu liceat, donec meliora edoctus fuerim; an nucleus prunorum, quibus ſæpius ſe delectavit, an mali meditullium, quod Scribonius Volvam nominat, quod aliquando integrum ſe deglutiiſſe beatus puer faſſus eſt, an vero aliud quoddam corpus duriuſculum extremittatibus acutis inſtructum inteſtinum ſic læſerit, edicere non poſſum: Atrophiæ interim hæc cauſa minus conſueta omnino deſcribi meruit, cui labori lugens quidem obitum obedientiſſimi juxtaque & piiſſimi filioli præmaturum, lubens tamen, ut & ſic juſta eidem ſolvam, vacavi.

CCCXLV.

Purgationis operatio impedita.

NObiliſſimus quidam Vir, cum ante Vernam Venæſectionem purgantem pulverem ſumſiſſet, qua purgantia ex diagr. ♎. gr. Viij. & totidem Rad. Jal. reſ. n. conſtantem, qui aliâs ter quaterve alvum moverat, inde nunc adeo plane nullam habuit ſedem, ut & iis, quæ aliâs ſponte ſuccedere ſolent, caruerit, quæ nec Rhabarb. inſuper illa veſpera ſumto motæ fuerunt, unde, utut inde male ſe non habuerit, ſequenti tamen die meum conſilium expetiit; ubi, ſicut præ aliis non ſuccedentis purgationis cauſam in vehiculo minus conveniente quæſivi, dum ob nauſeam â medicamentis, pulverem non cum liquore quodam laxante, vel & juſculo tenuiore, quod quidem conſultius fuiſſet, quam craſſiore quodam eclegmate, ſumſit, ita vix aliter fieri potuiſſe, facile credidi, cum poſtmodum ipſemet retuliſſet, ſe pulverem non ſolum in lecto adhuc decumbentem ſumſiſſe, ſed & in eo adhuc aliquamdiu decubuiſſe; ſicuti enim ſic purgantium fortiorum vis omnino quodammodo imminuitur, quod mori huic, quod nempe multi hodienum tali modo purgantia ſumunt, forſan originem dedit, (veteres enim medici, qui illum commendarunt, plerumque purgantia fortia præſcripſerunt,) ita eorum quæ lenia nominari merentur, virtus plane infringitur, unde poſtmodum exoptatus eventus non ſuccedit; licet vero huic, Vinum, in quo Mannæ uncias duas diſſolvi curaveram, alvum ſatis moverit, inprimis tamen monendos eſſe tum de vehiculo conveniente, tum ne decumbentes purgantia leniora ſumant, eos, qui iisdem opus habent, tum ex hac cura, tum aliis alibi â me narratis hiſtoriis abunde patet.

CCCXLVI.

Lac Hypochondriaco non conducens.

HYpochondriacus quidam fere quadragenarius, rerum quidem Medicarum cetera ſic ſat imperitus, at lectione librorum medicorum ſæpius tempus fallens, inter alios in illos præcipue incidit, qui quævis medicamenta ſic commendant, ut ſi illis fides tuto adhiberetur, non daretur morbus, qui non il-

lico non adeo difficulter jugularetur; quibus encomiis excitatus identidem unum alterumve medicamentum in uſum duxit, me non conſulto prius, & hinc poſtmodum non ita bene ſe habens nolens volens conſilio meo opus habuit; quod idem contigit, cum quendam legiſſet, qui lacti in curandis fere quibusvis morbis tantas tribuit laudes, ut harum rerum ignarus illud facile pro univerſali medicamento habuerit, cum enim & lactis calidi quandam quantitatem ebibiſſet, inde tam male ſe habuit, ut ſicuti ipſemet teſtatus eſt, niſi brevi poſt illud vomitu rejeciſſet, malis ſupervenientibus diutius ferendis impar extitiſſet, unde jam eo magis, ut ego conſilia ſalutaria ſuggeram petiit, & ego præ quibusvis talibus remediis acidulas ipſi commendavi: Obeſſe itaque potius quam vel minimum prodeſſe nimia illa quorundam remediorum elogia, ſicut ex modo memoratis legiſti, ita ſi in ſpecie notaveris, lac hypochondriacis præcipue non ſemper tuto commendari, hiſce illud non niſi rarius commendabis.

CCCXLVII.

Calculi purgante commoti.

ACceſſit me præterito Vere inter alios & Telonarii cujusdam Uxor, utque purgans præſcriberem, rogavit, nec ego, quoniam pituita ipſam abundare noveram, petito ejusdem defui, &, uti ſoleo, lenem præſcripſi Potiunculam, quam & puerulo vix bienni exhibere nonnulli vix dubitarent; hanc cum ſumſiſſet, inde pluſculas habuit dejectiones, quod tantum abeſt, ut ipſi diſplicuiſſet, ut potius purgantis operationem laudaverit, more nempe communi, quo non tam quæ proſunt, quam quæ plures movent ſedes, magni habentur purgantia; at & huic forſan magis profuiſſet, ſi tum purgans tot ſedes non moviſſet, ſimul enim calculos tum renum tum veſicæ ſic movit, ut ab illo tempore per aliquot hebdomadas, doloribus, quos hi malefidi hoſpites excitare ſolent, torta fuerit, & hinc iterum, ut conſilium ſuggeram, petierit; nec fruſtra ſumſit eum, quem hunc in finem præſcripſi pulverem, cumque brevi poſt mariti ergo ipſamet me acceſſiſſet, quam acerbos paſſa fuerit dolores teſtata fuit, ſimulque retulit, ſe firmiter ſecum conſtituiſſe, quod in poſterum â purgantibus omnino abſtinere velit, quod propoſitum ego non tam improbavi quam laudavi: Niſi enim ſonticæ ſubfuerint cauſæ, nephritici purgantia non ſumant, quæ quosvis humores movendo & turbando ſimul etiam calculos movent, qui ſic conſtituti, ut expelli non poſſint, nunquam magis ſunt moleſti quam moti, ubi contra ſi ſedi ſuæ immobiles infixi hæreant, ſæpiuſcule magni quoque calculi non adeo multum moleſtiæ concitant.

CCCXLVIII.

Aphthæ multum dolentes.

ANte bimeſtre fere ſubito vocatus fui ad nobiliſſimorum Parentum filiolum trimeſtrem fere, quem uti clamantem inveni, ita hos clamores per integrum diem noctemque ſic inſtare, & hinc non ita exiguum ſibi injicere metum, mater retulit; cum ergo, ut eo certius dolores, horum clamorum cauſam ſedare poſſem, in cauſas illorum ſedulo inquiſiviſſem, nec quicquam indicaretur, quibus merito illos adſcribere potuiſſem, cum & excrementa rite ſe habuerint, & debito tempore excreta fuerint, & cetera quoque ſigna nil mali detexerint; dum vero huic labori vaco, mater refert, filiolum aphthis laborare, & ore ejusdem aperto, quam late ſe diffuderint, monſtrat; uti ergo has ſine dubio dolorem excitaſſe totus credidi, ita & medicamenta iisdem convenientia ordinavi; licetque mater non crediderit, hanc ſolam tantorum clamorum ſubeſſe cauſam, revera tamen aliam non ſubfuiſſe, eventus docuit, cum aphthæ paulatim diſparuiſſent, & clamare nimium puerulus deſiit, adeoque aliis medicamentis non habuit opus; dum nempe cutis excoriatur quaſi in aphthis, non poteſt non ſuboriri dolor, qui pro humorum majori minorive acredine jam major jam minor exiſtit, alio autem modo quam clamando ab ejuscemodi puerulis detegi non poteſt.

CCCXLIX.

Calculi ſectio parum juvans.

CUm aurifabri cujusdam filiolus â prima fere infantia aliquoties calculos excreviſſet, tandem per varia ſigna conſtitit, reſtare in veſica hoſpitem talem minus gratum, qui tantam acquiſiverit magnitudinem, ut per vias conſuetas excerni nullo modo poſſit, unde de ſectione cogitandum fuit, quam dum inſtituunt, lithotomus tum adhibitus tam crudeliter in principio tractat puerum tum ſexennem, ut quivis adſtantes, inter quos medici quoque & chirurgi præſentes fuerant, illum ejusdem manibus ſubtraxerint; acceſſit vero paulo poſt alius arte magis peritus, qui præmiſſis præmittendis ſectionem ſic ſat feliciter inſtituit, dum calculum extraxit, ſupra unciam unam & dimidiam, duas drachmas pendentem; utut vero vulnus in operatione inflictum conſolidatum iterum fuerit, tantum tamen abeſt ut calculi dolores penitus ceſſaſſent, ut potius ab illo tempore quotidie puerum magis incommodarint; dum nempe paulo poſt novos excrevit calculos, & hi quidem majuſculi interdum in ipſa urethra hærentes, urinæ exitum intercluſerunt, unde dolores non parum aucti fuerunt, licetque aliquoties inſtrumentis convenientibus hos calculos vel ipſi Parentes extraxerint, aliquando tamen quidam ſic ſubſtitit, ut

ut moveri nullo modo potuerit; unde iterum lithotomum vocarunt, qui non niſi cultro aperta urethra calculum removeri poſſe judicavit, & hinc hoc modo eundem feliciter removit; at ſemper novi generati novas excitarunt moleſtias, unde tandem puer tantis doloribus tam diu inſtantibus penitus conſumtus ætatis anno decimo tertio in mortis prædam ceſſit: adeo quidem nec extremum illud remedium calculi ſectio calculoſos quosvis ſic juvat, ut poſtmodum vel per paucos annos immunes ab immanibus ſuis doloribus degere poſſent, ſed dum brevi novi generantur calculi, novi quoque inſtant dolores, ut adeo omnino in ejuscemodi ſubjectis deliberandum ſit, utrum magis ê re ſit eos inſtituta ſectione etiam torquere, quam medicamentis quibusdam dolores quantum fieri poteſt demulcere; utut, dum quosdam ſectio non parum juvat, propterea non omnis ſemper ſpes deponenda, & hinc in illa quoque interdum auxilium quærendum ſit, non niſi tamen; uti modo memini, re prius probe penſitata: de puero autem cujus hiſtoriam modo dedi, Pater inſuper retulit, quod quamdiu ſectione ê veſica extractum calculum in eadem geſſerit, aliquoties, ad urinam promovendam corpus ejusdem invertere, & capiti imponere opus habuerint, cum facilius quam hoc modo promoveri non potuerit.

CCCL.

Calculo ſecto potu male interdicens.

NOn hunc vero ſolum filiolum tam infelicem vidit hic ipſe aurifaber, ſed & alium biennem ut ſectioni ſubjecerit, dolores, quibus â calculo tortus fuit, ipſum permoverunt, at infeliciter, nam eo, quo operationem lithotomus inſtituit die, puer vivis ſubtractus fuit, vel ideo magis infelix, quia ſumme ſitienti potus vel guttam exhibere tam graviter interdixerat operator, ut ſatisfacere precibus continuo inſtantibus pueruli parentes auſi non fuerint, & hinc in hunc usque diem deteſtentur hanc ſuam filiolo tam acerbam obedientiam, accuſati poſtmodum nihilominus ab operatore, quod potum exhibuerint; qui ſine dubio erroris cujusdam conſcius cauſam aliam afferre neſciens, hanc tam innoxiam attulit; ſi enim vel maxime potus exhibitus fuiſſet, nocere minime potuiſſet, conveniens præcipue & malo accommodatus, quin mortem quodammodo maturaſſe ſub intenſa ſiti potum omnino denegatum vix ullum eſt dubium.

CCCLI.

Variolæ conſueto citius exareſcentes.

JUrisconſulti cujusdam filiolus ſeptem fere annorum, cum prius optime ſe habuiſſet, nec de ullo malo vel minimum queſtus fuiſſet, ſubito horrore quodam

quodam & hunc inſequente calore corripitur, indeque tantum proſternitur, ut extra lectum degere non potuerit; vocor itaque ego, & cum abſens fuiſſem, ê pharmacopolio petitur Potiuncula Bezoartica, ê lapide nempe Bezoar orientali præcipue conſtans; hanc ſumſit puer, & ſequenti die maculæ in eodem comparent, quæ aliâs variolarum prodromi, quin principium eſſe ſolent; utut vero puer inde longe melius ſe habuerit, nihilominus ut ab itinere rediens accedam, rogor, ubi interea dictæ maculæ ſic in puſtulas jam abire cœperunt, ut de variolis nullum plane ſuperfuerit dubium; uti vero eruptionem illarum leniter promoventem & maturationem juvantem meum pulverem alibi comunicatum & hîc ſtatim comendavi, ita ab illo tempore nil quicquam notatu digni occurrit, niſi, quod plures puſtulæ maturitatem conſuetam non attigerunt, & die fere quarto quintove exaruerunt, aliæ vero & quidem pauciores, quæ illam nactæ fuerunt, omnes octavo die jam ſic exſicatæ cernebantur, ut ſequenti die absque noxa corpus aeri committere potuerit; quod ſicuti rarius ſic contingere ſolet, ita hunc in finem hîc notavi, ne & maturitatis variolarum tempus nimis audacter determinent, qui hac de cauſa conſuluntur, ſed præmittendo, tempus quidem conſuetum, diem ut plurimum decimum vel undecimum eſſe, interdum tamen & hoc tempus tam exacte non obſervare, ſi ſimul ſubjecerint, non parum famæ ſuæ conſulent.

CCCLII.

Odor facili remedio reſtitutus.

ACceſſit me hiſce diebus ſartor quidam juvenis, ulcus quoddam in naribus alens tam malignum, ut, niſi curæ per ſalivationem illud vix ceſſurum, judicaverim, hic inter alia ſymptomata, quæ ſic ſat diu jam moleſta extitere, Odorem quoque tantum non prorſus abolitum numeravit, ſeu enim ſuaveolentia ſeu ſumme fœtida naribus admoverit, eadem nec minimum quidem ſe à ſe invicem diſcernere potuiſſe; inter varia autem remedia, quæ propterea adhibuerit, inprimis ſibi profuiſſe decoctum hederæ terreſtris, quod per aliquot hebdomadas naribus quotidie bis terve attraxerit, inde enim odorem paulatim ſic rediiſſe, ut hujus ergo tum aliis medicamentis non habuerit opus: Travmatica nempe hæc herba organum olfactus læſum conſolidavit, unde poſtmodum muneri ſuo ſicut olim præeſſe cœpit; omnino vero tam facile parabile remedium, ut hîc propterea commendaretur, dignum judicavi.

CCCLIII.

Voces auditæ ominoſæ.

ILluſtriſſima quædam Comitiſſa, cum de ominibus mortis vel & gravioris morbi inſtantis indicibus mentio injecta fuiſſet, narravit, quod ante ali-

quot annos in lecto decumbens cum vix obdormiviſſet, clara & alta voce quandam dicentem audiverit, meine Bücher Frau Schweſter/ libros meos, ſoror honoranda; unde quidem ſtatim evigilarit, & remoto velo quis hæc verba protulerit, interrogarit, at neminem adfuiſſe, qui ſe vel verbum effatum fuiſſe, ſalva veritate dicere potuiſſet; ſe vero, cum paulo poſt eadem hæc verba repetita fuiſſent, jam exacte dignoſcere potuiſſe, eſſe vocem ſororis mariti ſui Illuſtriſſimi procul licet diſtantis, hincque poſtmodum hoc ſe eidem narraſſe, & ne quid mali denotet, metuiſſe; nec fruſtra, haud ita diu poſt enim nuncium de hujus ipſius clamantis morte allatum fuiſſe, in cujus horam cum inquiſiverit, eam cum ea, qua memoratam audiverit vocem, exacte conveniſſe, notatuque inprimis dignum eſſe, quod prius de morbo hujus adfinis nec minimum quidem noverit, nec etiam librorum unquam mentio injecta fuerit, donec hiſce ipſis narratis Domino Comiti in memoriam revocaverit, in ciſta quadam clauſos libros reliquiſſe ſororem ſuam, hosque libros ſibi dono dediſſe; ubi hos quidem libros diligenter evoluerit, an forſan quid in iisdem notatum reperiatur, quod ad hanc vocem accommodari poſſet? at nil prorſus ſe inveniſſe: Vel hac de cauſa vero ſe magis ſolicitam fuiſſe, cum aliquot annis poſt in navi vecta, cum juxta virginem & ancillam ſomnum capere vix cœperit, clamareque audiverit, Sophia, Sophia, quod nomen quippe ipſa gerat, cum præſertim paulo poſt & hæc vox repetita fuiſſet, & virgo, quæ idem geſſerat nomen, eam itidem audiviſſet, jamque recordaretur, eſſe, vel potius præſentare vocem cujusdam ſororum, jam enim, ne & hujus mortem denotet, ſe ſibi metuiſſe; utut vero hæc in mortis prædam non ceſſerit, paulo tamen poſt ſibi litteras allatas fuiſſe, quæ indicarint, quod illo ipſo tempore graviſſimo morbo decubuerit, & cum morte luctata fuerit hæc ipſa ſoror: Unde vero hæ voces ſint derivandæ? utut pro curta mea ſuppellectile ſufficienter me explicare non poſſe, lubens faſſus fuerim, quin tamen revera ſic contigerit, ſicuti prudentiſſimæ Matronæ inſignis fides me minimum quidem non dubitare ſinit, ita non prorſus contemnenda eſſe talia omina, quemadmodum olim jam in lineis medicis probavi, ſic nunc magis confirmatur.

CCCLIV.

Pulmones reſarciri non poſſunt.

CUm coram hac ipſa Illuſtriſſima Matrona conſilium haberetur quandam, ad hecticam proclivem concernens, pulmonumque rationem inprimis eſſe habendam, ne nempe forſan adhuc integri â catarrhis ſæpius moleſtis in poſterum æderentur, inter alia conſultum duceretur, reſpondit, ſe quidem majorem ab hepate læſo alere in pectore metum, cum conſtet pulmones, modo vel minima eorundem reſtitet particula, facile in integrum reſti-

tui

tui poſſe, egoque tum una cum alio inſigni Medico regererem, altius quidem infixam eſſe plurimorum menti hanc ſententiam, at ſi pulmones revera fuerint exulcerati, ſic quidem, ut, & eorundem partem quandam abſumſerit ulcus, fieri non poſſe, ut hæc ullo modo reſtituatur, quod partem hanc vel paululum attentius conſideranti abunde pateat, ſequentia narravit; Vixiſſe ante aliquot annos primæ nobilitatis Juvenem, Spiritu vini imprimis ſe delectantem, & hinc ejusdem identidem non ita parvam quantitatem ingurgitantem, adeo quidem, ut aliquando eundem ſub fimum recondere opus habuerint, ſolum ne calor nimius â potu ſubortus ipſum ſuffocaret; ab illo vero tempore eum minus bene ſe habuiſſe, palluiſſe, tuſſiiſſe, totoque corpore ſic conſumtum fuiſſe, ut reconvaleſcentiæ exigua admodum ſuperfuerit ſpes, quoniam vero jam diætæ errores ſedulo vitaverit, & conſiliis medicorum tum adſtantium exacte paruerit, inde paulatim illum ſic convaluiſſe, ut jam cuncti eundem pro ſano denuo agnoverint, verum enim vero, cum paulo poſt ad priores errores redierit, inde quoque prius malum revocatum fuiſſe, quod nunc adeo plane nulli remedio vel minimum ceſſerit, ut inde haud ita diu poſt ultimum obierit diem; apertum autem poſt mortem cadaver, & inprimis in pulmones ſedulo indagatum fuiſſe, qui quidem maximam partem conſumti extiterint, ſimul tamen particulam quandam nulla labe correptam, integram & teneram atque recentem, pulmones pueri adhuc æquantem oculis ſe expoſuiſſe, quam medicamentis ante ultimum morbum adhibitis productam fuiſſe, tum firmiter crediderint: Sicuti vero nos ſubjecimus, ſi hæc revera pars pulmonum nominari meruerit, illam non tam regenitam & de novo productam quam ſervatam fuiſſe; ita mallem ſane, ut medici præſertim vanas ejuscemodi opiniones non tam frivolis argumentis quibusdam foverent, & ſic altius errantium menti imprimerent, quam huic rationibus convenientibus eriperent, ſic enim ægri nunquam ea, quæ præſtare humanarum virium non eſt, â medicis deſiderarent, at ſeu turpis ignorantia ſeu ſuavis lucri cupido in cauſa ſunt, ut ſemper adhuc inveniantur, qui tales fabulas ſerio defendere conantur.

CCCLV.

Hectica â pede dolente orta.

MErcator quidam cum ante aliquot annos dolorem in pede tantum notaſſet, ut vix incedere ulterius potuerit, juxtaque indies magis conſumeretur, medicum tum magni nominis conſuluit, qui nil minus quam pedem inſpiciens, ea medicamenta quæ alias hecticæ opponuntur, ſic ſat ſedulo in uſum duxit, omnia tamen omnino fruſtra, donec tandem acceſſit balneator quidam, qui pedem attentius inſpexit, & pus ſubtus latitare obſervans, niſi hoc evacuetur, nec dolorem nec febrem ſublatum iri edixit; ut itaque aperiat tumo-

rem ſtatim rogatus fuit, nec defuit ille petitis, ſed lanecola vulnuſculum hunc in finem inflixit, quod tam feliciter ſucceſſit, ut non ita exigua puris quantitas per illud profluxerit; ab illo etiam tempore ægrotus tam bene ſe habuerit, ut non ſolum pede denuo ut olim uti potuerit, ſed & cetera integra gaviſus fuerit ſanitate, at intra biennium fere rediit dictus dolor, mortuoque interea priore chirurgo alius vocatus tumorem cataplasmatibus diſſipare fruſtra tentavit, nec curari potuit, donec denuo apertus fuit; & jam ſolicitus eſſe cœpit, ne in poſterum ſæpius hoc malum redeat, fonticulum itaque hunc in finem commendatum ſibi inuri paſſus eſt, qui votis ſatisfecit, dum ab illo tempore non habet quod de pedis dolore vel minimum queratur; at idem jam dolor in naribus notatus, aliquoticsque moleſtus fuit, donec pus per hoc excretorium excrevit; hujus ergo cùm nuper me conſuluiſſet, ut nunc fonticulum in brachio quoque excitari curet, ſuaſi, ſic enim materiam peccantem ad nares tendentem æque averti poſſe ac olim in pede averſa fuit: Notes interim ex recenſitis, quod hectica non raro cauſas agnoſcat, quæ tolli poſſunt, unde in has inprimis ſemper inquire, ſi enim eas agnoveris, & rite tollere ſciveris, non raro laudem inde reportabis.

CCCLVI.

Corallia in mortuo colorem ſervantia.

MOrtuus eſt nuper puerulus quidam ex dentitione difficiliore, in hoc, ut ut per bene longum temporis ſpatium difficulter reſpirarit, quin tandem toto corpore intumuerit, quæ tamen in brachio geſtavit corallia rubra adeo inde colorem non mutarunt, ut potius rubor eorum auctus quam vel minimum imminutus fuerit, ut adeo non ſine admiratione ii, qui poſt mortem hæc brachio detraxerunt, ea mihi monſtraverint: licet ergo nullum ſit dubium quin ſubinde corallia ab ægris geſtata colorem mutent, quod quidem olim exemplis me probaſſe memini, ſicut tamen contraria huic experimento hiſtoria in Ephemeridibus Natur. Curioſor. narratur, ita hæc ipſa nos moneat, ne nimium fidamus ſolis Coralliis, nec certi quid ex iisdem prædicere audeamus, cum facile & apud alios fallere poſſint.

CCCLVII.

Scrotum corrugatum non ſemper ſanitatis index.

NOn ſolum vero Corallia in memorato puerulo colorem non mutaverant, verum & ſcrotum, quod laxum & propendens pro ſigno morborum aut imminentium aut & præſentium habent, adeo hoc modo plane nullum metum injiciebat, ut ex illo corrugato & parvo ſpem potius optimam concipere potuiſſes, quod itidem tale ad mortem usque perſtitit; licet ergo nimia ſcroti

laxitas

laxitas merito nobis ſuſpecta eſſe debeat, cum de ſpirituum fibras in ordine ſuo ſervantium paucitate teſtetur, ſicuti tamen nec hoc ſemper morbos denunciat, ita bene ſe habenti ne nimium fidas, hac obſervatione doceris; ſemper nempe ſigna quædam conjungenda ſunt, antequam certi quid edicere ſuſtinemus, cum enim vel pluribus conjunctis nonnunquam fallamur, quanto magis ejuſcemodi quid metuendum erit, ſi uni nimium fiderimus.

CCCLVIII.

Capitis dolor periodicus in Gravida curatus.

MAtrona quædam elegantiſſimæ formæ & tenerrimæ conſtitutionis, cum ſecundo concepiſſet, dolore capitis periodico & ſingulis diebus ſub veſperam redeunte laborare cœpit, quem quidem in principio plane neglexit, nec ullum eidem oppoſuit remedium, at cum inde indies vires ſumſiſſet, & hinc eandem fere penitus proſtraviſſet, marito hortanti tandem aures præbuit, & me propterea conſuluit; ubi in principio quidem credidi, â ſanguinis abundantia nimia ortum ſuum trahere hunc dolorem, & hinc Venæſectionis mentionem feci, at quoniam ab hac abhorruit, priusque num medicamenta juvent? ſe tentaturam, teſtata eſt, dolore præſente Salis Vol. Oleoſ. Sylv. viginti guttas, extra paroxyſmum vero Specif. Cephal. D. Mich. aliquoties ſumere eandem juſſi, quod Dei gratia tantum profuit, ut, cum aliquot hebdomadis poſt, una cum ipſa convivio cuidam interfuiſſem, retulerit, ſe nunc non habere, de quo queratur, & vix bis terve medicamentis â me præſcriptis in uſum ductis dolorem remiſiſſe, continuatis vero iiſdem omnio ſublatum fuiſſe: Non ſemper ergo habemus, quod nimium urgeamus Venæſectionem, cum ſæpiuſcule medicamentis præſtari poſſit, quod ab illa ſola non raro fruſtra expectamus; quod vero gravidæ quibuscunque correptæ malis non ſint deſerendæ, ſed ſat tuto talia & alia plura medicamenta iiſdem exhiberi poſſint, hac cura confirmatur, quicquid etiam nonnulli oggranniant, eo ipſo ignorantiam ſuam prodentes.

CCCLIX.

Nutricum quidam errores.

CUm nuper quædam primæ nobilitatis Matrona, infortunii, quo aliquot liberos in prima infantia perdiderat, (uti quidem communiter loqui amant, cum Chriſtiani non tam perdant, quem Creatori reddant ſuos liberos,) mentionem injeciſſet, cauſam præmaturæ hujus mortis inprimis in nutrices quoque rejecit, utut enim ſemper illas elegerit, quas præ aliis huic muneri idoneas judicaverit, quarumque lac quævis bonitatis indicia præ ſe tulerit, brevi tamen, poſtquam muneri ſuo præeſſe cœperint, errores quosdam in iiſdem

detectos fuiſſe, qui non potuerint non lactentibus eſſe noxii; ſic quandam fuiſſe tam laſcivam, ut marito remoto, & ad tempus in alium locum relegato, quoscunque fere adierit, & ut laſciva ſua vota expleant, rogarit, quod niſi ſucceſſerit, ira inde illam tantum exarſiſſe, ut lac inde mutationem quandam ſubiiſſe, infans ſtatim poſt pejus ſe habens abunde detexerit, qui & hac ipſa de cauſa ſine dubio citius ſatis ceſſerit; aliam, poſtquam jam aliquamdiu mammis admoviſſet recens natum, ſponte faſſam fuiſſe, ſe olim aliquoties malo epileptico laboraſſe, quam licet illico removerit, impedire tamen ſe non potuiſſe, quin poſtea & hic fœtus convulſionibus correptus ante tempus mortis præda factus fuiſſet, quas aliunde, quam ab hac ipſa nutrice, non fuiſſe derivandas, tota credat: Aliam clam ſuggeſtum Spiritum Vini vel frumenti in non ita exigua quantitate ingeſſiſſe, quoniamque puer, quem hæc nutrierit, ſemper magis ac quidem in hac ætate ſolent, caluerit, & paulatim conſumtus obierit, neminem dubitaſſe, quin ſummo jure potus hic nutrici minus conveniens accuſatus fuerit: quæ quidem ſicut imprimis matres permoveant, ut, ſi fieri poteſt, infantibus ſuis lac proprium exhibeant, ita, quam diligenter in nutrices indagandum ſit, antequam huic muneri præficiuntur, ex iis quæ modo legiſti, abunde patet; ſatius vero ſubinde erit, aquam potus loco exhibere iis, qui haud ita pridem lucem viderunt, quam lacte tam male conſtituto & perverſo eos morti quaſi tradere; quod & magni cujusdam Principis filio Principi feliciſſime ceſſiſſe, non ita pridem notatum fuit; quis enim in vel maxime ſanis lactantibus errores, quos modo detexi, impedire potuerit? quin ſæpius diætam tam ſubito in melius mutatam non ita bene ferre nutrices, adeo non eſt novum, ut nec mihi deſit exemplum cujusdam, quæ tam diu, quam diu uſa fuit alimento tam præſtante, male ſe habuit, nec convaluit, antequam ad cibos ſuos conſuetos rediit, hincque lac quod tum cuidam puellæ ſuggeſſit, adeo huic non profuit, ut brevi vivorum numero ſubtracta fuerit.

CCCLX.

Diarrhœa cereviſiæ non conſuetum potum ſubſequens.

ITalus quidam cum primo in Germaniam veniſſet, & cereviſiam bibiſſet, inde primo tormina perſenſit, hinc vero & alvum ſolito magis apertam habuit, viriumque tam notabilem notavit diminutionem, ut propterea me conſuluerit; ubi, cum humores ab hac potus mutatione non ſolum corruptos fuiſſe, ſed & hos ipſos in inteſtinis, in majori ac aliâs quantitate ſtabulari judicarem, Rhabarb. nobil. drachmam dimidiam ſumere eundem juſſi, quod cum bis terve adhuc alvum ſubduxiſſet, tam bene Dei gratia inde ſe habuit, ut & ex facie patuerit, hincque eo magis poſtmodum profuit ipſi, cum ſub noctem

ctem Theriacam etiam ſumſiſſet; ab eo enim tempore optime ſe habuit, cum præſertim non tam albam quam fuſcam cerevisiam, quam nempe præ illa ſibi conferre notaverat, in poſterum bibiſſet: Non ita difficulter nempe curantur mala, quæ â diætæ mutatione originem trahunt, ſi præcipuè in principio ſtatim debito modo iisdem obviam eatur, & mutatio quantum per locum, tempus & alias conditiones conceditur, in melius fiat.

CCCLXI.

Frigus inconſuetum puerulum proſternens.

REverendi cujusdam Viri filiolus, duorum, & quod excurrit annorum, cum plura alia mala â dentitione derivanda perpeſſus fuiſſet, tandem ſubito corpore tantum frigere cœpit, ut & tangenti horrorem quendam injecerit, tum â frigore, quod in mortuis obſervatur, parum admodum diſtulerit; cui cum color fere lividus extremarum partium acceſſiſſet, puerulusque difficilius reſpirare quoque inciperet, jam peſſima quæque metuere cœperunt Parentes, & meum etiam conſilium expetierunt, nec ego, frigus tantum quantum deſcripſi, comitatum reliquis malis, ſimul tamen ægrotum cetera ſic ſat alacrem inveniens, certi quid determinare auſus fui, inprimis tamen (pulſu debili idem magis confirmante,) â ſanguinis motu tardiore hæc mala originem ſuam trahere, nullus dubitans, Salis volatilis oleoſi uſum commendavi, hocque Dei gratia brevi tantum profuit, ut primo quidem liberius reſpirarit, hinc lividus diſparuerit color, frigusque per biduum quidem adhuc inſtans poſtmodum tamen itidem diſſipatum fuerit, adeoque puerulus Dei gratia convaluerit: neſcimus nempe, an cauſa ſanguinis motum intercipiens ſic ſit conſtituta, ut ſemper magis intercipiatur, ſicque quævis remedia fruſtra adhibeantur, an vero removeri vel & corrigi poſſit, unde ſpes convaleſentiæ nova exſurgit; hincque nemo medico vitio vertere poteſt, ſi vel maxime in principio certi quid de ejuscemodi malis judicare non audeat; Summe interea in illis prodeſſe & præ aliis medicamentis ſanguini motum ſuum reſtituere Sal Volatile oleoſum, hæc obſervatio confirmat.

CCCLXII.

Unguentum mercuriale purgans.

ACceſſit me ante aliquod hebdomadas ſtudioſus quidam ſcabie laborans, non ſolum pruritu, ſed & ardore furunculos hinc inde ſubortos comitante tam moleſto, ut ſubinde per totam noctem ſomnum capere vix potuerit; huic ergo, cum prius purgans conveniens ſumſiſſet, juxta uſum Eſſ. Purif. Claud. balneum Hordeo & Liquiritia alteratum commendavi, quibus remediis diligenter admodum uſus fuit, at tantum non omnino fruſtra, cum enim balneum

neum poſt tres demum hebdomadas abſolviſſet, ſcabies non minus quam olim moleſta extitit; unde nunc unguentum, cujus præcipuum ingrediens mercurius dulcis conſtituebat, eidem præſcripſi, quo cum partes quasdam perunxiſſet, alvi fluxus inde ſubortus fuit tam frequens, ut & hujus ergo conſilio meo opus habuerit; quem tamen non tam ſtatim ſiſtendum, quam medicamentis quibusdam, ne nimium augeatur, impediendum eſſe, judicavi, quod & paucis medicamentis obtinui; licet vero de magno quoque partium inunctarum ardore conqueſtus fuerit, brevi tamen omnis ſcabies ſic evanuit, ut jam nitidiorem quam prius cutim habuerit, unguentoque nunc ſepoſito, alvi etiam fluxus penitus ceſſarit: Serum nempe mercurius inunctus interdum quoque per glandulas inteſtinorum exturbat, quod olim jam in quadam, cui loco ſalivationis letalem induxit diarrhœam notavi, at ſicuti ſic particulas peccantes ſimul evacuat, ita, niſi ſit nimius talis fluxus, ſiſtendus non eſt, cum præſertim præmiſſis aliis medicamentis certius ac citius, quin tutius â medico genuino Scabies curari non poſſit, quam magno hoc multorum morborum domitore in ſubſidium vocato.

CCCLXIII.

Ira & mœror febrem producentes.

IDem hic Juvenis, cum bimeſtri fere poſt curam hanc abſolutam elapſo, ſtudiis quidem ſic ſat diligenter vacaſſet, nihilominus vero Præceptori ſatisfacere non potuiſſet, iratus primo hinc vero & mœſtus per primum biduum vix tantum cibi ſumſit, quantum aliâs vel pro dimidia cœna ipſi ſuffeciſſet, hinc tam ſomnolentus evaſit, ut & in prandio â ſomno ſe continere vix potuerit; quod notans Pater ut in lectum ſe conferret, juſſit, & quidem in tempore, cum enim vix per dimidiam horam in eodem decubuiſſet, calor p. n. tam vehemens ſupervenit, ut non ſolum pulſu celerrimo ſed & tangenti ſe prodiderit; unde brevi poſt me vocavit, & ego Potiunculam ex pulv. Pannon r. & ⊖ Vol. Ol. S. præſertim conſtantem præſcripſi, qua vix bis ſumta calor ſic remiſit, ut jam periculum abeſſe nullus dubitaverim, iterare tamen Potiunculam juſſi, quod tanto cum fructu factum fuit, ut tertio die iterum de lecto ſurrexerit, & cum appetitus adhuc proſtratus poſt ſumtum Rhabarbarum rediiſſet, Dei gratia penitus convaluerit: quæ quidem dum animi affectuum in nos vires confirmant, ut olim jam productis ſubjungerentur, digna judicavi.

CCCLXIV.

CCCLXIV.

Naſi ulcus fonticulo cedens.

VIr quidam nobilis diu catarrhis & inprimis obſtructioni narium ſubjectus, cum varia remedia fruſtra in uſum duxiſſet, tandem tumorem in dicta parte notat, quem primo minus moleſtum minus curat, at, cum non ſolum indies incrementum ſumeret, verum jam dolorem quoque inferret, de remediis ſolicitus eſſe cœpit, & primo quidem varia quæ domeſtica vocant, at fruſtra omnino applicavit, unde tandem chirurgum vocavit, qui diſcutientibus & reſolventibus parum aut nil proficiens, tandem pus ſubeſſe notans maturantia in uſum duxit, unde brevi apertus abſceſſus ſubtus latens non adeo parvam puris quantitatem fudit, conſolidari tamen tam facile ac quidem apertum fuerat ulcus non potuit, quin tumor latius ſe expandens novam exulcerationem minitabatur, unde tandem æger in fonticulum, cujus vel mentionem fieri diu ægre tulerat, conſenſit, qui in brachio ſiniſtro excitatus fuit; ex hoc vero cum vix per biduum pus profluxiſſit, narium ulcus exaruit, & nunc facillime conſolidari potuit; tantum nempe juvat, ſi emunctoria conſueta muneri ſuo non ſufficiunt, quando juxta ea alia quoque & quidem artificialia excitantur, quod uti alibi jam pluribus demonſtravi, ita ut ſemper magis magisque erroris convincantur acerbi nonnulli fonticulorum hoſtes, quotquot occurrent huc ſpectantes hiſtoriæ, â me & in poſterum producentur.

CCCLXV.

Semper-vivi ſuccus impetiginem humidam exſiccans.

CUm annum quintum & ſextum decur. tertiæ Ephemeridum Naturæ Curioſorum nuper perluſtro, elegantiſſimarum ab Apino communicatarum obſervationum illa,qua ſempervivum majus in pulverem redactum inſperſum in excoriationibus à ſero acriori profectis multum admodum profuiſſe refert,ſequentia mihi in memoriam revocavit:Mercatoris cujusdam Uxor ob ſanguinis in non ita exigua quantitate per venas hæmorrhoidales deperditionem, hujus quoque qualitates ſic immutatas notavit, ut non ſolum pallido colore tota cutis obducta fuerit, verum & impetigo hinc inde ſucceſſerit, quam, quia multum ſeri acrioris per partes eadem defœdatas profluxit, commode humidam nominabis; hæc cum aliquando manum dextram ſic occupaſſet, ut non ſolum intumuerit, ſed & multum doluerit, eam commovit, ut chirurgum propterea vocarit, qui cum emplaſtra varia fruſtra applicaviſſet, malumque inde non tam imminutum quam auctum vidiſſet, tandem ſuaſit, ut parti affectæ ſempervivum contuſum imponeret, ubi, cum tam ſedulo ipſi paruiſſet, ut non ſolum folia ſic contuſa, ſed & ſuccum inde emanantem medianti-

bus linteaminibus impoſuerit, primo brevi temporis ſpatio quævis ſic impoſita exſiccata fuêre, adeo ut per integrum diem non niſi iterationi hujus impoſitionis vacaverit, at ſimul tumor ſic ſubſedit, doloresque & ſeri profluxus remiſere, ut remedium maximis extulerit laudibus, licet, cum poſtmodum ſucceſſerint mala, quæ ceſſanti huic ſeri fluxui merito adſcribi potuêre, is omnino revocandus fuerit; patet interim ex dictis, quam merito ſempervivum, ubi ejuſcemodi fluxus curare licet, commendetur.

CCCLXVI.

Salivatio mercurialis menſes movens.

VIrgo quædam viginti annorum, cum menſes vix bis rite fluentes habuiſſet, eo ipſo tempore, quo hoc tributum ſolvit, aliquando non ſolum braſſicam muriatam ſed & carnem ſuillam comedit, uti vero tum ſtatim hic fons obſtructus fuit, ita ab illo tempore reſerari nullo modo potuit; ſymptomataque faciem inprimis deformantia poſt ſe traxit, dum nempe ſingulis fere menſibus nares & labia tantum intumuêre, ut nemo illam de facie noverit, vel hac de cauſa vero magis ſolicita fuit, ut hoc malum ſanaretur, cum inprimis & glandulæ juxta aurem dextram ſic intumeſcerent, ut viſui expoſitæ faciem itidem non parum defœdarint; cum vero martiata, aloetica, ſuccinata quin & volatilia olim plane fruſtra in uſum duxiſſet, de mercurialibus cogitare cœpi, quæ me ſuadente lubens ſumſit; vix vero ter mercurii dulcis ſcrupulum unum deglutierat, & ecce! Salivatio tam frequens ſucceſſit, ut interdiu noctuque expuendo occupata fuerit, eroſæ quoque gingivæ, lingua & partes vicinæ tantum dolorem intulerunt, ut non niſi coacta juſcula deglutierit, aliquoties etiam ſanguinem rejecerit, in tam parca tamen quantitate, ut ei obicem ponere non fuerit opus; nec vero requirebatur, ut Saliva magis promoveretur, cum fluxus illius per tres fere hebdomadas inſtiterit, ſub non ita parvis moleſtiis vel hac de cauſa tamen magis gratus, quia menſes ſic, uti expetierat movit; utut vero de pedum dolore ſub hac cura non parum affligente multum conqueſta fuerit, non tamen tantum hic metum injecit, quantum tumor eorum ſub finem fere curæ tantus ſuperveniens, ut calceos induere non potuerit, at & hic ſuffumigio ex Thure & Maſtiche parato facile ceſſit, indeque Dei gratia ſic convaluit, ut cetera quævis nunc optime ſe habeat, licet tumor glandularum, uti quidem ſperaveramus, non fuerit diſſipatus: Diſces interea ex modo allatis, ſalivationem mercurialem in movendis menſibus fruſtra non adhiberi, non facile tamen, niſi quibusvis aliis fruſtra tentatis eam ſuadebis, malis, quæ eam comitantur, tantum faſtidii afferentibus, ut hæc cura, non niſi ſumma ſic jubente neceſſitate, ſit ſuadenda.

CCCLXVII.

Medici ad temperamentum ſuum curantes.

INter lectu digna varia quæ Georgius Baglivus de Praxi medica commentatur, non infimum tenere locum mihi videtur, quod ſcribit, nonnullos medicos medicamenta præſcribere ſecundum temperamentum, quo ipſi gaudeant, pituitoſos nemper humida magis & Potiones longiores, Bilioſos vero Eſſentias, Tincturas, & alia quæ chemicorum nomine veniunt; ſicuti enim hæc ipſa aſſertio vel novitate ſua ſe commendat, ejuscemodi quid enim me nunquam legiſſe memini, ita, quin interdum revera ſic ſe habeat, nullum quidem eſt dubium, at in illis medicis, qui non tam artem rite exercent, quam propio ingenio fidentes magis hoc ſequuntur, quam quæ aliorum experientia ſuggeſſit, aut & propria ſuggerere potuiſſet, de quibus ipſis & Baglivus vult intelligi: ſi vero unus alterve medicus juxta hæc ſerio ſe excuſſerit, & inveniens, nimium genio ſuo ſe indulgere, errorem corrborn correxerit, fruſtra hæc non fuiſſe repetita, fatebitur.

CCCLXVIII.

Cereviſia cuidam ſemper alvum nimium movens.

ILluſtriſſimus quidam Baro, cum nuper de pectoris dolore gravativo coram me conqueſtus fuiſſet, egoque ſanguine abundante Venæſectionem ſuaſiſſem, & cum oris amaritiem itidem ſubinde moleſtam eſſe, retuliſſet, leniore quoque purgante opus habere, indicaſſem, interrogavit, an non ſufficiat, quod haud ita pridem, cum non aſſuetus cereviſiam bibiſſet, tam frequens alvi fluxus ſucceſſerit, ut intra viginti horarum ſpatium pluries quam centies eandem depoſuerit, vix enim purgans dari, quod tuto tot ſedes ſit moturum, ego quidem ſciſcitando perrexi, num & alias ſimilem edat effectum cereviſia? & is reſpondit, quod omnino cereviſia præſertim turbida pota licet non toties, ſemper tamen plùries ac aliâs ſecedat, vel hac de cauſa vero non niſi rariuſcule eandem bibat, vino ſibi longe melius conferente; uti vero ego hanc diarrhœam non ſufficere, ut purgans propterea ſeponi poſſit, ſtatui, quoniam jam ante menſem ſucceſſerit, & de reſtitante adhuc ſuperflua bile amarities oris teſtetur, ita exinde tamen haud abs re hariolatus fui, ipſum facile mobilem eſſe & hinc non tam fortius quoddam purgans, quam Rhabarbarum aut Pilul. FF. ipſi commendavi, cum præſertim hæc ipſa medicamenta ſibi ſæpiuſcule alvum movere teſtatus fuiſſet: Utut vero novum non ſit, quod cereviſia inprimis novella alvum ſæpius moveat, raro tamen contingit, quod quamvis cereviſiam potam hoc malum ſubſequitur, nec facile judicio ſuo falle-

 tur,

tur, qui ejuſcemodi ſubjectis fortiora purgantia non eſſe exhibenda, exinde colliget.

CCCLXIX.

Phthiſis cum hydrope inſanabilis.

INterrogavit hic ipſe Illuſtriſſimus Baro ulterius, quid mihi de Sorore ſua videretur, quæ toto corpore prius conſumta jam pedibus intumeſcat, an tumore quotidie incrementum ſumente & altius ſerpente ulla ſuperſit convaleſcentiæ ſpes? cum duo medici propterea vocati inter ſe vix conveniant, ſecundusque præſertim, ſi citius vocatus fuiſſet, ſe non dubitare, quin malum curare potuiſſet, afferat, unde Adfinis ſuus non parum afficiatur; ubi ego, uti hunc minime laudabilem medicorum diſſenſum vix laudavi, ita cum poſtea indicaſſet quoque, quod vel inter hos diſſentientes de Pulmonibus læſis & exulceratis nullum plane ſit dubium, morbum hunc inſanabilium catalogo inſerere nullus dubitavi; quis enim phthiſin, quæ jam totius corporis conſumtionem comitem habet, & hydropem inſuper novum comitem nanciſcitur, remediis hactenus notis curabit? Thraſonisque hic potius eſt, inflare talium ægrotorum ſpem, quam genuini medici, qui non tam curam certam pollicebitur, quam ut ſymptomata mitiget, erit occupatus.

CCCLXX.

Venæſectionem abhorrens Juvenis.

JUvenis quidam mercator, cum diu dolore venarum hæmorrhoidalium laboraſſet, huncque dolorem non tam ab alio quodam ſanguinis vitio, quam nimia ejusdem abundantia originem trahere crederet, cum hujus rei alia quoque adeſſent indicia, quin Venæſectionem haud fruſtra in uſum ſit ducturus, nullus dubitavi, unde & cum præterito Vere hac de cauſa me conſuluiſſet, hanc eidem ſuaſi & commendavi, at in principio non parum refragantem eundem habui, interſerentem nempe, quod non ita parvum ab hoc remedii genere alat in pectore metum, licetque aliis vel magis horrendis operationibus Chirurgicis intrepidus adſtet, ſi tamen forte fortuna quem acceſſerit hactenus, cui vena tum ſecta fuerit, ſtatim animi deliquium imminuiſſe, hocque malum ſe matri debere, nullum eſſe dubium, hanc enim non ſolum ſimilem prorſus metum ſemper olim foviſſe, ſed & cum ipſum in utero geſſerit, Venæſectione inſtituta adeo eidem indulſiſſe, ut & brachium retraxerit, ſicque ferme à Chirurgo læſa fuiſſet; quoniam vero, utut hæc objecerit, nihilominus fateri opus habuit, ſanguinem abundare, alia remedia parum hactenus contuleſre, & una mecum alii Venæſectionem ſumme eidem commendaverant, tandem in eandem conſenſit, ut autem in lecto decumbens illam inſtitueret, ut ſic

animi

animi deliquium averterteret, (cum hoc & aliis feliciter ceſſiſſe noverim,) ſuaſi, & cum exoptato ſucceſſu eum dictis meis paruiſſe inde colligo, quia aliæ querelæ interea ad me non fuere delatæ: quod vero matris gravidæ â quadam re abhorreſcentia ſimilem caracterem & fœtui imprimat, ſicut ex pluribus hiſtoriis patet; ita hæc ipſa confirmat.

CCCLXXI.

Infantis cujusdam infelix fatum.

MUlier quædam primipara cum filiolam ſic ſat ſanam enixa fuiſſet, hæc etiam tam diu egregio hoc beneficio fruita fuit, quamdiu curam ejusdem geſſit mulier ad hoc conſtituta, quin indies incrementum ſumſit, & tam bene ſe habuit, ut tandem, trimeſtri fere exacto hanc dimiſerit, & jam curam in ſe ſuſceperit mater; at peſſime & infeliciter, cum enim ſequentis diei veſpera forte fortuna prætereuntem modo memoratam curatricem rogaſſet, ut faſciis involueret filiolam, & pultem ei exhiberet, hæc quidem petito ejusdem ſatisfecit, & ſanam in lecto repoſitam reliquit puellam, at & mater in lectum ſe contulit, tamque ſecure in utrumque aurem dormiit, ut, licet vel maxime opera ſua opus habuiſſet innoxius infans, hanc tamen adeo eidem non præſtiterit, ut ſequenti mane mortuum in lecto invenerit, excrementis tam alvi quam veſicæ ferme innatantem: quam parum hæc matris mereatur nomen, nemo dubitabit, quantum vero requiratur, ut ſedula in tam tenella ætate conſtitutorum geratur cura, ſi vel unum hæc excitaverint, haud fruſtra erunt ſcripta.

CCCLXXII.

Diarrhœam curatam excipiens difficilis reſpiratio.

VIdua quædam ſexagenaria, variis ærumnis torta, & hinc jam mœrori indulgens, jam ira efferveſcens, inde ante bimeſtre & quod excurrit incidit in alvi fluxum tam frequentem, ut interdiu noctuque ſæpius ſecedere opus habuerit, quem tamen adeo non curavit, ut per aliquot dies nec minimum de eodem ſolicita fuerit, cumque tandem viribus inſidiari cœpiſſet, domeſtica quidem quædam remedia adhibuit, ova nempe ad duritiem cocta, nucem moſcatam, & quæ ſunt ſimilia; at tantum abeſt, ut fluxus iisdem vel minimum ceſſiſſet, ut potius ſemper auctus fuerit, unde tandem octavo fere die ipſam in lectum proſtravit, tantumque debilitavit, ut vix toties, quoties quidem alvus urſit, ſurgere de eodem potuerit; & tum demum fores meas pulſavit, utque ſuggeram conſilium, rogavit, ubi noſcens, quod non ſemper ſervet diætam talem, unde excrementitii humores non colligerentur, utut tam diu jam inſtiterit malum, nihilominus Rhabarbarum toſtum eidem in

principio exhibui, quod cum aliquot adhuc ſedes moviſſet, Eſſentiam Catechu anodynæ viribus auctam poſt ſingula bihoria ſumere eandem juſſi, ſimulque de potu conveniente eidem proſpexi; vix vero bis terve modo dictam Eſſentiam in uſum duxerat, & ecce! fluxus ſic ſubſtitit, ut jam omne malum devictum eſſe tota crediderit; at ſubſequens difficilior reſpiratio eam tantum perterruit, ut jam de hac magis quam de priore malo ſolicita fuerit, indeque denuo me vocaverit; at cum ego pulſum non ita malæ notæ deprehendiſſem, nec cetera metum injicere poſſent, â virium præſertim defectu hoc novum ſymptoma derivavi, & hinc quæ hiſce reſtituendis dicata ſunt tum medicamenta, tum inprimis alimenta commendavi; quæ brevi Dei gratia tantum profuere, ut jam facilius quoque reſpirarit, & hinc integre convaluerit; quo magis nempe ſecundum methodum aggreſſus fueris curam ejuscemodi fluxus, eo minus habebis, quod â ſupervenientibus malis tibi metuas, quæ illa non ſervata identidem periculo non vacant.

CCCLXXIII.

Pediculi conceptionis ſignum.

EXcellentiſſima quædam fœmina, uti formæ maximam gerens curam, ita & munditiei ſtudioſiſſima, quater vel quinquies jam gravida facta, ſemper notavit, quod ſub illud ipſum tempus pediculi in capite pruritum excitarunt, â quibus aliâs plane immunis vixit; ut adeo ex horum præſentia tam certa graviditatis fuerit, ac quidem aliæ ex pluribus aliis eſſe poſſunt; & quamprimum ancilla quæ caput exornavit, tale animalculum in eodem invenit, de eodem ulterius non dubitavit, utut â conceptione vix tres quatuorve hebdomadæ præterfluxerint: id quod & in quadam propinqua cognatione mihi conjuncta me olim obſervaſſe memini, cujus hiſtoriam an communicaverim, nunc non recordor, ſimilem vero, ſi vel maxime factum fuerit, eidem hic me ſubjunxiſſe, non prorſus abs re erit; ſi præſerrim, ut in cauſas indaget, unus alterve inde excitabitur.

CCCLXXIV.

Aſthma in Gibboſa letale.

AUrifabri cujusdam celebris nominis Uxor, quadragenaria major, gibboſa ante bimeſtre fere urinam ad me mittit, utque tum ex illa, quibus divexetur malis, judicium feram, tum medicamenta hiſce opponenda ſuggeram, rogat; fuit autem urina, quam miſerat, aquea & cruda, unde facile de coctionis in primis ſtatim viis vitio & hanc plerumque comitantibus malis gravitate Ventriculi & difficiliori reſpiratione ariolari potui, cumque de his ipſis malis eam conqueri, ea quæ me acceſſerat, reſpondiſſet, difficilemque inprimis reſpi-

rationem

rationem eſſe, quæ ipſam divexet, indicaſſet, Thoracico Stomachicam Mixturam eidem præſcripſi, & poſtmodum rogatus eam etiam acceſſi; ubi ſicuti gibbus, mali diuturnitas ipſam priſtinæ ſanitati omnino reſtituendi ſpem mihi præcidere, ita nihilominus tamen penitus eam non eſſe derelinquendam judicavi, & quia Pituitam in primis viis abundare, per quædam ſigna conſtabat, hanc leniori medicina primo ſubduxi, hinc vero Electuarii martiati uſum ipſi commendavi, quæ Dei gratia ſic profuêre, ut brevi poſt miſſo ſoſtro pro conſiliis ſalubribus ſuggeſtis gratias egerit; Verum enim vero non ita diu gaviſa fuit gaudio ex recuperata valetudine ſuborto, cum enim vix tres hebdomadæ elapſæ fuiſſent, rediit difficilis reſpiratio, & quidem tanta, ut nunc aſthmatis meruerit nomen, cumque in principio illud tantum non plane neglexiſſet, & quarto vel quinto demum die conſilium meum expetiiſſet, licet primo præſcripta medicamenta iterum levamen quoddam attulerint, nunc tamen malo tollendo adeo non ſuffecere, ut ab illo poſt paucos dies jugulata fuerit: Aliquoties nempe hactenus notavi, quod gibbo laborantes quo ſæpius pectoris affectibus corripiuntu, eo graviores eosdem experiantur, ſine dubio oſſibus ſemper magis à ſede ſua recedentibus, & hinc partes has in munere ſuo impedientibus, quod interdum & oculis patet.

CCCLXXV.

Vomitus non niſi Ol. Macis deſtillato cedens.

MErcatoris cujusdam filiola unica, duorum annorum puella, ſubito vomitu corripitur, quo quævis ingeſta rejicit, & hinc non parum debilitatur, cum præſertim nec laxans adhibitum nec huic ſubjuncta mixtura ſtomachico-adſtringens nec minimum quidem profuiſſent, vomitusque etiam poſt uſum Eſſent. Catech. & Balſam, Stomach. exterius illitum inſtitiſſent; unde eo magis, ut aliud ſuggeram remedium urſerunt Parentes; commode vero tum in mentem mihi venit Ol. Macis deſtillatum, quod, cum ſic ſat tuto exhiberi poſſe, nullo prorſus calore p. n. præſente, pituitaque non parum abundante, judicarem, præſcripſi, & guttam unicam ejusdem bis terve de die cum Juſculo eidem exhibere juſſi; En vero! vix toties juſſis meis paruerant, cum vomitus omnis deſiit, & puella piſtinæ ſanitati Dei gratia reſtituta fuit; modo nempe reliqua indicantia permittant, in vomitibus etiam contumacioribus raro hoc oleum fruſtra commendabis.

CCCLXXVI.

Oris diſtortio poſt dentium dolorem.

VIrgo quædam nobiliſſima cum primo dolore dentium laboraſſet, hincque ſiniſtram genarum partem intumuiſſet, primo quidem aliquandiu hoc malum

malum minus curavit, nec niſi domeſtica quædam remedia propterea in uſum vocavit, at cum dolores hinc remiſiſſent, tumor item ſic diſparuiſſet, ut ejusdem nec minimum quidem ſuperfuerit indicium, ſupereſſet tamen oris tanta diſtortio, ut inde facies non parum deformata fuerit, ne gravius quoddam malum ſubſit, metuens, formæque ſimul inprimis ſtudioſa; me propterea conſuluit; ubi cum in quævis ſedulo indagaſſem, ab extravaſato ſero nondum penitus diſcuſſo malum hoc derivari judicans, huic diſcutiendo dicata medicamenta tum interna tum externa præſcripſi, utut vero poſt pulverem diaphoreticum hunc in finem ordinatum bis terve Sudori vacaverit, ſacculos quoque herbis cephal. repletos, & in vino coctos parti affectæ impoſuerit, os tamen ut prius diſtortum manſit, unde iterum, ut aliis quoque conſiliis adeſſem rogavit, ego vero nunc ⊖ Volat. Oleoſ. Sylv. interne, & Spiritum quendam exterius illinendum commendavi, quibus malum aliquantum ceſſit, & cum neſcio cujus ſuaſu Ol. Lini calidum cervici (cui prius & ſacculos impoſuerat,) applicaviſſet, tandem Dei gratia penitus diſſipatum ipſaque ſic ab omni metu liberata fuit, quem â paralyſi non ita exiguum in pectore aluerat: non itaque ſemper parvi habendum eſſe dentium dolorem, ex dictis denuo patet, licetque tumor ſubſequens fere ſemper doloris mitigati ſit indicium, nec hic tamen nihili habendus eſt, niſi enim in tempore diſcutiatur, aut diſcuti poſtmodum omnino non poteſt, aut & alia poſt ſe trahit mala, quale quidem modo deſcriptum fuit.

CCCLXXVII.

Vertigo ex Ventriculo.

DUm curæ huic adhuc vaco, Soror hujus Virginis natu minor conqueritur, quod ſubinde vertigine corripiatur, vel inde non parum moleſta, quia ſæpius metuat, ne ab illa in terram proſternatur, ut ergo remedium quoddam conveniens ſuggeram, mater ejusdam rogat; quæ ſimul metum quem ab Epilepſia in pectore foveat, detexit; vel hac de cauſa vero in ſingulas circumſtantias magis ſedulo inquiſivi, cumque retuliſſent, mane præſertim & ventriculo adhuc jejuno hanc vertiginem ipſi eſſe moleſtam, & ſumto cibo ſtatim ceſſare, quin averti poſſe, cœna inſuper parciori ipſam uti ſubjeciſſent; ex ventriculo originem ſuam trahere hanc vertiginem judicavi, hincque non tam alia remedia, quam quæ ipſæ hactenus experta reperiſſent, commendavi, cibum nempè in tempore ſumtum, quod ſicut arriſit ipſis, ita plures adhuc hoc modo curatos fuiſſe, vel ex notiſſimo Galeni exemplo conſtat.

CCCXXVIII.

CCCLXXVIII.

Gemellorum alter feliciter extractus, alter partu editus.

MUlier quædam tertio ſupra decimum fœtu gravida vel ex abdomine longe plus ac aliâs extenſo judicare potuit, quod intus non quidem monſtri quid alat, at plus gerat, quam quidem alio tempore geſſit, & hinc ſine dubio de partu difficiliore ſolicita fuit, nec fruſtra; tempore enim ejusdem appropinquante, utut dolores urſerint, hi tamen non tam eam corporis partem, quam alias communiter ſolent, quam brachiolum promoverunt, & utero extruſerunt, unde eo major difficillimi partus metus vel ideo injectus fuit, quia abdomen tantum propendebat, ut ſemper aliquot mulieribus opus fuerit, quæ illud quodammodo ſuſtulerunt, ut nempe eo commodius manus adhibere potuerit obſtetrix; utut vero hæc quantum in ſe fuit, præſtiterit, cum præſertim manum ſuam contrahendo de vita reſtitante teſtaretur fœtus, nil quicquam tamen profecit, & ipſe fœtus ſub tam diu continuatis fruſtraneis nixibus tandem vita ſua privatus fuit; quod cum certo conſtitiſſet, nec quicquam juvare ulterius poſſet obſtetrix, de extractione cogitare cœperunt, & quidem conſentiente quin ſuadente præſente medico experientiſſimo; Chirurgus hinc vocatur, & is reſciſſo primum brachiolo poſtmodum uncos tam feliciter reſtitanti corpuſculo infixit, ut mediantibus illis brevi temporis ſpatio reſiduum feliciter extraxerit; quoniam tamen non ſuccedens ſecundina, abdomen adhuc debito magis extenſum, & motus ejusdem quod in illo reſtitabat, obſtetricem de reſtitante adhuc fœtu minime dubitare ſivit, ea parturientem blande monuit, ut feliciter peracto per manus chirurgi modo memorato labore iterum ad partus labores ſe accingat, nunc enim fruſtra eosdem illam non ſecundaturam, multam ſpem ſupereſſe; nec defuit muneri ſuo parturiens, ſed quod juſſa fuit, pro viribus præſtitit, unde brevi pedes comparuere, at medio fere hoc fœtu excluſo, & hic difficilius promovebatur, ſed certa de vita ejusdem obſtetrix, eundem in utero invertit, ita, ut cum prius faciem matris faciei obvertiſſet, jam verſus terram ſpectarit, quod adeo profuit, ut brevi poſt felix ejusdem ſucceſſerit partus, quin is etiamnum ſupervivat; nec puerpera rejecta primum ſecundina, quæ ad hunc fætum vivum pertinebat, & hinc etiam altera, male ſe habeat; optandum vero omnino eſſet, ut & aliæ in ejuscemodi caſibus facilius & citius extractionem fœtus mortui admitterent, ſic enim & ipſæ & ſubinde quoque, uti in hoc caſu contigit, fœtus adhuc reſtitans ſervari certius poſſent, niſi enim hanc ſic juviſſet docta chirurgi manus, & ipſa in mortis prædam ſine dubio ceſſiſſet, & forſan de fœtu nec cogitatio quorundam mentem ſubiiſſet, qui hoc modo tam feliciter ſervatus fuit.

CCCLXXIX.

Martiata in principio ferre non potens.

MAtrona quædam triginta annis major, ex multa ſanguinis per venas hæmorrhoidales deperditione, paulatim non ſolum pallidum & jamjam flaveſcentem totius colorem contraxit, verum & ex aliis ſignis colligere potuit, quod, niſi ſedulo medicamentis impediatur, proxime hydrops inſtet, hincque eo magis anxie â me petiit, ut ea, quæ hic ex re futura crederem, præſcribam, cumque ego huic petito non defuerim, ex iis, quæ in reliquis meis ſcriptis dudum legiſti, facile ariolari poteris, qualia medicamenta eidem commendaverim, ea nempe, quæ una mecum in ejuscemodi malis tantum non omnes prudentiores medici laudibus extollunt, & aliis præferunt, quæ communiſſimum illud minerale mars, nobis ſuggerit; cujus crocum adſtringentis nomine inſignitum nunc elegi, & ut hujus grana fere quindecim quotidie ſumat, ſuaſi; ſumſit ergo hunc pulverem, & quidem aliis plane innoxiis maritatum, at poſt eum ſumtum tam male ſe habuit, ut & deliquia animi inſtiterint, unde an continuandus nihilominus ſit? dubia, me denuo propterea conſuluit, at ego hæc deliquia non tam â marte quam prætergreſſis malis derivans, omnino continuare eundem juſſi, & quidem feliciter; ſicut enim ab illo tempore nil quicquam mali hoc medicamento ſumto percepit, ita & indies magis, quantum ſibi proſit, notat, & hinc jam ſponte ſedulo continuat: Si ſcilicet morbos quosdam feliciter curare volueris, niſi parum cures, ſi vel maxime medicamenta in principio minus bene ferant, tam facile ſcopum tuum vix aſſequeris.

CCCLXXX.

Sanguinis ſputum equitatione reſuſcitatum.

MErcator quidam triginta & quod excurrit annorum, cum ante biennium fere ſanguinis ſputo aliquamdiu laboraſſet, medicamentorum uſui Deo clementer benedicente, ſic priſtinæ ſanitati reſtituus fuit, ut ab illo tempore ſanus atque vegetus extiterit, unde & ante bimeſtre equum aſcendit, iterque mercaturæ gratia aggreſſus fuit; ſeu vero jam equum ſuccuſſorium nactus fuerit, ſeu nimium properarit, ſeu alio modo motus hic obfuerit, cum vix per tres horas equo inſediſſet, denuo ſanguinem rejicere ſputo cœpit, & hinc non ſine metu reliquum iter continuavit, domumque rediens ſtatim meum conſilium iterum deſideravit; ubi ea quidem, quæ olim profuerant, & Juſcula præſertim herbis travmaticis recentibus alterata, nunc quoque Dei gratia non absque fructu in uſum duxit: Diſces vero exinde, quam parum

pro-

proſit, iis qui olim ſanguinem ſputo rejecerunt, nimius motus, niſi itaque, ut quantum in ſe eſt, illum fugiant, in tempore monueris, mali ſic reſuſcitati culpa non prorſus âbs re in te conjicietur.

CCCLXXXI.

Hæmoptoe in phthiſin degenerans.

MUlier quædam honeſta nondum quadragenaria, olim ſucci plena, & elegantis formæ, cum ante hos quatuor annos gravida Venæſectionem inſtituiſſet, parvo poſt illam peractam elapſo tempore, tuſſi, qua olim nunquam laboraverat, corripitur, titillationis ſenſum in faucibus tam moleſtum percipit, ut unde hic oriatur? quidque denotet? non parum ſolicita fuerit; in majorem adhuc ſolicitudinem conjecta, cum poſtmodum ex ſputo videre poſſet, ſanguinem fuiſſe, qui dicta mala excitaverit, dum nempe hunc in non adeo exigua quantitate rejecit, eumque pulcherrimum & floridum; quia vero ſponte iterum ceſſavit hæc ſanguinis rejectio, ſolicitudinem quoque paulatim depoſuit, & huic mali non contemnendi principio nec unicum quidem oppoſuit remedium, unde non ita diu poſt rediit; cumque nunc Sanguinem in præſentia Patris ſputo rejeciſſet, is noſcens, quantum ſubſit periculum, ut medicum propterea vocet, ſerio urſit, qui cum acceſſiſſet, haud ita male de Venæſectione iteranda monuit; at, quoniam ipſa meridie eam viſitaverat, hoc tempus minus aptum huic operationi inſtituendæ cum vulgo judicans, eam in craſtinum diſtulit, quo & inſtituta fuit; utut vero juxta hanc alia quoque remedia in uſum ducta fuerint, per aliquot tamen adhuc dies inſtitit malum, & hinc ægræ non parvum injecit metum, quem tamen, quantum fieri potuit, ſpe, poſt puerperium, acidulis, quas medicus ad acredinem ſanguinis corrigendam commendaverat, malum in totum ſublatum iri, pepulit, & hinc tempore illo inſtante aliquoties maritum rogavit, ut acidularum potum concederet, qui tandem licet non ita lubens petito ejusdem ſatisfecit; licet vero vix ter easdem ingeſſerit, tam male tamen inde ſe habuit, ut ſibi non prodeſſe hunc potum, vel ipſa notare potuerit; tuſſis enim â prima ſanguinis rejectione ſemper inſtans mirum quantum aucta fuit, nec in hunc usque diem vel minimum mitigari potuit, unde poſtmodum febris hectica acceſſit, quæ eam tantum conſumſit, ut, cum hiſce diebus meum quoque conſilium deſideraſſet, ego quævis modo memorata attentius perpendens, eam non potuerim non pro conſummata phthiſica habere, indeque non niſi minus exoptatum eventum marito denunciare, ipſa enim ſolatio erigenda fuit, non parum nempe â morte ſibi metuens: Ne tamen plane derelicta videretur, diarrhoeæ de qua per aliquot jam dies ab uſu Sir. de Rhabarb. inſtante conquerebatur, Eſſ. Catech. oppoſui, & poſt hanc inhibitam Pilul. ex Opobalſ. &

Specif. Antih. formatas in uſum ducere juſſi, quæ tamen huic malo curando non ſuffectura, ipſe credo: quam parum vero acidulæ hæmoptoe laborantibus proſint, vel hiſce lectis non dubitabis, quæ ſimul confirmant, raro hæmoptoem in phthiſin non terminari.

CCCLXXXII.

Hydrops â potu ex pyris ſiccis parato.

Vidua quædam paupercula, triginta octo annorum, cum in exilio vivens ſitibunda DonaWertham veniſſet, ibique potus, qui ex ſiccis pyris paratur, aliquot hauſtus avide ingeſſiſſet, inde ſtatim pejus ſe habuit, & inprimis obſtructione alvi nulli remedio cedente laborare cœpit; unde primo pedes hincque & abdomen ſic intumuere, ut, cum huc Auguſtam veniſſet, omnino pro hydropica habenda fuerit; commendata vero ipſi fuere non tam cauſæ morbi dicata & obſtructam alvum reſerantia quam diuretica medicamenta, quæ licet ſic ſat ſedulo adhibuerit, adeo tamen non profuere, ut malum indies incrementum ſumſerit; unde tandem egregius quidam pauperum amicus me rogavit, ut ipſam viſitarem, nec ego defui ejusdem petito, & ſicuti inferioribus corporis partibus valde tumidam ita ſuperioribus plane conſumtam mulierem inveni; quia tamen ætate haud ita multum provecta erat, viresque pro tanto morbo ſic ſat adhuc conſtabant, ipſam non penitus eſſe derelinquendam judicavi, & pulverem meum conſuetum ex marte & Jalappa conſtantem eidem præſcripſi, cum vero hunc ſic fruſtra in uſum duxiſſet, ut per aliquot dies inde alvum nec ſemel quidem apertam habuerit, jam peſſima quæque metuere cœpi, noſcens nempe, quod rariſſime hydrope laborantes evadant, ſi purgantibus alvus eorum non movetur, & hinc in hocce ſubjecto obſtructionis pertinaciam exinde dijudicans; præſcripſi tamen purgans vehementius, quod quidem aliquot non autem tot, quot in iis quos juvat, ſedes movit, & levamentum quoddam attulit; at quia continuato licet priori pulvere obſtructio nihilominus ſtatim iterum antiquum tenuit, indies pejus ſe habuit, & fruſtra iterato purgante tandem abdomine (uti adſtans fide digniſſimus amicus, qui me miſerat, retulit,) ſponte rupto ingentem quidem ſeri fœtentis admodum quantitatem per foramen profudit, ſimul tamen haud ita diu poſt vita privata fuit: adſtringere vero pyra ſiccata & hinc potum ex iisdem coctum, in ſubjecto crudis humoribus repleto, iisdem hoc modo in corpore quaſi ligatis non potuiſſe non graviſſima producere mala, facile credes: non vero ſemper tam diureticis quam purgantibus aggrediendum eſſe hydropem, ſicut vel olim non jam una ſolum hiſtoria probavi, ita idem hac magis confirmatur, inprimisque in corporibus humoribus vitioſis quaſi repletis, niſi

niſi aliquoties præmiſeris purgantia, malum non tam curabis, quam identidem augebis.

CCCLXXXIII.

Salivatio primo magis quam ſecundo proficua.

FOemina quædam viginti quinque annorum, jam diu quibusdam malis vexata, quæ, ne olim veneno quodam venereo infecta fuerit ejusdem maſſa ſanguinea, ſuſpicionem non ita injuſtam injecerunt, utut qua genitalia nec minimum quidem paſſa fuerit; per dolores tamen oſſibus præſertim moleſtos & in his tumores excitantes, humorum acredinem naribus præſertim & hinc vicinis quoque partibus inſidiantem, hanc ipſam ſuſpicionem movens, unde & alia quam per ſalivationem mercurialem inſtituta cura illi nec minimum quidem profuit, at poſt hanc tam bene ſe per biennium & quod excurrit, habuit, ut dolores remiſerint, tumor ſubſederit, & quæcumque ulcuſcula conſolidata fuerint; at quoniam ab illo tempore ad diætam craſſiorem rediit, & poſtmodum malis recrudeſcentibus vix ac ne vix quidem obviam ivit, inde hæc denuo tantum invaluere, ut nova opus habuerit cura; quæ iterum per ſalivationem dictam inſtituta ſic ſat feliciter quidem ſucceſſit, dum per integras tres hebdomadas multum admodum ſalivæ ore rejecit, & quævis mala iterum non parũ mitigata ſenſit, at cum poſt hæc curam aliquoties ſudando prius quam omnino ceſſarunt, finiiſſet, illico magis ac prius ab iisdem malis proſtrata fuit, novisq; nunc indiget remediis: ſi nempe vel minimum veneni in corpore humano reſtitet, per aliquod quidem temporis ſpatium illud quaſi feriatur, & præſentiam ſuam vix prodit, paulatim vero ſic augetur & humores plerosq; inficit, ut non niſi difficillimè ejiciatur; quo diutius ergo, modo per cetera indicantia licuerit, curam mercurialem continuaveris, eo magis ægroto proderis.

CCCLXXXIV.

Medici præceps judicium.

SArtor quidam juvenis laſſitudine minus conſueta jam diu laborans, & in brachiis præſertim dolores motum illorum non parum retardantes perſentiens, cum faciem præſertim deformante tumore, medicum quendam in alio ſat celebri loco acceſſit, illumque, quid de malo ſuo judicaret? interrogavit; & is vix in plura multis inquirens ſtatim edixit, ipſum epate & pulmonibus laborare, & hinc non niſi difficillime ſanitati priſtinæ reſtitui poſſe; quod adeo perterruit juvenem, ut de ope humana deſperans vix ullum adhibuerit remedium, unde malum indies augmentum ſumſit; cumq; tandem huc Auguſtam delatus fuiſſet, amicis ſuadentibus me conſuluit, & ego in eo quoq; venenum venereum merito accuſari, per plurima indicia elicui, cui cum remedia convenientia op-

poſuiſſem, indies Dei gratia melius ſe habuit, nec ullum unquam hepatis aut pulmonum affectorum indicium comparuit; ſicuti vero ejusdem caſus olim forſan prolixius deſcribetur, ita quam parum famæ ſuæ conſulant medici judicium ſic præcipitantes, hæc obſervatio inprimis confirmat.

CCCLXXXV.

Aphthæ ſalis ammoniaci uſum ſubſequentes.

PUer quidam undecim annorum, cum diu febre quotidiana ſuos terminos ſic ſat exacte ſervante laboraſſet, eo ipſo me quoque impulit, ut varia huic febri dicata remedia eidem exhibuerim; cum enim præmiſſis præmittendis Cortic. Peruvian. ſic ſat diu absque ullo fructu ſumſiſſet, florum Chamom. vires tentavi, qui quidem in principio prodeſſe videbantur, at ſub diligenter continuato eorundem uſu febris brevi ad antiquum ſuum morem rediit, & puero æque ac olim moleſta extitit; unde jam ad Salina medicamenta deveni, & Sal ammonicum depuratum inprimis eidem exhibui, & hoc quidem in principio febrim ſic inhibuit, ut vix parvæ ejusdem reliquiæ reſtiterint, unde ſæpius illud iterare juſſi; ſupervenere vero oris aphthæ puero non ita parvum dolorem in dicta parte excitantes, quæ itidem variorum aliâs ſat laudatorum remediorum vires eludebant, donec febre, diligenter licet continuato Sale modo laudato, antiquum iterum obtinente, & hoc ſepoſitum fuit; ab illo enim tempore ut aphthis ullum remedium aliud opponeret, non habuit opus, ſponte enim evanuere, licet febris tam vehemens redierit, ut, ſi ab ea derivandæ fuiſſent, omnino evaneſcere non potuiſſent; Sali ammoniaco acredine ſua hinc inde cuticulam aggredienti & hinc tales puſtulas excitanti originem ſuam debuiſſe, ego quidem nullus dubito, quod nos in exhibendo remedio hoc cautos reddere debet.

CCCLXXXVI.

Malignitas medicorum quorundam ſimiola.

DUm Baglivum de praxi medica non absque delectatione quadam perlegi, inter alia non parum mihi placuere, quæ de malignitate ſæpe fruſtra nec absque noxa accuſata affert, hincque eam eleganter medicorum quorundam ſimiolam nominat; qui nempe, quamprimum in morbo aliquid occurrit, quod ipſi hactenus nondum notarunt, cujus ex per ſe ſat curta ingenii doctrinæque ſuppellectile, rationem reddere nullam poſſunt, ſtatim ad malignitatem recurrunt, & uti hanc ſubeſſe, egregiis verbis teſtari norunt, ita eidem dicata remedia identidem magis ſedulo, ac quidem requiritur & conducit, opponunt, unde morbus non raro valde exaſperatur: Non enim ea methodo qua morbi maligni & ſimpliciores depelluntur, licetque in principio ubi ſæpe, quorſ-

ſum ſint referendi vel expertiſſimos medicos aliquamdiu latet, tantum nocere non poſſit, ſi unum alterumve Alexipharmacum exhibetur, ſi tamen, omni malignitate abſente, hæc nihilominus continuentur, & medicamenta convenientia contra negligantur, non poterit non morbus indies augeri, & tandem malignus evadere, qui primo benignus extiterat, id quod ipſemet quoque aliquoties expertus ſcribo.

CCCLXXXVII.

Pedum tumor poſt partum inſtans.

MAtrona quædam triginta annorum, cum gravida pedum tumorem contraxiſſet, hac de cauſa me conſuluit, cum vero Dei gratia, cetera ſic ſat bene valeret, nec tumor hic aliunde derivari poſſe videretur, quam ab ipſa graviditate, cum & aliis gravidis, quæ præcipue jam ſæpiuſcule utero geſſerunt, ejuscemodi quid contingere ſoleat, non habere quod metuat, judicavi, præcipuumque auxilium in quiete, cito nempe in lectum ſe conferendo, & tarde de eodem ſurgendo, quærere eandem juſſi, ſubjiciens, plerumque poſt partum hunc tumorem ſponte diſparere, & vel hac de cauſa, ut multa eidem opponantur remedia, non eſſe opus; quibus quidem dictis fidem ſic adhibuit, ut ab illo tempore omnem ſolicitudinem depoſuerit; at cum poſtmodum Dei gratia feliciter filiolam enixa fuiſſet, puerperiique tempore transacto tumor nihilominus inſtaret, pedesque diſtenderet, novæ curæ ejusdem animum ſubierunt, hincque me denuo vocavit, & quid nunc factu ſit opus? ſerio interrogavit, & ego pulverem ex marte & Jalappa compoſitum ter ſumendum, juxtaque hunc ſuffumigium conveniens eidem præſcripſi, quæ remedia hactenus pluribus in ſimili caſu profuiſſe memini: Non eadem nempe facilitate ſerum, quod vaſculis ſuis ſemel elapſum eſt, in omnibus & ſingulis diſſipatur, aut iisdem denuo excipitur, unde in hac tumor diutius ac in aliis ſubſtitit, modo vero nulla ſubſit ſuſpicio viſceris cujusdam læſi, aut labis humorum inſignioris, non habes quod ab ejuscemodi tumoribus tibi metuas, aut & aliis metum injicias.

CCCLXXXVIII.

Vermis poſt conceptionem excretus.

CUm hiſce diebus aurifabri cujusdam filiolam viſitarem, & ex quibusvis ſignis diligenter collatis judicarem, ipſam vermibus laborare, adſtans prudens quædam Vidua narravit, ſe habere nurum, quæ cum primo concepiſſet, omnibus malis, quæ alias conceptionem comitari ſolent gravius laborarit, hincque fere, annon alius ſubſit morbus, dubiam extitiſſe; at, cum non ita diu poſt vermem longiorem excreverit, & mala quævis remiſerint,

ab

ab hoc potius quam ab illa ea originem ſuam traxiſſe, haud male collegit; Utut nempe conceptio in quibusdam ſic ſat moleſta producat mala eidemque ſoli ea adſcribenda eſſe, interdum ſic ſat pateat, unde & remedia fere quævis illis fruſtra opponuntur, ſi tamen ea graviora extiterint, non fruſtra de aliis quoque cauſis nos ſubinde cogitare, hæc obſervatio teſtis eſt, quin niſi de iisdem cogites, aliquoties forſan gravidis non ita feliciter adſtabis.

CCCLXXXIX.

Puerpera quinta hebdomade variis malis correpta.

PUerpera quædam cum per primum poſt partum menſem ſic ſat bene ſe habuiſſet, nec quicquam eidem contigiſſet, unde mali quid ariolari potuiſſes, hoc exacto tam copioſo ſanguinis ex utero fluxu correpta fuit, ut, cum fruſtra bis terve UniCorn. verum ſumſiſſet; animique deliquia jam imminerent, me propterea mater in conſilium vocaverit, nec fruſtra ego adſtringentia quædam medicamenta præſcripſi, fluxus enim iisdem primo imminutus hinc vero inhibitus fuit; accidit vero ſub illud ipſum tempus, quod infans recens natus tam difficulter reſpirare cœpit, ut, ne ſuffocetur metuens mater, non parum perterrita fuerit, unde lac in mamma dextra coagulatum reliquos etiam humores in motu ſuo inhibuit, hincque inflammationem, tumorem, doloresque non ita parvos produxit, & inde tandem febris quoque acceſſit; unde inhibito jam ſanguinis nimio fluxu ante omnia ſolicitus ut ſuppuratio in mamma promoveretur, quæ huc aliquid conferre poſſe credidi, ſuaſi, ſimulque febri blandiora diaphoretica oppoſui, nec fruſtra, rupto enim abſceſſu, & non ita parva tum lactis corrupti, tum puris quantitate evacuata, febris primo remiſit, hincque & reliqua ſymptomata ceſſarunt, ipſaque puerpera Dei gratia convaluit: ex quo patet, puerperas non primis ſolum diebus & hebdomadis malis quibusdam obnoxias, ſed & vel integro menſe exacto ab iisdem nondum plane immunes eſſe, hincque laudem omnino merentur illæ, quæ per totum puerperii conſtitutum tempus decentem corporis ſui gerunt curam, cum non deſint & aliarum hiſtoriæ, quibus errores ſub hoc tempus audacter commiſſi vel majores intulere noxas; inprimis vero animi affectus eſſe moderandos, hæc hiſtoria confirmat.

CCCXC.

Venæſectio Leproſæ diſſuaſa.

ACceſſit me hiſce diebus fœmina quædam leproſorum numero haud ita pridem inſerta, utque tum purgans præſcribam, tum tempus Venæſectioni aptum definiam, rogavit; hujus petito primo uti illico ſatisfeci, dum vel oculis patuit, ſcatere corpus ſalibus peregrinis & humoribus iisdem collutulatis

atque

atque imbutis, quibus exturbandis purgantia nunquam prorſus fruſtra adhibentur, hincque hoc præſertim morbo laborantibus ſubjectis ſæpius omnino ſunt commendanda; ita Venæſectione eam minime opus habere ſimul indicavi, cum ſanguis ejuſcemodi ſubtractione particulis quibusdam laudabilibus ſpolietur, quæ ſicut reliquam maſſam ne plane corrupta fuerit, ſervarunt, ita ſubtractæ non poſſent quod prius ulterius præſtare, hincque ſine dubio malum non tam imminueretur, quam potius augeretur; perverſam nempe de Venæſectione in quibusvis malis proficua opinionem adhuc fixius non paucorum menti inhærentem, quantum in me eſt, iisdem eripio, ut ſcilicet uſus ejusdem genuinus ſemper magis confirmetur, & abuſus contra extermi-netur.

CCCXCI.

Aqua Perlata loco Clyſteris injecta.

NArraveram coram non ita parvi nominis mercatore, quod Corticis Peruviani uſus indies majorem acquirat famam, & apud Italos quoque in pretio eſſe occipiat, adeo, ut Georgius Baglivus eum cum clyſtere quoque injicere cuidam puero non dubitaverit, finemque ſuum hoc modo feliciter obtinuerit; & is ſubjecit, alia quoque loco Clyſteris non ita fruſtra in inteſtina infundi, jamjam narranda teſtantur; Cum adhuc Venetiis degerem, filius meus natu maximus febre continua tam maligna laboravit, ut parva admodum vel ipſo medico teſte convaleſcentiæ ſpes ſuperfuerit, cum præſertim â medicamentis ſemper magis magisque abhorreret, & hinc malo, uti quidem requirèbatur, obviam iri non poſſet; perterruit vero inprimis eos, quorum intererat, quod aliquando etiam ſanguinem excrementis interſperſum viderunt, inde enim læſa quodammodo inteſtina eſſe judicavit medicus, qui tum Curæ præfuit, & hinc Clyſterem ex lacte paratum commendavit; vocatur huncin finem Chirurgus, qui duo vaſa in menſa poſita inveniens, quorum alterum lac, alterum Aq. quam Perlatam nominant, continebat, hoc ultimum arripit, & hanc ipſam aquam ſic ſat feliciter injicit; redit Pater, qui interea, ne clamantem puerum audiret, ſeceſſerat, & de Clyſtere feliciter injecto certior factus miratur, quod lac adhuc in menſa poſitum invenit, quidque injecerit, Chirurgum interrogat, qui vas, in quo Aq. perlata ſervata fuerat, monſtrat, hincque errorem commiſſum detegit; perterrentur ambo, nec ſufficit Patri, quod Chirurgus aſſerit, nil mali inde metuendum eſſe, ſed ipſemet propterea medicum adit, & ejus ſententiam rogat; qui Chirurgi imprudentiam improbat quidem, at & ipſe, non habere, quod ſibi metuat Pater, ſtatuit, quod idem & eventus confirmavit, cum enim pretioſus hic Clyſter rejectus denuo fuiſſet, non ſolum ab illo tempore nec minimum quidem ſan-

guinis ulterius cum excrementis ſeceſſit, verum & puer ab illo tempore Dei gratia indies melius ſe habuit, & brevi poſt convaluit: Nocere nempe minime potuit Aqua Perlata loco Clyſteris infuſa cum ex ingredientibus plane innoxiis conſtet; Uti vero jamdudum cum ſupra laudato Baglivo primi ſubſellii medici in votis habuerunt, ut alia & plura circa Clyſteres inſtituantur experimenta, ita ubi inprimis inteſtina laborant, (quæ pluries, ac quidem nonnulli credunt, laborare, ego totus credo,) niſi hos in ſubſidium vocaveris, fruſtra plerumque ſat diu aliis remediis uteris.

CCCXCII.

Eryſipelas impetiginoſum.

MErcatoris cujusdam ancilla, dum ſedulo muniis ſuis domeſticis præeſt, ſubito hinc inde in cute notat maculas in medio quidem rubras, at in oris albicantes, & impetigini ſimillimas, unde & pro talibus habet, & ex conſilio Virginis, rei familias præfectæ, ſucco ſempervivi easdem illinit; cum vero inde ardorem quidem perciperet, at maculæ non tam imminuerentur, quam ſemper augerentur, & anxietas quoque quædam accederet, hancque Tinctura Bezoartica ſumta non levaret, ipſamet me adiit, utque conſilium ſuggeram, rogavit; egoque pro impetigine habens, medicamenta, quibus hactenus uſa fuerat, continuare eandem juſſi, at vix biduo exacto rediit, & maculas ſemper alias corporis partes occupare conqueſta, ut aliud præſcribam medicamentum, petiit, præſcripſi itaque pulverem in talibus exanthematibus raro fruſtra commendatum, & in lineis medicis aliquoties deſcriptum, quem cum vix bis terve ſumſiſſet, in lingua & faucibus ardorem minus conſuetum percepit, qui ad os ventriculi usque ſe extendens ipſam ſolicitam reddidit, ne calor p. n. ſubſit, qui in periculoſam terminetur febrim, cum vero ego fauces atque os propius inſpexiſſem, maculas has quoque partes occupantes ardorem memoratum excitare, judicavi, hincque pulverem continuare juſſi, & Sir. meum conſuetum eidem præſcripſi; quibus aliquamdiu in uſum ductis non ſolum maculæ in cute diſparuere, verum & paulatim internis quoque partibus moleſtæ eſſe deſiêre, ipſaque Dei gratia convaluit: Has vero maculas uti omnino ad Impetiginem retuliſſem, niſi tam brevi temporis ſpatio tam late ſe extendiſſent, tamque cito denuo evanuiſſent, ita modo dictis de cauſis Eryſipelatis impetiginoſi nomine easdem inſignire mihi placuit, ſi vero hoc vel maxime cui diſplicuerit, me tamen propterea contrarium non habebit.

CCCXCIII.

Canities hæreditaria.

CAnitiem præmaturam primo anno Linearum medicarum deſcripſi, cui ſubjungenda ſunt ſequentia: Viſitavi hiſce diebus mercatorem quendam febricitantem, hujus uxor in componendis capillis occupata, pudere ſe, dixit, quod ita conſpectui meo exponat capillos ſuos canos, ex quibus ætate longe provectior pareat, quam quidem revera exiſtat, cum vix annum quadrageſimum attigerit, & ſane tam cana extitit, ut vetula ſeptuagenaria vix magis talis eſſe poſſit, quoniam vero & hæc retulit, Patrem olim Senatorem itidem vix triginta annis majorem ejuscemodi mutationem in Capillis notaſſe, hanc hæreditariæ nomine communicare hic loci volui.

CCCXCIV.

Febris â vermibus brevi ſublata.

MErcatoris cujusdam ditiſſimi filiolus quatuor fere annorum, ſubito minus bene ſe habet, ſomno magis ac antea indulget, corpore conſueto magis incaleſcit, nec eo, quo prius appetitu cibos ingerit, hincque Parentes metuunt, ne febris ſubſit, & me propterea in conſilium vocant; accedens ego cuncta, uti modo recenſui, ſe habentia inveni, cumque pulſus debito celerior extiterit, omnino febrim ſubeſſe, judicavi; quoniam vero non conſtabat, quarum febrium Claſſi hæc ipſa ſit adſcribenda, variolisque hinc inde decumbentes plures, ne hæ ſubſint, ſuſpicio ſuboriebatur; Potiunculam eidem præſcripſi ex C. C. Philos. calc. Antim. diaphor. Lap. Bez or. & liquor. convenientibus conſtantem, quæ Dei gratia tantum profuit, ut cum veſperi redirem, vix quædam febrilis orgaſmi indicia ſuperfuerint, quibus extinguendis Potiunculæ ſub noctem iterationem feliciter commendavi, ſequenti enim die puerulum ſanum atque incolumem inveni; quoniam vero Parentes exactam ejusdem curam gerentes, nec minimum quidem errorem noverant, qui in diæta commiſſus hanc febrem producere potuiſſet, de cauſa ejusdem vera maxime ſoliciti erant, & hanc ego, quia urina viridiuſcula erat in vermibus quæſivi; quam ſententiam eo citius approbabant, quoniam puerum & pane ſe multum delectaſſe, & nares ſæpiuſcule perfricaſſe, quin interdum de ventris dolore conqueſtum fuiſſe, ſimul recordabantur, hincque in futurum Semin. Santonici uſum ipſis commendavi: Sine dubio vero, ubi vel maxime vermes ſubſunt, alexipharmaca non abs re commendantur, quæ anthelmintica ſimul eſſe ii inprimis aſſerent, qui quamvis malignitatem â vermibus derivant.

CCCXCV.

Cicatricis magis conſpicuæ cauſa.

FIlius hujus ipſius Mercatoris natu major cicatricem in fronte habet in oculos ſtatim incurrentem, de cujus cauſa interrogatus reſpondit, quod ante aliquot annos ex lapſu in terram vulnus contraxerit, groſſum imperialem magnitudine fere ſuperans, quod vero brevi temporis ſpatio, manus commodante ſat perito quodam Chirurgo ſic coaluerit, ut inde cicatrix vix notatu digna reſtiterit; at cum hæc vix inducta fuerit, puerum denuo cecidiſſe, & hinc antiquum recruduiſſe vulnus, inde vero tantum dilatatum fuiſſe, ut hæc ipſa indicia in hodiernum adhuc diem reſtent: Semperque hinc ſedulo impediat, ne unum idemque vulnus recrudeſcat, qui ne cicatrix deformet partem vulneratam, impedire vult.

CCCXCVI.

Gravidarnm dolores probe ſunt diſcernendi.

VOcatus ad mercatoris cujusdam Uxorem ſexto gravidam, & intra bimeſtre fere partum expectantem, illam conquerentem invenio de doloribus ventris, interdum non parum moleſtis, quibus tum Aquam quandam Carminat. tum Eſſ. Cort. Aur. hactenus fruſtra oppoſuerat, & quoniam ab utero nunc eosdem derivabat, meum propterea conſilium expetebat; inquiſivi ergo ſtatim in partem ventris dolentem, nominavitque epigaſtrium, ſimulque indicavit, quod appetitus fere penitus ſit proſtratus, & alvus interdum ſic nimium fluat, ut aliquoties de lecto quoque ſurgere opus habuerit; non itaque tam ab utero quam in ventriculo & inteſtinis nidulantibus humoribus acrioribus derivandos eſſe hos dolores, judicavi; hincque cum ipſamet jam Rhabarb. ſumſiſſet, hiſce corrigendis dicatam Mixturam præſcripſi, qui ſine dubio majores adhuc turbas moviſſem, ſi utero dicata remedia commendaſſem, qui revera innocens hîc extitit: Probe vero diſcernendi ſunt dolores, quibus gravidæ corripiuntur, cum non ſolum aliâs vix ac ne vix quidem rite curari poſſint, verum & niſi rite tractentur, varia graviora mala facile excitentur, variis autem easdem obnoxias eſſe doloribus, quotidiana docet experientia, qui, modo ſingulæ circumſtantiæ recte perpendantur, ab artis gnaris plerumque haud ita difficulter dignoſcuntur.

CCCXCVII.

Icterus niger ſudore curatus.

DE morbis quibusdam inſanabilibus cum nuper ſermo injiceretur, inter hos inprimis icterum nigrum numerandum eſſe, quædam contendebat, cui

cui cum ego regeſſiſſem, difficilem quidem curatu eſſe hunc morbum, non deeſſe tamen feliciter curati ejusdem hiſtorias, ſæpiusque non ſanari illum, non tam ex defectu remediorum ſat efficacium, quam quoniam aut ii conſulantur, quos hæc latent, aut & ægri morem decentem medicis non gerant; alia quædam addidit, ſe haud ita pridem noſſe mulierem quandam jam ſeneſcentem, quæ morbo hoc brevi ſic deformata fuerit, ut æthiopem omnino retulerit, hincque malo licet varia oppoſuerit remedia, per integrum tamen biennium ipſam æthiopem lavaſſe, jamque de convaleſcentia fere penitus deſperaſſe, cum neſcio quis ſuaſerit, ut balneum adeat, & aliquoties ibi ſudori vacet; cum enim hujus conſilio paruerit, ſtatim eam inde levamen quoddam percepiſſe, hincque eo diligentius poſtmodum balneum frequentaſſe, donec tandem non ſolum priſtinam ſanitatem, ſed cum hac priorem naturalem colorem acquiſiverit, ſicque ſat ſana per integrum biennium ſupervixerit: omnino nempe ſudor in pluribus morbis non absque inſigni fructu commendatur, & in hoc ſubjecto humores peccantes coloremq; mutantes arctius infixos glandulis ſubcutaneis diſcuſſit, ſimulque ſic motui ſuo impedito reſtituit, unde non potuere non mala inde ſuborta paulatim evaneſcere; nollem tamen propterea ſudorem pro univerſali quodam remedio cum nupero quodam ſcriptore venditare, cum non deſint morbi, in quibus is magis obeſt quam prodeſt, quin non paucos, qui ſudori nimium vacarunt, in mortis diſcrimen conjectos fuiſſe, nullum eſt dubium adeoque & hic judicio medico opus erit.

CCCXCVIII.

Incubus in Arthritica.

Matrona quædam nobilis, arthriticis doloribus genua præſertim occupantibus lecto ſic affixa, ut vix movere ſe potuerit, unde & quovis tempore dorſo incumbere opus habuit; cum aliquando ſic obdormiiſſet, in pectus ſuum magnum atque grave pondus paulatim devolvi per ſomnium quaſi vidit, quo tantum preſſa fuit, ut ne ſuccumbat eidem, ſumme metuerit, indeque, ut ſe adjutent præſentes ancillæ, ſe exclamaſſe credidit; utut vero hoc ſæpius tentarit, cum præſertim vel ipſam mortem jam inſtare ſibi imaginata fuiſſet, vocem tamen revera non edidit, uti adſtantes vigilantes teſtatæ fuerant; cumq; tandem verba quædam protuliſſet, & in quantis verſetur anguſtiis indicaſſet, utut Aq. Apopl. quæ ad manus erat, exhibita quoddam levamen attulerit, totam tamen noctem inſomnem duxit, cumque ſequenti die eam viſitaſſem, in quantas anguſtias conjecta fuerit, pluribus verbis enarravit; Uti vero hanc incubo laboraſſe, nullum eſt dubium, ita tum pronum illum decubitum tum Venæſectionem hactenus hoc anno intermiſſam in malo hoc producendo multum contuliſſe, itidem dubio vacat, novi enim & alios, qui niſi ſic de-

cumbentes hoc ipſo malo corripiantur, de moleſtioribus tamen inſomniis conqueruntur: Sanguinem vero abundantem interdum pectus gravare, artem medicam gnaviter exercentem vix latere poteſt, quod pondus in ſomno præſertim perſentientes revera peregrini quid corpori incumbere ſibi imaginantur.

CCCXCIX.

Nutrix qualis commendata.

VIvit hoc tempore hic loci præcipua quædam Matrona, quæ, quia jam binæ filiolæ ipſi morte præmatura abreptæ fuerunt, cauſam hujus mortis in eo quærens, quod illis mammas præbere non potuit, ſecum conſtituit, ſe denuo gravidam alteri hoc munus commiſſuram, & hinc, cum poſtmodum iterum concepiſſet, partus tempore appropinquante de nutrice non parum ſolicita fuit, utque talem eligeret, quæ ſcopum ſuum ſecundare poſſet, me quoque propterea conſuluit, & hinc quandam non parum hac de cauſa commendatam ad me miſit; quam cum examinaſſem, & lac deguſtaſſem, omnia quidem ſic comparata inveni, ut eam præfici huic numeri poſſe, nullus dubitaverim, cum præſertim & ipſa conſtitutionis tenerioris, hincque parum ab ea, quam gravida habet, differentis exiſtat, fœtusque quem hactenus aluit, non ſolum pingueſcat, verum & nulli prorſus morbo ſit obnoxius; ipſa etiam per plures jam annos integra fruatur ſanitate; utut vero quoddam dubium injecerit, quod jam per ſex fere mennſes ſuo fœtui mammas præbet, & ſesqui menſis adhuc ſupereſt ad partum ejusdem, quem in poſterum nutrire debet, quia tamen lac ejusdem debito craſſius non inveni, niſi diætam ante tempus mutet, qua nempe hactenus ſat tenui utitur, quin profuturum ſit alendo tum fœtui, nullus dubitavi, ſuaſi tamen, omnino cavendum eſſe, ne ante tempus diætam mutet: & hæc quidem, quia illis, qui ſæpius hac de cauſa conſuluntur, quandam præferre poſſunt lucem, communico.

CCCC.

Venæſectio ad hecticam inclinanti diſſuaſa.

HEri me acceſſerat Vidua quædam prope quinquagenaria, urinam apportans, & ut ex illa, an Venæſectio ſibi conducat, an vero non? indicem, rogat, ſicuti vero ex hac ſola certi quid circa hanc ipſam quæſtionem determinari non poſſe, ſtatim reſpondi, ita cum ipſam toto corpore conſumtam, pallidam, & pene exſanguem viderem, Venæſectionem non tam profuturam quam obfuturam judicavi; cur tamen ſe generoſo hoc remedio opus habere credat? ſimul interrogavi, jamque, quod anxietate quadam moleſta ſæpius vexetur, detexit, cui originem dediſſe mortem mariti ante annum & quod

excurrit

excurrit pie defuncti, ſimul retulit, ſumme enim ſe metuere, ne quædam minime intermittenda intermiſerit, & hinc mortem ejusdem accelerarit, â quo vero crimine ſicuti ipſam, quantum in me fuit, abſolvi, cum, quod ego quidem vidi, ſat anxiam ejusdem geſſerit curam, ita melancholici quid ſubeſſe, unde dicta anxietas certius derivetur, nullus dubitavi, & hinc Vinum Cochlearia alteratum ipſi commendavi, hoc nempe ſanguinem priſtino ſuo valatiliori ſtatui reſtitutum iri, & ſic anxietatem poſtmodum ſponte ceſſaturam ſpero: Notatu vero dignum eſt, quod hæc ipſa Vidua inter alia retulit, quod nempe olim per aliquot annos tuſſi divexata fuerit tam pertinaci, ut magnam pulmonis læſi ſuſpicionem injecerit, hanc vero jam ſponte per aliquot menſes ceſſaſſe, at in ejusdem locum ſucceſſiſſe ſudorem, quo interdum fere penitus diffluat; ſicut enim hoc adhuc magis me movit, ut Venæſectionem diſſuaſerim, ita ſine dubio memorata tuſſis ſero acriori originem ſuam debuit, quo per ſudorem diſcuſſo eadem ceſſavit: Quam multi vero in Venæſectione præſidium quærant, quod minime in eadem inveniunt, hæc obſervatio confirmat.

CCCCI.

Sanguis ex inteſtinis tenuibus profuſus.

MAtrona quædam quadragenaria, cum multum admodum ſanguinis per alvum perdidiſſet, ſæpius de variis, quæ ad curandum hoc malum aliquid conferre poſſe videbantur, interrogata, aliquando etiam retulit, quod ſemper, quo major ſanguinis quantitas ſecedat, eo majora circa umbilicum perſentiat tormina, indeque ex his quaſi ſemper certa eſſe poſſit ſanguinis fluxus ſubſecuturi, huncque ſanguinem longe puriorem & floridiorem eſſe illo, quem interdum dolentibus prius vaſis hæmorrhoidalibus per has ipſas vias excernat, longeque magis viribus inſidiari: inteſtina ergo tenuia potius quam craſſa hunc Sanguinem profundere judicavi, & hinc eo magis ſolicitus fui, ut ſiſteretur hic fluxus, egregie vero vires ſuas exſeruit Crocus martis adſtringens, dum non ſolum fluxum ſanguinis inhibuit, ſed et Cachexiam imminentem avertit: Inprimis vero medicus de tali fluxu conſultus in partem quoque affectam indaget, ad quam eo certius citiusque detegendam modo adducta conferent.

CCCCII.

Colica contentioſo Sermoni cedens.

AMicus quidã meus, quadragenario major, ceteraDei gratia integra gaudens ſanitate, cum per aliquod temporis ſpatium nullum plane in diæta errorem commiſiſſet, doloribus colicis vehementioribus correptus inde eo magis perterri-

perterritus fuit, quia unde ſint derivandi? nullo modo ſibi maginari potuit, calidaque externe applicata levamen quidem quoddam attulere, at iisdem vel paululum remotis dolores ſtatim recruduere; unde jam de illo remedio, quod alias aliquoties proficuum invenerat in hiſce doloribus mitigandis, vino nempe Muſcato cogitavit, ancillamque, ut illud peteret, miſit, quæ vero non tam tale vinum quam aliam quandam dulcem Mixturam affert, quam malo ſuo tollendo minus idoneam habens, ut alibi vinum tale petatur, mandat; interea vero ab amico quodam rogatur, ut certis de cauſis accedat, cujus petito doloribus licet adhuc detentus vel ideo tamen lubentius ſatisfecit, quia quædam ad ipſum deferre opus habuerat; accedit hinc, & poſtquam, quæ amicus deſideraverat, perfeciſſet, negotii etiam ſui mentionem injicit, quod ſic ſat arduum dum per bihorium fere non abſque contentione quadam urget, interea dolores colici ſic remittunt, ut nec minimum quidem moleſti extiterint, quorum tamen ſub ſermonibus ſe potius oblitum fuiſſe, quam quod revera ceſſaverint, primum ariolabatur, at cum poſtmodum non rediiſſent, alio remedio opus non habuit, mihique hanc curam ſuam recenſuit: uti vero ab acido aucto ſine dubio hi dolores ſuborti fuerant, ita bilis contentioſo ſermone mota & in inteſtina in majori quantitate delata illud correxit, ſicque dolores ſopivit: non ſemper itaque nocent animi affectus, ſed & interdum emolumentum quoddam afferunt.

CCCCIII.

Febris motu corporis curata.

MAtrona quædam nobiliſſima, cum in ejusdem præſentia amicus meus modo memorata narraſſet, ſubjecit, ſe ante plures annos febrili paroxyſmo uno alterove correptam huic tamen victas dare manus noluiſſe, & hinc tum coram ſuis, quantum fieri potuerit, ſubticuiſſe, tum de remedio, quod aliis inſciis juvaret, cogitaſſe; cumque inprimis noverit, ſudorem in hoc malo præ aliis remediis commendari, huic vero in lecto vacare nunquam potuerit, & balneum propterea ingredi non conſultum duxerit, ſe per aliquot horas purgandis & priſtino nitori reſtituendis vaſibus ſtanneis ſedulo operam navaſſe, unde cum ſudor copioſus elicitus fuiſſet, febrim quoque ſic ceſſaſſe, ut ab illa in poſterum nec minimum quidem in commodata fuerit: Juvat nempe ſubinde febricitantes motus quoque corporis conſueto major, & ſudorem promovens, cui, ſi præſertim cauſa quantitate non abundet, raro ſine commodo vocabant:

CCCCIV,

CCCCIV.

Fluor albus catarrho ad nares ſuccedens.

MAtrona quædam honeſta triginta octo annorum, ante bimeſtre fere catarrho ad nares tam vehementi correpta fuit, ut ſero continuò ex iisdem deſtillante emunctoriis excipiendo omne fere tempus terere opus habuerit, adeo quidem, ut noctu abdormire vix potuerit, dum nempe decumbenti ſerum tanto cum impetu in pectus ruit, ut niſi ſedulo ſibi conſuluiſſet, vix ſuffocationis periculum avertere potuiſſet; ſicuti vero jam olim Maſtiches grana haud absque fructu in hoc malo deglutierat, ita & nunc votis ejusdem ſic ſatisfecere, ut vix bis terve iisdem in uſum ductis omnis catarrhus ad has quidem partes ceſſaverit; verum enim vero immediate eidem ſucceſſit fluor albus, qui non ſolum partes genitales inundavit, ſed & acredine ſua ſic læſit, ut ob dolorem ſubſequentem conſilio medico opus habuerit, quod cum â me petiiſſet, ipſametque priori catarrho adhuc inſtante Pilul. FF. ſumſiſſet, cetera Dei gratia optime valentem alio purgante opus non habere judicans, Spir. Therebinth. uſum ipſi commendavi, quem eo lubentius utut palato minus gratum in uſum duxit, quia & olim jam profuiſſe meminerat, nec fruſtra, vix enim per triduum continuato ejusdem uſu ita hic quoque fluxus inhibitus fuit, ut alio medicamento non habuerit opus: Uti vero jam pridem egregius quidam medicus ſub uteri coryza fluorem album deſcribere non dubitavit, ita hoc nomine & hac de cauſa eo majori jure inſignietur, quia nimirum hanc & veram coryzam interdum ſibi invicem ſuccedere ſic conſtat, omnino vero laudem in hoc malo meretur memoratus ſpiritus, quem quippe, niſi altiores ſubſint cauſæ, raro hactenus me fruſtra commendaſſe memini, nec ſemper opus eſſe, ut tam ſolicité, ac quidem Veteres requirunt, univerſalia præmittantur, hæc quoque obſervatio confirmat.

CCCCV.

Dorſum exulceratum.

SUb illud ipſum fere tempus ab egregio quodam Pauperum Patrono rogatus fui, ut viſitarem pauperculam quandam viduam noſtræ ſalvificæ religionis ergo profugam, jam diu cum gravioribus quibusdam malis conflictantem; dum ergo petito ejusdem ſatisfacio, invenio vetulam toto corpore conſumtam, & de dorſi inprimis doloribus conquerentem, in quorum originem inquirenti reſpondet, ante biennium & quod excurrit ſe hoſce dolores primo percepiſſe, & hinc varios amicos propterea conſuluiſſe, qui tantum non unanimiter Coriariorum ſudatorium comendarint, quod & bis terve ingreſſa fuerit, cum tanto tamen dolorum incremento, ut, ſi continuaſſet illud, ſine dubio iisdem

ferendis impar extitiſſet; cum vero & tumorem quendam in parte dolente notaverit, chirurgum ſe vocaſſe, qui parte inſpecta abſceſſum ſubeſſe invenerit, quo maturato & aperto non ita exigua puris quantitas profluxerit, ſicque dolores quodammodo remiſerint; utut vero per bene longum temporis ſpatium omnem lapidem moverit, ut ulcus denuo coaleſcat, adeo tamen fruſtra hactenus ipſum quævis emplaſtra impoſuiſſe, ut potius hinc inde juxta ſpinam dorſi alia ulcera ſucceſſerint, quæ & ipſemet inſpexi; quoniam vero nullus dubitavi ad ipſa ſpinæ oſſa eadem penetrare, curæque neceſſariæ inſtituendæ nec vires ſufficerent, nec ſumtus vel pro victu requiſitos quiſpiam ſuggereret, medicamentum quidem quoddam humoribus vitioſis corrigendis dicatum præſcripſi, ſed de cura hujus mali me deſperare, ſimul edixi: forſan vero Thermæ huic profuiſſent.

CCCCVI.

Thee palpitationem cordis curans.

SAnguinem particulis heterogeneis ſalſis acribusque abundantem ut quodammodo ab hiſce liberaret, Matrona quædam quadragenaria præterito vere biberat Juſcula herbis talibus virtutibus inſtructis alterata, prius Iuſuſ. Herbæ Thee aſſueta, quod etiam aliquoties olim palpitationem Cordis, cui ſæpius eſt obnoxia, ſic diſpulerat, ut vel ideo crebrius illud in uſum duxerit; hunc vero affectum ſe merito eidem attribuiſſe, nunc inprimis experta fuit, quam diu enim modo memorata juſcula bibit, & hinc uſum Infuſ. Thee ſepoſuit, Palpitatio cordis non ſolum crebrius rediit, ſed & diutius ac olim inſtitit, unde & eo citius illis denuo valedixit, & ad conſuetum magis potum calidum rediit, & quidem priori cum fortuna, ab illo enim tempore, quo hanc mutationem inſtituit, non ſolum Cor rarius palpitavit, ſed &, ſi vel maxime motu tali inordinato moleſtum fuit, tam brevi ſic ceſſavit, ut vix de eodem conqueſta fuerit: non ſolum itaque calorem aquæ activum eſſe, unde Infuſum Thee præſtet in corpore humano quod præſtat, ſed volatiles quasdam particulas illud poſſidere, quæ inprimis in ſanguinis motu corrigendo multum valeant, ex dictis haud ita male deduces, iisque hinc aures vix unquam præbebis, qui ob abuſum hujus laudatiſſimi Infuſi, quo multos peccare, non eſt dubium, & uſum ejusdem exterminare tentant.

CCCCVII.

Pedis digitum maximum læſum ſequentia mala.

PRæfecti cujusdam Uxor, cum ungues digitorum pedum non ſolum nimium excreviſſent, ſed & cuti ſic infigerentur, ut dolorem quendam intulerint, cultellum propterea arripuit, & eodem tum ſuperflua reſecuit, tum cuti infixas

fixas particulas, quantum fieri potuit, extraxit; dum vero in hoc labore verſatur, accidit, quod digitum maximum pedis dextri cultello aliquantum læſerit, quod in principio quidem uti minus percepit, ita etiam minus curavit, hincque ut prius negotia ſua perfecit, cumque nocte cubitum itura aliquantum doleret pars læſa, emplaſtro de Sperm. Ranar. impoſito omnem dolorem abactum iri, ſperavit; verum enimvero ſpe ſua quam maxime falſa fuit, non ſolum enim dolor ſemper magis incrementum ſumſit, ſed & tumor acceſſit, primo digitum læſum hinc vero totum pedem occupans, cui varia quidem remedia quæ domeſtica vocant, oppoſuit, at fruſtra omnino, tumor enim ſemper latius occupavit ſpatium, unde cum tandem ad brachium quoque dextrum, quin capitis hanc partem ſe extendiſſet, & febris acceſſiſſet, tum medicos tum Chirurgos propterea conſuluit, qui vix poſt aliquot hebdomadas variis medicamentis dicta mala abegerunt: quæ quidem uti quidam locumtenens miles narravit, ut confirmaret à me de conſenſu partium allata quædam, ita merito nos cautos reddant in tractandis pedum digitis, quod quippe opus & aliis minus feliciter ceſſiſſe, quin nonnullos pedibus & ipſa tandem vita privaſſe, non deſunt plures fide dignæ hiſtoriæ.

CCCCVIII.

Cancroſæ parum conferens Salivatio mercurialis.

VOcatus fuerat haud ita pridem Chirurgus quidam ad quandam fœminam cancro laborantem, & quidem mammæ dextræ, hanc antequam acceſſit, jam certior factus quod alius quidam ſectionem jam bis fruſtra inſtituerit, hancque iterari non poſſe, aut fruſtra iteratum iri, nullus dubitans, me propterea conſuluit, & quid mihi de cura per Salivationem mercurialem inſtituenda videatur? interrogavit; ego vero ſicut ante omnia ocularem inſpectionem commendavi, ita niſi ſectione iterata aliquid præſtari poſſit, in Salivatione fruſtra hic auxilium quæri, reſpondi, quam quippe cancrum non tam curare, quam exaſperare hactenus aliquoties obſervatum fuit; acceſſit ergo urgentem inprimis ægram, ſicque omnia exulcerata invenit, ut manus adhiberi tuto minime potuerit; de variis ergo, quæ hactenus in uſum ducta fuerint, interrogare cœpit, ubi, ſicut retulit, quod inprimis multum pecuniæ inſumſerit, in eum, qui ſectione malum una cum mamma ſe ſublaturum promiſerit, cui quippe ſoli ducentos florenos ſolverat, ultra quod ipſum una cum uxore per aliquot hebdomadas ſat laute aluerat, & in medicum, quem ſecum adduxerat, etiam longe plus ac aliâs communiter fieri ſolet, erogaverat, qui tamen poſtmodum exulcerata adhuc parte affecta abierit, frivolam ſubnectens excuſationem, quod cancer jam vivus extiterit, & hinc interimi hactenus non potuerit, interentum vero iri, ſi felem nigram cubiculo includat, & huic

loco cibi ea, quæ â cancroſa mamma ſeparentur, exhibeat; ita etiam indicavit, quod poſt hunc balneator quidam maximam ſibi fecerit ſpem, ſe malum remediis internis haud ita longo temporis ſpatio ſublaturum, hunc vero mercurium exhibuiſſe, quo ſumto multum quidem ſalivæ per aliquot dies ſe rejeciſſe, at tantum abeſſe, ut inde vel minimum perceperit levamen, ut potius malum, uti ipſe perſpicere poſſit, indies ſumat incrementum; hinc autem & hic Chirurgus moniti mei memor parvam admodum convaleſcntiæ ſpem facere eidem potuit, cum præſertim tumor mammæ ſiniſtræ, malum & ad hanc usque ſe extendiſſe, hincque intimius latitare, prodiderit: Deteſtandum autem eſt, quod hujus farinæ homines tam perverſas ejuscemodi malis decumbentium animis imprimunt ſententias, hasque poſtmodum nugis ſuis alunt, ſic enim poſtmodum de vera cauſa vix ſunt ulterius ſoliciti, hincque non tam veros medicos quam tales agyrtas conſulunt, qui pecunia quidem, eos qui ſibi fidem adhibent, emungere, at artem chirurgicam rite exercere nunquam didicerunt: quam parum vero in eradicando cancro vero conferat mercurius, hæc obſervatio confirmat, indeque ſimul patet, quantum in hoc morbo depraventur humores, dum nempe tantum contrahunt vitium, ut, ſicuti vel maxime depravatis in aliis morbis corrigendis iisdem ſufficientia remedia, in hoc fruſtra adhibentur, ita ſufficiens ſe hactenus ignorare vel doctiſſimi medici fateri cogantur; nec facile fruſtra impoſturæ is accuſabitur, qui cancrum confirmatum medicamentis ſe curare poſſe, audacter jactitare audet, cum nec ipſam ſemper ſectionem voto noſtro ſatisfacere, ex iis, quæ modo legiſti, conſtet, quam tamen modo tuto inſtitui poſſit, reliquis omnibus remediis longe præfero.

CCCCIX.

Fraga poſt aliquot horas integra vomitu rejecta.

Mercatoris cujusdam Uxor quadrage aria, ſicut â nimia ſanguinis per partes inferiores deperditione varia eaqu non contemnenda hactenus incurrit mala, ita, quod & aliis commune eſt, ventriculum inprimis inde tam debilem nacta fuit, ut, ſi vel paululum plus cibi ingeſſit, ac quidem ſe ferre poſſe, experientia hactenus didicerat, aut & aliquid comedit, quod per ſe coctu difficile exiſtit, hinc ſtatim tam male ſe habuerit, ut per aliquot dies lectum iterum tenere opus habuerit, & hoc quidem, quoniam appetitui neceſſaria frena non ſemper injecit, aliquoties ſic contigit; ſic cum ante bimeſtre fraga apponerentur, hæc avide quidem ingeſſit, at utut noctem ſic ſat quietam duxerit, mane tamen circa horam quintam evigilans primo tormina minus conſueta percepit, quæ alvum ſic ſtimularunt, ut ter eandem in non ita parva quantitate depoſuerit, hinc vero nihilominus melius ſe non habuit, do-

nec vomitus quoque ſucceſſit, quo fraga adhuc integra atque immutata rejecit, ſicque levamen ſenſit, at ſimul tantum debilitata fuit, ut colorem, qui magis naturalis vix redierat, ab illo tempore iterum amiſerit; cum vero mihi dicta recenſuiſſet, majorem diætæ habere rationem ipſam juſſi, niſi identidem integram convaleſcentiam ipſamet petulanter impedire velit: non vero quantum guſtui arrident, tantum & ſanitati conferre fraga hæc obſervatio confirmat, non omnibus itaque tuto concedentur, nec modum in iiſdem edendis ſervaſſe quenquam pœnitebit.

CCCCX.

Balneo ſingulis annis opus habens.

Aurifabri cujusdam vidua fere quinquagenaria, jam per aliquot annos menſibus æſtivis balneum ingreſſa inde tam bene ſe habere credidit, ut intermittere aliquando hanc curam non fuerit auſa, cum præſertim tubercula hinc inde in brachiis ſuborta alio modo diſpelli non poſſe crediderit; cum vero hoc anno menſes fluere deſiiſſent; ne aut hos intempeſtive moveret, aut aliud inde concitaretur malum, balneo non niſi bis terve fuit uſa, at & tubercula denuo ſuccedentia & virium quædam proſtratio ipſam permoverunt, ut me propterea conſuluerit, an nempe balneum ſit iterandum? an vero alia remedia eidem commode ſubſtitui poſſint? re probe penſitata, cum de caloribus volaticorum nomine venientibus ſæpius non parum moleſtis & ſudoribus ſubinde nimiis conquereretur; ne hæc mala augeantur, tutius omitti nunc balneum, judicavi, ſubſtitui vero eidem pulverem ex ingredientibus ſanguinis vitia corrigentibus conſtantem, qui diligenter continuatus ſine dubio ejusdem voto ſatisfaciet; Conſtat vero ex narratis, & remediis vel poſt annum repetitis quem ſic aſſueſcere poſſe, ut absque moleſtia quadam poſtmodum iisdem vix careat, nemo ergo, niſi opus habeat, remedium in uſum ducat, aut & iteret.

CCCCXI.

Colicæ convulſivæ cauſa VVepferiana.

In Conſiliis Gokelianis nuper editis inprimis notatu dignum eſt, quod ſummo jure poſt fata quoque celeberrimus medicus Wepferus colicæ convulſivæ cauſas non tam in ipſis inteſtinis, quæ alias ad crebriores potius excretiones ſtimularentur, quam plexibus meſenterii quærendas eſſe, credit; Sicuti enim ſic non ita difficulter indicare poſſumus, cur malum hoc plerumque tam difficulter curetur, adeo, ut plura laudatiſſima remedia ſæpe diu fruſtra in uſum ducantur, ita de remediis in hos plexus penetrantibus & humores vitioſos eosdem vellicantes corrigentibus iisdemque etxricantibus ut ſimus ſemper magis ſoliciti, merito movemur.

CCCCXII.

Vigiliæ pertinaces UniCornu marino cedentes.

MAtrona illa quæ CCCCIX. ſuggeſſit exemplum, inter alia mala de vigiliis etiam pertinaciſſimis conqueſta fuit, licetque cetera meliuſcule ſe habuerit, ſomnum tamen capere per aliquot noctes minime potuit, ſed inſomnis in lecto decubuit, & hinc corpus de latere in latus projiciendo majorem fere laſſitudinem contraxit, quam habuit, dum cubitum ivit; varia vero propterea remedia at omnia fruſtra omnino adhibuit, dum nec Aq. Ceras. n. nec Conf. Alkerm. ſumta, nec quædam capiti applicita nec pediluvia ſomnum unquam excitarunt; opiata vero exhibere ob ſanguinis motum ſic non parum impeditum ego detrectavi, ſemper nempe monens, ut cauſæ primum obviam eat; hac enim domita, ſomnum ſponte ſucceſſurum; uti vero hujus ſymptomatis cauſam primariam ſerum acre & ſalſum extitiſſe vel exinde conſtitit, quia ejusdem non ita exigua quantitas ſæpiuſcule è manibus extillavit, pruritumque exinde ſubortum ſomnum præſertim arcere ipſamet indicavit, unde fonticulum inprimis eidem commendavi; â quo vero ſic abhorruit, ut nec mentionem quidem ejusdem fieri, æquo tulerit animo; nec etiam, quæ hunc in finem herbis recentibus alteranda commendaveram, juſcula, in uſum duxit, ſumſit tamen aliquoties ad eo certius inhibendum Sanguinis fluxum Uni Corn. animale ab aliis commendatum, nec â me improbatum, & ecce! quotiescunque illud cubitum itura ſumſit, toties per totam noctem dormiit, unde non tam ulterius de remedio, quod ſomnum conciliet, quam an tuto hoc ipſum aliquandiu continuare liceat? ſollicita fuit, meque propterea conſuluit; ſicuti vero ego tutiſſimum hoc remedium absque ulla hæſitatione vocavi, ita quotiescunque illud poſtmodum ſumſit; eundem effectum edidit: Et hic nempe pulvis cauſam præcipue aggreſſus fuit, ſerique acredinem correxit, unde & hunc in finem UniCornu animale aliis earundem virium medicamentis vix fruſtra addes, quod vero, ſi & alia latente adhuc de cauſa aliis etiam ſomnum conciliaverit, inter ſoporifera tutiſſima merito principem obtinebit locum.

CCCCXIII.

Spasmus Ventriculi.

DIvertit haud ita pridem apud me Illuſtriſſima quædam Virgo, quæ, præterquam quod hecticæ candidata & ſudoribus nocturnis fere penitus conſumta fuit, aliquando conquerebatur, quod integram noctem inſomnem duxerit ob inſignes dolores, qui os ventriculi ſic torſerint, ut, niſi ventriculo incubuiſſet, aut onus quoddam eidem impoſuiſſet, iisdem ferendis impar extitiſſet, nominaſſe autem hos ipſos dolores Spasmum Ventriculi Medicum

magni

magni nominis Conerdingium, ſimulque ſuggeſſiſſe Pilulas, quarum vel tres ſumtæ dolorem illico ſedent; quod & nunc, cum ſequenti die dolore inſtante eas habere potuiſſet, & ſumſiſſet, præſtitere; gratioſe poſtmodum communicatæ, & â me deguſtatæ, ubi opium iisdem immixtum eſſe, notavi: Uti vero tam enormes dolores ſine dubio convulſivi quid comitatur, & hinc modo memoratum nomen iis haud adeo inepte imponitur, ita opiata in iisdem plerumque præſentaneam afferunt opem.

CCCCXIV.

Animi deliquia in Sene ſæpe recurrentia.

VIr quidam ſeptuagenario major, interdum doloribus arthriticis vexatus, ante ſemeſtre & quod excurrit, de crebrioribus animi deliquiis queri cœpit, quæ utut interdum & vel non cogitantem proſtraverint, plerumque tamen motum corporis ſubſequebantur, quando præſertim, ut lectum ſterneretur illud relinquebat, unde aliquoties per aliquot dies hunc laborem differebat; licetque quamdiu quidem extra lectum degebat, ut & ſtatim, quando in illud revertebatur, â gravi hoc ſymptomate immunis fuerit, uti quidem ipſemet aliquando præſens notavi, cum tamen vix diſceſſiſſem, malum majori ac unquam olim vehementia brevi poſt rediiſſe, ſequenti die retulit; tum, quantum quidem ex quibusvis aliis ſignis judicari poterat, ſic ſat bene valens, dum non ſolum appetitu valebat, verum & ingeſtos cibos digeri, per ſat evidentia indicia conſtabat, urina inſuper plerumque ſic ſat bene ſe habebat, nec ex pulſu ipſum brevi ante cum tam gravi malo conflictatum fuiſſe, patebat; licet vero tum medicus ejusdem ordinarius omnem lapidem moverit, ut malum hoc averteret, tum poſtmodum ego quoque in conſilium vocatus ad hunc ſcopum obtinendum, quantum in me fuit, contulerim, nec tamen lenioribus purgantibus, quæ, quia malum ab humoribus vitioſis in primis viis abundantibus foveri, nullum ſuperfuit dubium, aliquoties ſuaſi, nec Clyſteribus hunc ipſum in finem applicitis, nec volatilioribus, nec martiatis, nec ipſis acidulis obtineri potuit, ut deliquia iſta non rediiſſent; cumque præſertim æger, medicamento non ſtatim juvante, quin illud potius ſit obfuturum ſibi imaginatus fuerit, aliis ipſum in perverſa ſua ſententia confirmantibus, remedia quædam tam diu, ac quidem morbus juſſiſſet, non continuarit, hincque identidem aliis quoque aures præbuerit, & me dimiſſo tandem empiricum quendam conſuluit, qui niſi vita ſimul, pecunia ſane certo eum egregie emunget: In hypochondriis inprimis cauſam horum deliquiorum uti ego quidem ſemper quæſivi, ita ſi perſuaderi hic ſenex potuiſſet, ut aliquamdiu ea continuaſſet, quæ iisdem partim everrendis quaſi, partim ab obſtructionibus liberandis dicata

cata ſunt, eum priſtinæ ſanitati reſtitui potuiſſe, totus ſperaſſem, quod autem, quo ſæpius imprimis hoc modo medicos mutabit, eo minus obtinebit.

CCCCXV.

Narium hæmorrhagia ab amore.

ANte aliquot annos vocatus fui ad quandam Virginem elegantis formæ, & quia ſimul divitiis abundabat, â non ita paucis expetitam, unde &, cum vix decimum ſextum ætatis annum ingreſſa fuiſſet, nobiliſſimo cuidam juveni deſponſatam, hunc uti primo, ita tenerius etiam amavit, quem amorem aliquoties erumpens ê naribus ſanguis prodidit, quando imprimis deſiderata ejusdem præſentia frui non potuit; ſic cum aliquando peregre profectus fuiſſet, non ſolum illo die, quo iter incepit, multum ſanguinis per has vias perdidit; ſed & poſtmodum aliquoties, quando ejusdem recordata fuit, idem flûxus ſubſequebatur, ut adeo tandem meo conſilio opus habuerit; ubi tamen ea, quæ alias in hæmorrhagia narium ſolent eſſe proficua, nec huic fruſtra adhibita fuere; patet vero ex dictis etiam, quantum in ſanguinem habeant imperium animi pathemata, vel hac quoque de cauſa ſemper magis magisque moderanda.

CCCCXVI.

Hydrops Eryſipelas ſubſequens.

ROgatus hiſce diebus acceſſi pauperis cujusdam operarii Uxorem, jam per aliquot hebdomadas decumbentem, & de difficili præſertim reſpiratione, tumoreque pedum atque abdominis conquerentem, dumque in cauſas antecedentes inquiro, partim ipſa, partim adſtantes referunt, quod jam ſexagenaria major, hanc ætatem quidem ſic ſat ſana attigerit, at ante annum, & quod excurrit, aliquoties Eryſipelate faciei tam vehementi correpta fuerit, ut & decumbere opus habuerit, tumor etiam colli, ad quod usque ſe extenderit malum, in hunc usq; diem inde reſtitet, licetq; quædam medicamenta huic malo oppoſuerit, impediri tamen non potuiſſe, quin aliquoties redierit, unde tandem præſentia mala ſupervenerint; totus ergo perſuaſus remedia adhibita fuiſſe, quæ eryſipelas non tam curaverint, quam, uti loqui amant, retropulerint, de his ſimiliter interrogavi, nominarunt vero ſudorem, & externe farinam hordei atque Cortic. Sambuci ſe adhibuiſſe, retulerunt, quæ hactenus non paucis profuiſſe, ego quidem notavi; ſeu vero ſudor ſufficienter non fuerit motus, hincque particulæ peccantes retentæ, poſtmodum reliquos humores in motu ſuo interturbaverint, & hinc in cauſa fuerint, ut hinc inde abdomine & pedibus exundarint; ſeu, quod magis veroſimile mihi videtur, ſubtilioribus & volatilioribus, hincque ad motum humorum

ſumme

ſumme neceſſariis particulis bilis per ſæpius rediens Eryſipelas inſumtis & depertidis, hi paulatim in motu ſuo impediti, hincque vaſa ſua ubique penetrare nequientes, tandem iisdem exciderint, non fruſtra Eryſipelas hîc accuſari, nemo dubitabit; nec tamen hanc aliis quam alios hydropicos medicamentis, opus habere, judicavi, martemque hinc, qui quippe inprimis bilis quoque deperditas particulas reſarcit, eidem recommendavi: habere vero eos, qui ſæpius eryſipelate corripiuntur, quod ab hydrope ſibi metuant, uti hæc obſervatio teſtis eſt, ita facile pluribus rationibus evinci poſſet.

CCCCXVII.

Salix tumorem pedum diſſipans.

VOcatus ſub hoc ipſum tempus ad phthiſicam quandam fui, quæ poſtquam convenientibus remediis diarrhoeam, qua jam aliquamdiu laboraverat, inhibuiſſet, in pedibus tumorem notare cœpit, huncque pro peſſimo ſigno merito agnoſcens me propterea conſuluit, ubi, cum interna præſertim medicamenta, Pilul. nempe, quas ex Opobalſamo & Specif. Antih. Poter. formandas præſcripſeram, & juſcula herba recenti Bellidis alterata continuare juſſiſſem, hinc vero & fumum ex Succin. & Maſtiche pedibus adhibendum commendarem, illa retulit, cum hiſce diebus hujus tumoris coram quibusdam amicis mentionem injecerit, quædam ſumme comendaverit fol. Salicis pedibus tumentibus applicata; hæcce enim matrem imprimis ſuam ſæpius in ſimili caſu adhibuiſſe, ſemperque tumorem inde ſic conſumtum fuiſſe, ut alio remedio opus non habuerit: Sicuti vero hæ vires, ex qualitatibus quæ Salici tribuuntur, non eliciuntur, ita nec ab aliis eidem adſcriptas memini, tuto interea, quid præſtent, tentare licet, cum niſi profuerint, nocere tamen vix poſſint.

CCCCXVIII.

Faucium inflammatio nunquam parvi habenda.

VIvit hic loci mulier quædam, quæ olim, dum ancillam egit, ſingulis menſibus hoc incommodi habuit, quod per triduum faucium inflammatione tam moleſta correpta fuit, ut non ſolum difficillime quævis ingeſta deglutierit, quin non niſi liquida deglutire potuerit, verum & in lecto ſe detinere opus habuerit, ubi poſtquam bis terve ſudavit, & alia remedia convenientia adhibuit, ad labores ſuos demum redire potuit; tam parum vero ſe hoc modo commendavit, ut nunquam diu uni ſervitio præfuerit, ſed identidem ab una hera dimiſſa aliam quæſiverit; quod vero medicus tum conſultus aliquoties monuit, ne parvi habeat hoc malum, aliquoties enim & vitæ illud inſidiari, tam arcte inhæſit memoriæ cujusdam Matronæ, apud quam etiam

aliquandiu olim ſervam egerat, ut, cum nuper ſervus quidam de deglutitionis difficultate & faucium dolore quereretur, utut conſulti artis periti nullum ſubeſſe periculum, teſtati fuerint, peſſima tamen quæque ſtatim metuerit, hincq; in mandatis dederit, ut accuratior ejusdem geratur cura, quod cum veſperi præcepiſſet, ſequenti die hunc ipſum ſervum vitam cum morte commutaſſe, nunciatum fuit: Subſunt nempe ſubinde cauſæ inflammationis hujus, quæ, ſi in principio negliguntur, poſtmodum tam facile tolli non poſſunt, inprimis autem aliorum viſcerum inflammationem hanc quoque ſubſequi non ſemel hactenus notavi; in quævis itaque ſedulo inquire, ut, ſi vel maxime primarium malum curare non poſſis, hoc tamen prædicendo & monendo tam artis auctoritati, quam propriæ famæ conſulas.

CCCCXIX.

Gingivarum tumoris remedium ſympatheticum.

VOcatus hiſce diebus ad puerulum quendam gingivarum tumore non ita parvo & livido detentum, cum tum ſanguini ſcorbutico corrigendo dicata remedia interna, tum externa convenientia ordinaſſem, mater ejusdem recenſuit, quod hiſce diebus ſe acceſſerit vir quidam, qui mentione hujus ſui filioli facta ſequens remedium ſumme commendaverit; Sumat nempe mater vel & ancilla adſtans panem, eoque tumorem tam diu fricet, donec is hinc inde ſanguine tingatur, atque imbuatur, panisque cruentus poſtmodum in terram defodiatur, ſic enim una cum pane conſumto & tumorem certo conſumtum iri, is qui communicavit remedium, ſancte teſtatus eſt, & aliquot exemplis hoc modo ſanatorum adductis ſententiam ſuam confirmavit: Quid mihi de hoc remedio videatur? interrogatus, illos, qui ſympathiæ aliquid tribuunt, (à quorum partibus ſtantia indies nova experimenta & me recedere penitus hactenus non ſiverunt,) hoc non rejecturos, reſpondi, modoque omnis abſit ſuperſtitio, quin tuto tentari poſſit, nullum eſt dubium; ſicuti vero & aliâs ſympatheticis his remediis ſolis nunquam fido, ita, ut, ſi vel maxime hoc quoque adhibere velit mater, â me tamen præſcripta juxta illud continuet, ſuaſi.

CCCCXX.

Capitis dolor à diæta menſibus fluentibus non ſervata.

VIrgo quædam non ignobilibus edita parentibus, ſeptendecim fere annorum & cetera ſic ſat bene valens, utut olim, antequam menſtruum tributum ſolvere cœpit, ſingulis fere menſibus dolore capitis laborarit, hoc rite ſoluto, ſic etiam ab eodem liberata fuit, ut per integrum & quod excurrit annum, non habuerit, de quo vel minimum conqueri opus habuiſſet; ſicuti vero

vero diætam aliâs non ſervavit, ita & eo tempore, quo menſes fluxere, majorem ejusdem rationem non habuit, eaque comedit, quæ fluxum hunc niſi inhibere interturbare tamen ſolent, nec, quia in principio nil mali inde ſenſit, correxit hos errores, donec tandem iterum prior capitis dolor rediit, & quidem nunc tam vehemens, ut & conſilio meo opus habuerit; vocatus ergo cum cauſam hujus doloris in utero præſertim quærerem, Ventriculo non ab omni prorſus labe immuni prius expurgato, illi inprimis deſtinata medicamenta commendavi, quæ primo parum profuere, donec, cum notaretur, periodicum eſſe malum, & ſub veſperam inprimis redire, hiſce medicamentis febrifuga ſubſtitui, & cereviſiæ, quam hactenus conceſſeram, loco decoctum conveniens bibit; inde enim Dei gratia ſtatim melius ſe habuit, & vix per triduum continuato boc vivendi modo integre convaluit, ſerio tum ab amicis tum me monita, ut in poſterum menſibus præſertim fluentibus majorem diætæ habeat rationem: Licet enim nimium ſolicitas nonnullas qua diætam eſſe, olim jam meminerim, propterea tamen eandem plane negligi poſſe, nemo ſanæ mentis ſtatuet, omninoque ſanitati ſuæ magis conſulunt eæ, quæ omnia, quæ fluxum hunc aut augere aut imminuere poſſunt, diligenter tum temporis vitant, quam quæ quævis absque ullo diſcrimine ingerunt.

CCCCXXI.

Menſium fluxum antecedens tumor totius.

MAtrona quædam aliquot annis quadragenaria major, cum aliquoties menſes nimium fluentes habuiſſet, adeo quidem, ut Cachexia inde jam imminuerit, iisdem aliquantum ſubſiſtentibus vires quidem brevi collegit, at ſubito aliquando non ſolum toto abdomine ſed & reliquo corpore ſic intumuit, ut hydropem quem aliquoties ipſamet ſibi prædixerat, jam iminere nulla dubitaverit; jamq; de remediis quibus hoc malum averti poſſet, ſolicita eſſe cœperit, dum vero hac de cauſa me vocare parat, menſes iterum ſuperveniunt, omnisque tumor ſic diſparet, ut ſimul & omnis evanuerit metus, cum vero haud ita diu poſt me forte fortuna offendiſſet, dicta mihi recenſuit, & quid de Venæſectione mihi videretur? interrogavit, quam, quia aliquoties jam me diſſuadente illam inſtituerat, medicamenta etiam, quæ requirebantur, eam in uſum non ducturam noveram, & orgasmum ſanguinis, unde tumor diſcriptus haud incommode derivatur, hoc modo compeſci poſſe, nullus dubitabam, conceſſi, at parcam, quæ nempe in ejuscemodi caſibus omnino ſufficit; nec habes cur eam, ſi ſimiles adſint circumſtantiæ, non concedas, vel talibus enim ſubjectis eam nil unquam incommodi attuliſſe, quin aliquoties profuiſſe notavi, quando nempe proprio auſu nonnullæ in hoc generoſo remedio auxilium

vel me non ſuadente quæſiverunt: modus tamen omnino ſervandus & tumores à ſe invicem probe diſernendi erunt.

CCCCXXII.

Alvus diu laxa per Iter adſtricta.

VIr quidam nobilis, quinquagenarius fere, ejus conſtitutionis, quæ Veteribus nomine melancholicæ venit, levioribus arthriticis paroxyſmis jam bis terve obnoxius, olim alvum ſemper fere adſtrictam habens, & hinc tum vel vehementioribus medicamentis difficulter mobilem, jam per biennium & quod excurrit, eam tam laxam experitur, ut interdum propterea aliquantum ſit moleſta, dum nempe aut negotia interrumpere, aut ſocios intempeſtive deſerere cogitur; quoniam autem cetera Dei gratia ſic ſat bene ſe habet, quin interea doloribus memoratis non fuit vexatus, ſicut ipſemet, & medicamentis ſe opus non habere credidit, ita nec ego hanc ſententiam improbavi, cum ſine dubio materia vitioſa & acris olim articulis infeſta ſic evacuata fuerit; accidit vero haud ita pridem, quod iter quoddam inſtituit, in quo per tres fere menſes alvus ſic adſtricta denuo fuit, ut vix tantum, quantum vel ſumme requiritur, officio ſuo reſponderit, quod tamen tanquam vel maxime commodum haud ægre tulit, cum præſertim optime juxta ſe habuerit, & vix domum rediens ut prius aliquoties de die ſeceſſerit, quod cum Uxor ejusdem mihi retuliſſet, exinde patere judicavi, quantum aeris victusque mutatio in mutandis corporibus noſtris valeant; ſicuti nimirum nullum eſt dubium, quin hæc in quibusdam morbis maxime ſit proficua, & forſan quidam alio modo curari non poſſint, ita tamen inprimis alvus per itinera & pluribus adſtricta interdum morbos quosdam excitare poteſt, ſi præſertim poſtmodum, quod quidem in hoc ſubjecto contigit, non contingat, ſed alvi pertinax obſtructio inſtet.

CCCCXXIII.

Tuſſis Gravidæ Juſculo Bellide alterato curata.

NObilis quædam Gravida, cetera Dei gratia ſic ſat bene ſe habens, abſoluto nuper ſuper aquam inſtituto itinere tuſſi divexari cœpit, quam parvi habuiſſet, niſi octavo tum menſe utero gerens metuiſſet, ne partum ante tempus promoveat, ſicque fœtus poſtmodum eo difficilius ſervari & educari poſſit; cum ergo forte fortuna me offendiſſet, ut conſilium ſuggeram, rogavit, ſicuti vero juſtum omnino vocavi ejusdem metum, dum crebriores abdominis concuſſiones à tuſſi ſubortas abortum interdum ſubſequi non deſint hiſtoriæ, ita Juſcula Herb. recenti Bellidis alterata eidem commendavi, cumque poſt aliquot dies eam denuo viſitaſſem, & an tuſſis adhuc inſtet, interrogaſſem, vix

bis

bis terve in uſum ductum â me commendatum remedium tantum Dei gratia profuiſſe, retulit, ut jam â tuſſi plane immunis degat; Sicuti vero non ſemel jam in lineis meis hanc herbam me hac ipſa de cauſa commendaſſe, memini, quod & Illuſtres Lipſienſes in Acta ſua Eruditorum referre non dubitarunt, ita inprimis gravidis tuſſim ſedare, non ſemel interea notavi, indeque vel in harum gratiam, dum juxta hoc olim communicata ſimul ſic confirmantur, hæc ſic produxi.

CCCCXXIV.

Arthritis oſſa quaſi luxans.

MAtrona quædam arthritica, ſicuti dum doloribus artuum ſuperiorum torquebatur, longe diutius ab iisdem non fuit liberata, ſed per aliquot hebdomadas decubuit, ita, cum vix duobus, aut tribus menſibus elapſis hi ipſi dolores partes etiam inferiores occupaſſent, hi quidem vix per quatuordecim dies inſtitere, at cum iterum de lecto ſurrexiſſet, tantum inde debilitatos ſenſit pedes, ut quaſi luxatos eſſe, retulerit, & iisdem vix inſiſtere potuerit: quemadmodum vero dolores in hiſce partibus citius intermiſerunt, partim, quoniam ſub priori malo materiæ peccantis non ita parva quantitas diſſipata fuerat, partim quia pedes per continuum decubitum ab externis injuriis magis & commodius muniuntur, unde & ſerum acrius eo citius corrigitur, ita quantum articulis inſidietur hoc malum, hac obſervatione confirmatur, qui â reſtitantibus ſemper quibusdam particulis paulatim ſic debilitantur, ut tandem munus ſuum non niſi difficillime obeant; non tam vero medicamenta externa, quam motum ad diſſipandas has reliquias præcipuus quidam Auctor commendat, experientia nempe edoctus, quod illis adhibitis aut malum nobiliores occupet partes, aut eo citius redeat, quod ipſemet non ſemel notavi, & hinc ſemper magis magisque ab iisdem abhorreo, quantis votis etiam nonnulli arthriticorum eadem expetant,

CCCCXXV.

Inteſtini recti vulnera facile ſanantur.

CUm de inteſtini recti ſectione, ſi morbus requirat, tuto inſtituenda coram lithotomo quodam mentionem injicere haud ita pridem opus habuiſſem, huncque in finem Hippocratis verba: *Rectum inteſtinum & ſecans & reſecans, & conſuens & urens, & putrefaciens, etiamſi graviſſima hæc ſunt, nihil læſeris:* adduxiſſem, is ſubjecit, ſe de hujus effati veritate minime dubitare, non ſemel enim jam ſibi ipſi contigiſſe, quando via brevi calculi ſectionem inſtituerit, quod vulnus inflictum per inteſtinum etiam ad digitos usque ſuos ſic penetraverit, ut vel hos læſos & vulneratos eduxerit, ſemper tamen

ſe hæc vulnera poſtmodum non ita difficulter ſanaſſe: Quo quidem Hippocratis ſententia omnino confirmatur, at ſimul ſuam imperitiam in calculo ſecando hic artifex non parum prodidit, cum peritioribus ejuſcemodi quid contigiſſe, non meminerim, utut forſan alii omnino ſubticeant; non parum autem hoc modo confirmatur illorum ſententia, qui viam hanc minus tutam judicant, hincque ſemper præ hac, eam, qua ſuper inſtrumento non vero ipſo calculo vulnus pro calculo extrahendo infligitur, eligunt, ubi non habent, quod vel ab Inteſtini vel propriorum digitorum læſione ſibi metuant.

CCCCXXVI.

Humorum peccantium ſpecifica differentia indaganda.

QUod de re medica meritiſſimus Georgius Baglivius in ſcripto ſuo de Praxi medica utiliſſimo urget, quod nempe medicus inprimis ſolicitus eſſe debeat, ut ſpecificas humorum morbos producentium differentias rite agnoſcat, qualis nempe exempli gratia ſit humor qui febrem intermittentem producit, quomodo ab aliis differat, & corrigi aut è corpore eliminari poſſit, qualis ſit humor qui mala hyſterica excitat, qui quippe inprimis medicis ſæpius multum negotii faceſſit, ſi unum alterumve moverit, ut magis ſedulo in has ipſas differentias inquirat, & quæ praxis inprimis ſuggerit, communicet, is ſane negotium quidem arduum, at maxima utilitate quævis faſtidia compenſans aggredietur.

CCCCXXVII.

Febris tertiana vini dulcis uſum ſubſequens.

MErcator quidam exercitatiſſimus fere ſexagenarius, temperamenti melancholici & hinc jam per aliquot annos malo hypochondriaco obnoxius, non tamen ſic, ut propterea vel per horam in lecto ſe detinere opus habuiſſet, aut & in ceteris actionibus ſuis vel minimum impeditus fuiſſet, unde & non niſi rariuſcule ejusdem curam quandam geſſit, quando nempe inprimis pectus quoque aggreſſum eſt malum, & reſpirationem difficiliorem reddidit, quod tamen ſymptoma remediis convenientibus facile ceſſit, ſemperque fere Eſſent. Trifol. fibr. ipſi non parum profuit; eo majorem vero hinc tum ipſi tum Uxori metum injecit, cum ſub finem Maji hujus anni primo quidem frigore minus conſueto hinc vero calore p. n. corriperetur, â quo tamen cum ſponte hæc mala ceſſaſſe viderentur, aliquandiu liberati fuerunt, donec nempe tertio die hæc ipſa mala redierunt; denuo tamen ceſſantia vix tanti, quanti primo habita, at cum tertio eundem invaderent, & proſternerent, jamque calor imprimis augeretur, medicamentis opus eſſe judicarunt, hincque me ea veſpera, qua tum proſtratus fuerat, vocarunt; ubi cum in quævis ſedulo indagaſ-

indagaſſem, ſtatim quidem de febre tertiana intermittente cogitavi, at quia tum neminem alium eadem decumbentem noveram,& inſuper quidam adſtantium referebant, ægrotum hiſce diebus ſemper minus bene ſe habuiſſe, donec revera mihi conſtaret, an talis ſit? quale aliâs in febribus continuis ſoleo, medicamentum præſcripſi, quod quidem ſibi profuiſſe credidit, dum nempe ſequenti die febris ſponte iterum remiſit; licet vero illud iteraverit, impediri tamen non potuit, quin conſueto jam tempore febris rediiſſet, adeoque jam de eadem nullum mihi ſuperfuerit dubium; quoniam ergo noveram, ægrotum ad diætæ regulas hactenus non vixiſſe, & ſæpius tum potus nimium ingeſſiſſe, tum cibos coctu difficiles comediſſe, prætereaque bilis abundantis non deerant ſigna, purgans, (quo plerique noſtrorum febricitantium opus habent,) eidem exhibui, huicque febrifuga ex præcipitantibus & Sale ammoniaco petita ſubjunxi, at fruſtra, febris enim ea qua prius vehementia rediit; unde jam in Cortice Peruviano præſidium quæſivi, at & hic poſt ſingulas ſex horas cum Vino ad ſcrupulos duos fruſtra ſumtus fuit, unde jam in forma Electuarii præſcriptum poſt ſingula quadrihoria tempore intermiſſionis eundem ſumere juſſi, quod & Dei gratia tam bene ceſſit, ut nullus alius paroxyſmus ſubſecutus fuerit, cum præſertim me ſuadente Electuarium per integrum octiduum adhuc continuaſſet, non quidem tam ſæpe, ſed primo poſt octo horas, hinc vero ſingulis diebus bis illud ſumendo; conquerebatur tamen de dolore ventriculi gravativo adhuc reſtante, egoque, tum hujus ergo, tum inprimis, ut certior fierem, num febris penitus ſit profligata, purgans eidem exhibui, cui unicum ♀ri Emet. granum addidi, ſed tanto cum fructu, ut ſexies inde multum admodum materiæ peccantis vomitu rejecerit, nec febris poſt hoc medicamentum rediit,quin continuato adhuc per aliquot dies Electuarii memorati uſu,Dei gratia penitus convaluit,cum Eſſ. Abietis,ſalſum de quo adhuc querebatur, ſaporem itidem correxiſſet; Vinum vero dulce, quod prius biberat, & ſine dubio multum in producenda hac febre contulerat, ſepoſuit, & Neccaricum tum tempore remiſſionis, quando adhuc febricitabat, tum poſtmodum ſemper eidem ſubſtituit: quam tutum vero & certum in febribus hiſce remedium Cortex Peruvianus exiſtat, hoc caſu non parum confirmatur, qui quoque alia circa ejusdem uſum notatu digna ſuggerit.

CCCCXXVIII.

Dentes trigeſimo ætatis anno renaſcentes.

Matrona quædam nobiliſſima, triginta quinque annorum, ſero inprimis viſcidiori abunde abundans, unde quale eidem temperamentum tribuiſſent veteres, facile ariolari poteris; cum aliquamdiu dolore dentium laboraſſet, hoc ab iisdem corruptis præſertim originem trahente, ante quadriennium

nium fere unum alterumve extrahi ſibi curavit, nec fruſtra, dolores enim ab illo tempore illam ulterius non incommodarunt; at quod notatu dignum eſt, in hac ætate conſtitutæ poſt aliquot menſes dens novus foveam replevit, unde eo minus extractionis ipſam pœnituit, cum ſic contigerit, quod aliàs nec ſperare quidem licet, faciliusque & alii in dentium evulſionem conſentirent, ſi eos renaſci vel minima ſpes ſupereſſet; ſed gaudium, quod hic dens novus excitaverat, haud ita diuturnum erat, brevi enim poſt ſponte iterum excidebat; at & nunc non ita diu fovea hæc abſque dente conſpiciebatur, paulo enim poſt novus ex illa ipſa enaſcebatur dens, qui vero eam quam reliqui habent magnitudinem vix nactus iterum excidit; ſicque quod cito fit, cito quoque perit; ſique & alii quibus dentes in tali ætate conſtitutis renaſcuntur, pari cum eadem gaudeant fortuna, non habent, quod multum de talibus dentibus gaudeant, cum gaudium non ita diuturnum futurum ſic conſtet.

CCCCXXIX.

Venæſectio ulcus aurium detegens.

Virgo illa, cui Venæſectione in capitis dolore inſtituta hunc potius hoc remedio exaſperatum quam mitigatum fuiſſe, non ita pridem retuli, hoc tamen commodi inde notavit, quod aliquot diebus poſt ſedem hujus doloris veram cognovit, dum nempe ex aure dextra pus profluere cœpit, hocque profluente dolor omnino ceſſavit, unde jam hoc non ſolum mihi detexit, ſed & ut remedia auris ulceri dicata præſcribam rogavit, ubi ſicut Herbas recentes cum Juſculis coquendas ad Sanguinem depurandum inprimis commendavi, ita auri cum bombace Ol. Amygd. amar. cui Balſ. Peruv. immixtum fuerat, immittere juſſi; quod Dei gratia tam feliciter ſucceſſit, ut brevi temporis ſpatio ulcus coaluerit, & ab illo tempore â doloribus ipſam plane immunem degere, heri demum mater ejusdem læta indicaverit; adeo quidem remedia quædam modo quodam juvant, de quo nec cogitavimus, maturationem enim abſceſſus aurem occupantis Venæſectionem hîc promoviſſe, nullum eſt dubium, cum hoc ſæpius eandem præſtare conſtet, uti vero prius nunquam de parte affecta ſola ſed ſemper de totius capitis dolore conqueſta fuit, ita ſic illa quoque innotuit, ut adeo, ſi præſertim ſanguis abundet, â Venæſectione non ſit abhorrendum, ſi vel maxime quomodo ſit jutura? non ſtatim explicari poſſit, ſufficit enim, ſi & morbi accuratiorem cognitionem ea mediante acquiramus.

CCCCXXX.

Paſſio hyſterica periodica.

MIlitis cujusdam non gregarii Uxor, quadragenaria fere, cum aliquot fœtus partu edidiſſet, tandem in illa incidit mala, quæ hyſterica paſſione ipſam laborare abunde prodiderunt, quibus utut Venæſectionem & acidulas oppoſuerit, poſtmodum quidem concepit denuo, at poſt puerperium eadem mala ea qua prius vehementia ipſam invaſerunt, horror nempe calorque identidem ſe invicem excipientes, dolor cervicem primo occupans, hincque per totum caput ſe extendens, ſenſus corporis peregrini gulam occupantis, & ſuffocationem minitantis, motus nervorum ſpasmodici & tremuli; quæ ante trimeſtre fere tantum incrementum ſumſerunt, ut media nocte me propterea vocaverit, jamque mortem inſtare tota credens, hoc per quævis alia ſigna convicto mihi neganti vix aures præbuerit; præſcripſi tamen medicamenta, quæ ſymptomata dicta mitigarunt quidem, at non impediverunt, quo minus quotidie circa veſperam reditum minitata fuiſſent, jamque febris intermittentis metum injeciſſent; unde aliquando ingruentibus his malis me vocarunt, ubi nullum quidem ſignum inveni, quod febrim indicaſſet, quia vero teſtata fuit, ſemper ſub horas veſpertinas ſe magis angi, & poſt mediam noctem demum melius ſe habere, periodici quid una ſubeſſe, non potui non judicare, hincque reliquis & antehyſtericis medicamentis Corticem Peruvianum etiam immiſcui, qui Dei gratia tantum profuit, ut paucis elapſis diebus ipſamet me adierit, & quantum contulerit, retulerit, qua de cauſa, uti balneum, cujus ergo ad reliquias diſcutiendas me conſuluerat, non diſſuaſi, ita ut omnino continuet aliquandiu laudati corticis uſum, ſuaſi; ſat tuto vero in eodem in quibusvis morbis periodicis, ſanabilibus præſertim, refugium quæri, hæc obſervatio denuo confirmat.

CCCCXXXI.

Fluor albus à Gonorrhœa quomodo dignoſcendus.

UT certius conſtet, an fœmina, quæ fluore albo corripitur, hoc ſolo & puro laboret, an vero, uti quidem non raro contingit, gonorrhœa virulenta ſubſit? Georgius Baglivus, vir de praxi medica præ quamplurimis aliis meritiſſimus, inquirere jubet, an menſibus fluentibus dictus fluor ceſſet? an vero una cum iisdem adhuc quædam ejusdem in linteis deprehendantur indicia? ubi, ſi poſterius affirment, de gonorrhœa ſuſpecta nullum ſuperſit dubium; ab eodem vero immunes tuto pronunciari poſſint, quibus fluor albus diutius, quam donec menſes inſtant, & aliquot ſolum ante hos inſtantes diebus, non eſt moleſtus: cumque quo magis hæc mala à ſe invicem

dignoſcere quis didicerit, eo felicius curæ illorum præeſſe poſſit, alia enim gonorrhoea, alia fluor albus requirit remedia, omnino iis gratias debemus, qui non tam multis verborum ambagibus, quam rebus ex ipſa praxi deſumtis hæc talia nos docent, inter quos laudatus Baglivus hodie tantum non primum occupat locum.

CCCCXXXII.

ClaudItas à femoris oſſe luxato.

CUm nuper valde claudicantem quendam juvenem apud Parentes ſuos offendiſſem, mater de eodem retulit, quod lapſu os femoris ante plures annos luxatum ipſi fuerit, licetque aliquot Chirurgi manum adhibuerint, nullum tamen illud ſedi ſuæ ſic reſtituere potuiſſe, quin adhuc vel oculis pateat, quantum ſede ſua motum fuerit, ſi vel maxime quis claudicationem indè derivare nollet; omnibus vero fruſtra tentatis, tandem tum puerum grallis uti cœpiſſe, quibus mediantibus non ita difficulter inceſſerit, at perpetuo grallis uti, tum indecorum ſibi tum grave viſum fuiſſe, & hinc plures ſe conſuluiſſe, an non excogitari quid poſſit, ut ſepoſitis etiam grallis nihilominus incederet filius, exque his quendam ſuaſiſſe, ut hoſce bacculos occultet, & ignem conſumſiſſe illos, edicat, ſicque puerum cogat quaſi, ut ſolus & abs-que tali ope incedere diſcat; quod tam feliciter ſucceſſerit, ut, cum pòſtmodum etiam calceum pedis affecti altiorem fieri curarit, ab illo tempore grallis minime opus habeat: quod vel ideo hic narrare conſultum duxi, quia tam ſæpe in hunc usque diem hujus oſſis luxatio â pleriſque chirurgis aut non notatur, quin, ubi revera facta fuit, acriter â quibusdam negatur, aut &, non, uti requiritur, tractatur, unde nec plures deſunt, qui hac ipſa de cauſa graviter claudicant, ut nempe luxationis hujus major habeatur ratio; quod vero neceſſitas hunc abſque grallis incedere docuit, ſine dubio eadem & alios docebit, modo in tempore adhuc hoc remedium adhibeatur.

CCCCXXXIII.

Oculorum uſu poſt lapſum in aquam carens.

UTi vero nulla calamitas aliâs quoque ſola, ita nec hæc ſola huic obvenit, cum enim decimo quarto ætatis anno vix per quatuordecim dies â morbillis convaluiſſet, aquæ domum præterfluenti neſcio quomodo nimium fidens, in illam cecidit, eique per aliquod temporis ſpatium innatavit, donec mater forte fortuna prætereuns ex quibusdam ſignis agnovit, filium eſſe, qui in maximo ſuffocationis periculo verſetur, unde præ aliis accurrit, & in loco quodam commodo eundem extraxit, ſicque ſat feliciter quidem ex aquis liberavit, at paulo poſt jam fortiter clauſi fuere oculi puero, ut lumine frui

nullo

nullo modo potuerit, unde ocularium quendam acceſſit, qui vi quadam palpebras â ſe invicem divulſit, &, niſi aqua quam ſimul ſuggeſſit, diligenter oculis inſtilletur, membranulam iisdem obductum iri, prædixit; at puero eandem plane non admittente, iterum conſultus Pilulas commendavit, quæ in uſum ductæ oculos aperuerunt, ſicque is viſum recuperavit: utut vero mater coecitatis hujus cauſam in eo quærat, quod puer non ita diu antea morbillis laboravit, ego tamen potius paralytici quid frigus aquæ palpebris induxiſſe ariolor, unde & cephalicæ ſine dubio Pilulæ poſtmodum profuere, ſi enim in ipſis oculis vitium latitaſſet, iisdem apertis viſus tam cito non fuiſſet reſtitutus.

CCCCXXXIV.

Uteri ſemel affecti diu habenda eſt ratio.

FOEmina quædam octodecim annorum, cum ante annum ab imminente hydrope mediantibus medicamentis ê marte petitis Dei gratia feliciter liberata fuiſſet, per aliquot quidem menſes ſic ſat bene ſe habuit, cum præſertim ſemel & menſes rediiſſent, at iisdem ſtatim iterum obſtructis, paulatim in mala incidit prioribus fere graviora, dum non ſolum dolores paſſa eſt totum abdomen pervagantes tam acutos, ut non aliter ipſi viſum fuerit, quam viſcera conſcindi cultris, quos ſubinde harum partium calor excepit tam intenſus, & per reliquum corpus ſe extendens, ut prunis ardentibus impoſitum corpus parere, ſæpius dixerit, ſed & fauces continuo quaſi irritante & exitum querente quodam corpore, difficultateque reſpirandi tam graviter laboravit, ut per menſem jam in lecto ſe detinere opus habuerit, cum ego dicti caſus ergo conſultus fuiſſem, ubi ego, cum nihilominus appetitu illam valere pater retuliſſet, & urina, quam attulerat, nil mali indicaret, illam utero laborare, & â menſibus minus fluentibus mala hæc originem trahere, nullus dubitavi, ad martiata itaque redire hanc fœminam juſſi, quibus antehyſterica immiſcui, quæ niſi malum jam altiores egerit radices, Deo juvante non poterunt non prodeſſe: Multæ vero, quæ ſemel menſibus laborarunt, nam & primus hujus fœminæ morbus ab hiſce minus rite ſe habentibus ortum duxerat, niſi aut medicamenta convenientia diu continuent, aut & cetera exactam ſanitatis ſuæ gerant curam, facile novos contrahunt morbos, de quo ſi eas in tempore monueris, non parum parentium ſanitati conſules.

CCCCXXXV.

Chorea mortem inferens.

QUantum interſit, ut â Tarantulis læſi choreas ducant, & hoc modo venenum ab hiſce araneis communicatum ê corpore eliminent, cum nu-

per coram venerando quodam Sene ê Georgio Baglivo repetiiſſem, ſubjunxiſſemque itidem ex eodem, quod quidam febre maligna laborantes male pro tarantatis habiti, & â Parentibus ad choreas ducendas coacti, duo quidem brevi poſt in mortis prædam ceſſerint, unus vero inter Saltationes perierit; ei in memoriam revocavi, quod ante plures annos hic loci celeberrimi cujusdam optici vidua, cum poſt ſecundas nuptias aliquando in alterius cujusdam amici nuptiis aliquandiu ſaltando ſe exercuiſſet, tandem ſubito queſta fuerit, ſe minus bene ſe habere, cumque vix in ſcala ſedem occupaverit, vitam cum morte commutaverit: uti autem hanc præpinguem extitiſſe, ſimul narravit, ita ne hujus ſortis homines nimium ejuscemodi exercitiis ſe delaſſent, quaſi ê tumulo monet, utut enim non poſſit non ipſis prodeſſe moderatus motus, ſi tamen ſic modum exceſſerint, aliis longe facilius ſuffocantur.

CCCCXXXVI.

Aſelli ſpina tonſillæ infixa.

CAupo quidam non ê minimis, cum aliquando Aſellum piſcem ſine dubio nimis avide ingeſſiſſet, cum juxta carnem & ſpinas deglutierit, illarum unam tonſillæ infixam fuiſſe, ſenſit quidem, at, quia pro parva habuit, nec in principio multum moleſtiæ inde percepit, nullam plane per unum alterumve diem ejusdem geſſit rationem, ſed tonsilla infixum hoc peregrinum corpuſculum ſemper magis ægre tulit, & hinc primo doluit, intumuit; quin tandem ſic inflammata fuit, ut inde inhibita deglutitione, non parva imminuerint pericula, vocavit propterea Chirurgum cognatum, qui applicitis tum externis emollientibus, tum variis gargariſmis Symptomata quidem ſic mitigavit, ut deglutire denuo quævis & muneri ſuo præeſſe potuerit, at ſpinam adhuc tonſillæ infixam hærere, perſenſit; unde prætereuntem aliquando hoſpitium ſuum experientiſſimum quendam alium chirurgum rogavit, ut ipſe partem affectam inſpiceret, & ſi fieri poſſet tam male gratum hoſpitem extraheret, qui illico petito ſatisfecit, & inſpectis tonſillis nec minimum quidem mali oculis incurrit, at cum poſtmodum tonſillam (quam, ulterius non recordabatur,) inſtrumento moviſſet, cuſpidem videre potuit, quem alio ad id apto inſtrumento prehendit, & feliciter extraxit ſpinam, digitum minimum longitudine ad minimum æquantem, quæque jam per octodecim hebdomadas in hac angiportu delituerat: Sicuti vero hac illæ hiſtoriæ, quæ ſat diu aliquid faucium iſthmo inhærere poſſe memorant, augentur, ita tamen donec hoc removeatur, moleſtiam quandam reſtare, ex omnibus illis conſtat, unde ſanitati ſuæ multum conſulunt, qui, quam primum fieri poteſt, illud removeri curant.

CCCCXXXVII.

CCCCXXXVII.

Hepar Gallinæ diffluens.

CUm haud ita pridem magnus quidam Comes hoſpitio meo per aliquot dies uteretur, coquus ejusdem, inter alia Gallinam quæ qua externa ſaniſſima paruit, ad coctionem adaptavit; cum vero inteſtina exemiſſet, hepar ſic diffluxerat, ut adſtans filia mea, noſcens me in ejuscemodi curioſa inquirere, & hoc mihi retulerit, ſique inſpicere velim, ut culinam adeam, dixerit, acceſſi ergo eam non procul â muſeo diſtantem, & ibi inveni hepar fere liqueſcens, molle, & vix tactum in partes ſecedens, colore quidem hoc viſcus referens, at cetera nec minimum cum eodem conveniens, quia tamen reliqua ſic ſat bene ſe habebant, quin eſui ſit nihilominus apta Gallina, nullus dubitavi: ſicuti vero in lineis medicis me hepar anſeris deſcripſiſſe memini, cum hoc fere ſimile, ita hepatis uſu aliquandiu, ſalva vita, quin, quantum oculis patet, integra ſanitate quædam animalia carere poſſe, ejuscemodi hiſtoriæ confirmant, meritoque hinc ſemper pauciores inveniuntur, qui eidem quod olim adſcribunt.

CCCXCXXVIII.

Morbus primo neglectus tandem interimens.

COriarius quidam prope ſexagenarius, vir robuſtus nec ulli fere morbo, quam diu vixit, obnoxius, cum præſertim pro morbis non agnoverit ea mala, quæ alii ſummo jure illorum catalogo inſerunt, dolores nempe lumborum, qui jam per aliquot annos ipſum noctu præſertim tantum torſerunt, ut plerasque noctes inſomnes duxerit, cum enim hi ſubſequenti die, dum labori vacavit, aut plane ceſſaverint, aut ſaltem non fuerint notati ab ipſo, nullo etiam remedio iisdem obviam ivit; donec tandem ante tres fere menſes hos inter labores quoque ſenſit, & calor p. n. præſertim accedens laboribus licet ſedulo continuatis adeo non ceſſit, ut potius tandem eundem in lectum proſtraverit, unde urgentibus ſumme amicis difficulter licet conceſſit, ut ego vocatus fuerim; ubi cum ego non ſolum de ſumma anxietate cordis conquerentem eum, ſed & ſumme debilem inveniſſem, ſtatim peſſima quæque metui, nihilominus vero medicamenta quædam præſcripſi, quæ in uſum ducta calorem quidem febrilem fere penitus extinxerunt, non ceſſit vero cordis anxietas, nec dolores remiſerunt, nec vires inde vel minimum collegit, unde eo magis ſedulo medicamenta continuavit, cumque ex urina & parte dolente tantum non certo conſtaret, renem ſiniſtrum eſſe, qui afficiatur & exulceretur, ceteris medicamenta huc quoque ſpectantia immiſcui; verum enim vero omnia omnino fruſtra, viribus enim indies magis deficientibus, die poſt me voca-

tum ſexto ſic conſtitutum eundem inveni, ut mortem inſtare per quævis indicia patuerit, pulſu inprimis vix ulterius digitos feriente, & ſudore frigido hinc inde erumpente, unde nunc non tam medicamentis quam precibus ipſum opus habere indicavi; Aquam tamen confortantem interdum eidem exhibere juſſi, at, cum prius convulſiones quoque, quas prædixeram, ſuperveniſſent, paulo poſt doloribus etiam tam vehementibus correptus fuit, ut qui prius vix verbum proferre ulterius potuerat, jam clamare cœperit, manibusque inprimis partibus genitalibus admotis, & urinæ nec gutta quidem profluente, quæ partes doleant abunde indicaverit, unde me denuo vocarunt, & ego in miſero hoc ſtatu eundem inveniens, utut vitæ nec minima ſuperfuerit ſpes, ut tamen dolores mitigarentur, catheterem applicare juſſi, quod convulſiones redeuntes impediverunt, unde cepas in oleo frixas parti affectæ ex meo conſilio impoſuerunt, non tamen tam hæ, quam mors poſt aliquot horas ſuccedens finem doloribus quoq; impoſuit: quod autem in pluribus aliis in hoc quoque ſubjecto inprimis notavi, quod cordis vires deficere, & motus humorum fere penitus ceſſare aliquandiu poſſint, ſat ſalvis adhuc actionibus, quæ mediantibus nervis perficiuntur, dum dolores in agone conſtitutus tantum adhuc perſenſit, quin movere corpus iterum potuit, & geſtibus, quam acerbi ſint dolores, indicare: at quantum quoque valeant ſenſibus ejuscemodi mortis candidati, hiſce ſi nunquam fideris, famæ tuæ non parum conſules.

CCCCXXXIX.

Oſſis femoris ſubluxationem ſequentia graviſſima mala.

IN non exigua dignitate conſtituti Viri cujusdam filiolus, per primum quidem biennium ſanitate Dei gratia tam integra fruitus fuit, ut optimum de eodem educando ſpem conceperint Parentes, cum & debitam hoc tempore corporis magnitudinem nactus fuerit, alacris inceſſerit, & plures quoque dentes absque ulla fere moleſtia ipſi eruperint; accidit vero ante quosdam menſes quod neſcio quo caſu pedes ſic divaricavit, ut ab illo tempore primo quidem difficillime per aliquot adhuc paſſus & quidem ductus inceſſerit, inſiſtere vero poſtmodum iisdem nullo modo potuerit, licetque Chirurgus propterea conſultus, omnia bene ſe habere nec oſſa vel minimum loco ſuo mota fuiſſe, teſtatus fuerit, quia tamen puer indies pedem præſertim dextrum pejus ſe habuit, & nec ut tangeretur, ferre potuit, ego quoque conſultus fui, ubi, cum diligenter partem affectam exploraſſem, os femoris ſubluxatum eſſe, inveni, & alium expertum chirurgum propterea conſulere juſſi, qui vero, utut oculis patuerit, pedem hunc altero eſſe longiorem, ſubluxationem ſubeſſe, acriter negavit, & hinc vix impoſito Emplaſtro diſceſſit, at brevi poſt varia ingruere mala, quæ nunc narrabo; primò enim puerulus parte affecta hincque to-

to corpore intumuit, hinc gingivæ hinc inde ſic intumuere, ut & dentes oculis inde ſubtracti fuerint, febricitavit, poſt hæc aliquoties omnis calor naturalis ſic ceſſavit, ut toto corpore frigefactus fuerit, alvus etiam tantum non ſemper nimium fluxerit, unde jam huic jam alteri ſymptomati quavis diligentia obviam fuit itum, licetque medicamenta tantum non ſemper, quod quidem optaveramus præſtiterint, vix tamen uno malorum debellato, aut novum ſupervenit, aut antiquum quoddam recruduit, unde per aliquot hebdomadas tantum non ſemper medicamentis opus habuit; utut vero hæc inprimis cachexiæ & hanc comitanti ſcorbuto oppoſuerim, nil quicquam tamen iisdem profeci, ſed, cum ſub finem tumor indies incrementum ſumſiſſet, jamque medicamenta ſicut olim eundem non imminuiſſent, licet difficulter non reſpirarit, paulatim tamen extinctus fuit: licet vero nullus dubitem, dentitionem etiam in inferendis his malis non parum contuliſſe, quod tamen hæc ipſa difficilius quam olim ſucceſſit, hincque tam gravia ſucceſſere mala, â ſubluxatione ego derivo, hanc enim ſæpiuſcule non rite agnoſci, hincque tam diu negligi donec os ſedi ſuæ reſtitui ulterius non poteſt, plura ſed triſtia exempla probant, quorum nuper admodum itidem mentionem feci; ſicuti vero pedum uſum aliis difficiliorem reddit, ita in hoc ſubjecto humorum motum interturbavit, unde primo viſcidiores facti hinc inde ſtagnarunt, hincque jam extravaſati jam corrupti mala memorata produxerunt, quæ conjuncta dentitio exaſperavit: Utinam vero Chirurgorum multi non tam aliena curarent, quam huic nobiliſſimæ arti diligenter incumberen, tut ejuscemodi errores iisdem exprobrandi rarius occaſio ſuggerereretur, at ſurdis narratur fabula, dum præſertim pauciſſimi, ſi errores tales ipſis deteguntur, id æquo ferunt animo, ſed potius eorundem vel convicti, acriter tamen pernegant, rem ita ſe habere.

CCCCCXL.

Nephriticos dolores ſedans Aqua ſimplex.

Æ Riſculptor quidam, triginta annis major, cum hactenus ſanitate ſic ſat integra Dei gratia, fruitus fuiſſet, ſubito doloribus renis ſiniſtri intenſiſſimis correptus, quo minus aſſuetus his erat, eo magis ægre eosdem tulit, cum præſertim varia remedia fruſtra omnino in uſum duxiſſet; tum ſumta enim aqua neſcio qualis carminativa, tum Oleum Juniperi deglutitum, tum fomentationes adhibitæ dolores non tam deliniverunt, quam potius exacerbarunt, unde tandem meum conſilium expetiit, & ego vocatus ſtatim accedens, quia alvus aperta erat, urina vero minus rite fluebat, & identidem vomendi quidam conatus accedebat, renem eſſe, qui revera doleret, & hinc doloribus nephriticis ipſum laborare, nullus dubitavi, & hinc medicamenta huic inprimis

primis malo dicata præſcripſi, dum vero in iisdem præſcribendis ſum occupatus, per Uxorem interrogat, quo potu ſalubriter uti poſſit, & ego Aquam pane toſto alteratam commendo, poſtmodumque eidem valedico; parantur quidem illico medicamenta, at & ægroto hauſtus aquæ interea præbetur, quem avide haurit, dumque Uxor dolores inde auctum iri, metuit, hi, urina poſt hunc potum fluente, ſic ſedantur, ut an medicamentis poſtea allatis opus habeat? fere dubitaverit; ſumſit tamen ea nihilominus, & inde Dei gratia tam bene ſe habuit, ut ſequenti die ipſum laboribus conſuetis vacantem offenderim: Non eſt tam noxia nempe aqua ac plures eandem habent, ſed in tempore adhibitam interdum medicamenti vices gerere poſſe, per modo narrata conſtat.

CCCCXLI.

Pictura viſum acuens.

PLures jam anni præteriere, quod hic loci vixit mercator quidam celebris, qui filium habuit in prima pueritia oculis ſic laborantem, ut aliquoties eorum uſum fere omnem amiſerit, qui cum vix poſt applicatum inprimis ſetaceum rediiſſet, ut viſum integrum recuperaret ſoliciti Parentes, varios amicos propterea conſuluerunt, quibus cum ſimul indicaſſent, ſumme delectari pictura filiolum, unus ex illis ſuaſit, ut hujus artis peritis tradatur, ut nempe eandem addiſcat, ſic enim viſum ſemper occupatum indies magis acutum futurum, quod conſilium, utut nonnulli riſerint, ob ſummum tamen ipſius pueri deſiderium, illi executi ſunt, puerque brevi artem ſic addidicit, ut ſuo tempore inter celebres Pictores numerari meruerit; quod nempe aliis viſum indies magis imminuit, huic eundem acuit, Spiritibus non tam deficientibus, quam humoribus vitioſis involutis, hoc vero modo evolutis quaſi & in actum elicitis; qui dum in aliis conſumuntur, indies revera magis deficiunt: Non quivis ergo, qui oculis minus valent, ad picturam ſimileſque artes addiſcendum ſunt inepti, ſed in pueris præſertim hoc vitium adhuc corrigi ſubinde poſſe, quin has ipſas artes ad illud corrigendum non parum conferre, modo deſcriptus puer egregius teſtis eſt.

CCCCXLII.

Calculus in perinæo genitus.

CUm nuper experientiſſimus Ulmenſium Chirurgus Georgius Riedlinus, Cognatus meus dilectus, huc vocatus, varios mecum ſeruiſſet ſermones de iis præſertim, quæ calculi ſectionem ſpectant, inter cetera retulit, quod haud ita pridem delatus ad ipſum fuerit Juvenis quidam, qui ab illo tempore, quo male doctus lithotomus calculum mediante ſectione ex veſica ejuſdem exemerit,

merit, non ſolum vulnus propterea inflictum integre conſolidatum non viderit, & hinc urinam tum per ordinariam viam, tum ulcuſcula reſtitantia reddiderit, ſed & parte affecta perinæo nempe tum intumeſcente paulatimque inflammato tam acerbos paſſus fuerit dolores, ut opem ſuam ſubnixe imploraverit; ubi cum locum dolentem exploraverit, ſe ſtatim aliquid duri deprehendiſſe, & hinc de calculo latitante nullum dubitaſſe, hunc etiam paulo poſt ſe inveniſſe, articulumque digiti medii extremum magnitudine æquantem non ita difficulter extraxiſſe, unde quidem dolores remiſerint, ægerque longe melius ſe habuerit, at reſtitiſſe ulcera fiſtuloſa, quæ tamen cauterio potentiali â callo liberata non ita diu poſt Dei gratia itidem feliciter coaluerint, ſic ut jam integra ſanitate juvenis hic gaudeat: Sicuti vero exinde conſtat quantum interſit, ut is, qui calculi ſectioni ſe ſubjicit, magiſtrum in hac arte peritum & exercitatum eligat, cum non ſufficiat, ut calculus extrahatur, ſed præter plura alia vulneris etiam inflicti ſumma ſit habenda ratio, ita, ſi vel maxime ab uno alterove ſic ſecti non reſtituantur, & hinc vel graviſſima reſtitent mala, propterea tamen non ſtatim omnino deſperandum, ſed potius magis expertos Chirurgos quærendos eſſe, hæc obſervatio docet.

CCCCXLIII.

Arthritidis cura ſympathetica.

SUb illud ipſum tempus Conſilio quoque interfui una cum venerando Sene & multorum Principum Medico DD. Bilgero, qui cum curæ ſympatheticæ forte fortuna mentio fieret, ſequentia communicavit: Magnum quendam Belli Ducem in bello, quod nuper Imperator feliciter cum Turcis geſſit, captivum inter ceteros duxiſſe medicum quoque hujus gentis, & hunc interrogaſſe, an populares quoque ſui interdum arthritide laborent? quod hic quidem in principio pernegarit, at tandem vi coactus faſſus fuerit, ulteriusque & de remedio, quo communiter utantur, interrogatus, ſequens detexerit; quamprimum dolores arthriticos quis ſentiat, Scarificationem in parte dolente illum inſtituere, ſanguinem ſubtractum ovo vacuo includere, hoc probe clauſum gallinæ ſupponere, & poſtmodum cani famelico illud exhibere, qui inde Scabioſus evadat, levamen vero ægrotum inde ſummum percipere, quod & ipſemet aliquando tentarit, omniaque ſic ſucceſſiſſe, adeoque ſe nullum dubitare, quin, ubi opus ſit, non ſolum licitò ſed & tutiſſime talis cûra inſtituatur: Quæ ſicuti pro cura ſympathetica â doctiſſimis viris rationibus non contemnendis impugnata ſtant, cum præſertim & alii ſimiles fere curas ſuggeſſerint, ita dantur caſus, in quibus ejuscemodi remedia & medici iisdem non ita multum tribuentes commendare quaſi coguntur, aut aliis nempe fere

prorſus deſtituti, aut pluribus hiſtoriis illorum, qui hoc modo ſe curatos teſtantur perſuaſi, qualem craſtina die leges.

CCCCXLIV.

Verrucæ cura ſympathetica.

MErcator quidam pius & veritatis amantiſſimus, cum heri deſcriptis ſermonibus interfuiſſet, ſequentia ſuperaddidit: Plures jam anni ſunt, quod ego in oculi ſiniſtri cantho majori alui verrucam primo quidem parvam & hinc minus moleſtam, at cum indies incrementum ſumſiſſet, & tandem non ſolum faciem deformaſſet, quod quidem minus curaſſem, ſed & metum injeciſſet, ne tandem viſum ſit impeditura, propterea amicos quosdam conſului, nec tamen vel minimum profuere aliquot non parum commendata remedia, donec quidam acceſſit, qui lardo perfricare verrucam, & hoc lardum de filo ſuſpenſum ſolis radiis me exponere juſſit, ſic enim una cum conſumto lardo verrucam etiam conſumtum iri, aſſeverans; ſuperſtitioſi nil ſubeſſe cernens ego, ſermonem continuavit mercator, remedium adhibui, & ecce! vix ſolis radiis expoſitum fuerat lardum, ſtatimque ego pruritum minus conſuetum in verruca percepi, quem de die quidem fricando delinire vix auſus fui, metuens nempe, ne malum inde exaſperetur, non ſic vero & per noctem in ſomno â fricatione me abſtinuiſſe, dum ſingulis fere diebus mane aliquantum cruentam & cruſtula fere obductam verrucam inveni, certior factus fui, unde ferme in principio hujus inſtitutæ curæ me poenituiſſet; verum enim vero haud ita diu poſt hæc, indicia fuiſſe, brevi poſt diſparituræ hujus excreſcentiæ vitioſæ, patuit, dum paulatim exaruit, & integra decidit, adeo ut ejusdem vix veſtigium quoddam ſuperſit, quod ipſemet accuratius partem olim affectam inſpiciens ſic inveni: ſæpius vero hoc modo verrucas curatas fuiſſe, olim jam notavi, quam ponderoſæ ergo curæ ſympatheticæ refragentur rationes, cum tamen experientia tam ſæpe pro eadem ſtet, quin huic quoque aliquid ſit dandum, & non neglectis aliis medicamentis talia quoque tentare liceat, ego nullus dubito, cum ſi vel maxime non proſint, rite tamen inſtitutæ minime nocere poſſint.

CCCCXLV.

Barba ſe ipſum ſuſpendens.

BArbas olim nonnullos prolixas valde aluiſſe, cum nuper coram Illuſtri quodam Viro mentio fieret, is quidem hoc confirmavit exemplo hic loci notiſſimo, mercatoris celebris, cujus barba hodienum ob inconſuetam longitudinem aſſervatur; at adſtans quidam peregrinus fide digniſſimus Vir ſubjecit, quod olim in patria ſua vixerit opifex quidam, cujus barbam ut inter majores

referatur

referatur, meruiſſe, vel ex facinore, quod ea mediante perpetrarit, conſtet; cum enim neſcio quibus ærumnis preſſus, tandem de omni ope Divina juxta humanaque deſperaviſſet, & ſuſpendio vitam decurtare ſecum conſtituiſſet, alium laqueum ipſum non elegiſſe quam propriam barbam, hancque huic ſceleri ſic ſuffeciſſe, ut de eadem ſuſpenſus inventus fuerit; peſſimus nequam, qui, quam alii in tanto honore olim quovis tempore habuere partem, tam male adhibuit, meliusque nullam prorſus aluiſſet, quam quod tantum eadem abuſus fuit.

CCCCXLVI.

Nummus palato infixus.

DE palati dolore conquerebatur cujusdam ruſtici filiolus, qui tum forte fortuna & ſuo infortunio præſentem agyrtam quendam propterea conſuluit, qui hujus farinæ hominum more ſicuti malum mirum quantum extulit, ita certam tamen curam ſpopondit; cum vero varia remedia fruſtra applicaſſet, quin malum tandem ſic exaſperatum fuiſſet, ut os quoque corroſum eſſe, ex nigra, quam in hac parre conſpexerunt macula, judicaverint, Chirurgum illum celebrem, quem nuper demum laudavi; propterea conſuluerunt, qui cum ſtylo maculam illam exploraſſet, ſtatim non tam os quam peregrinum quoddam corpus eſſe, notavit, hincque in illud diligentius inquiſivit, quin forcipe tandem arripuit, nec ita difficulter extraxit, cumque accuratius inſpexiſſet, dimidium crucigerum eſſe, invenit; uti vero hic omnis mali cauſa extiterat, ita hac ſublata, illud quoque ceſſavit, nec puer alia opus habuit medicina, quam quo læſum inde palatum conſolidavit, quomodo vero hic nummus eidem infixus fuerit, diſputabatur, nec defuere, qui credidere, ipſum agyrtam illum intruſiſſe, ut nempe os eroſum eſſe, quod is edixerat, eo facilius crederent, at aut omni rationis uſu privatus fuerit, oportet, aut inſtrumentis aptis deſtitutus, niſi ipſemet, quod ſe intruſiſſe ſic noverat, extraxiſſet iterum, cum ſic famam, quam quæſivit, ſine dubio acquiſiviſſet, quæ, modo unquam bona fuit, dum fuga ſibi conſuluit, non parum lædebatur; unde ego potius ariolor, puerum, ſicuti non raro ſolent, nummo luſiſſe, & hinc eundem in ore occultare forſan voluiſſe, unde in margine acutior, quales hi nummi ſunt, primo adhæſit palato, hincque mediantibus cibis linguaque ſemper magis eidem infixus fuit, unde paulatim dolere cœpit, reliquaque mala ſubſecuta fuere; quod vero puer ipſemet hoc non ſtatim detexit, aut labilis memoria, aut, quod nummum ſe perdidiſſe & aliud quid palatum irritare credidit, in cauſa fuêre: quam tamen ſententiam ſicuti nemini obtrudo, ita quam caute de cauſis morborum judicandum ſit, hæc quoque hiſtori

ſtoria confirmat, quis enim unquam in hac parte nummum latitantem quæſiviſſet.

CCCCXLVII.

Ardor Ventriculi Vino Muſcato cedens.

DE Vini Muſcati, quod â Magnifico quodam Senatore mane quodam appoſitum fuerat, in ſedandis doloribus colicis præſtantia cum coram eodem tempore laudato medico mentionem feciſſem, is ſubjecit, ſuæ aliquando Curæ creditum fuiſſe Abbatem quendam magnum, qui cum in ardore Ventriculi moleſtiſſimo varia alias laudatiſſima medicamenta præcipitantium nomine venientia fruſtra in uſum duxiſſet, quodam tempore hoc ipſo malo tortus hoc ipſum Vinum biberit, indeque ſtatim tantum ſavamen perceperit, ut malo redeunte in hoc ipſo remedio ſat jucundo iterum auxilium quæſiverit, nec unquam quidem fruſtra, unde tandem & aliis idem commendaverit: originem nempe hic ardor plerumque trahit ab humoribus acribus viſcidis & crudis ſtomacho inhærentibus, quorum quosdam dulcedine ſua invertit & quaſi magis excoquit, unde poſtmodum moleſti eſſe deſinunt; uti vero hac cauſa præſente & aliis ſine dubio proderit, ita ſi contra particulæ ſulphureæ ardorem produxerint, eæ potius inde augebuntur, unde nec ardor ceſſabit; non vero ſemper præcipitantia in hoc malo ſufficere ſi ex hoc caſu didiceris, non fruſtra eundem legiſti.

CCCCXLVIII.

Luis veneræ non ita vana ſuſpicio.

JUvenis quidam Sartor octodecim & quod excurrit annorum, ante ſemeſtre fere me accedit, & tam de doloribus artus præſertim occupantibus & tum motum impedientibus tum ſomnum præcipue interturbantibus quam de olfactus defectu & narium exulceratione quadam conqueritur, interrogatusque refert, quod ante quatuor jam annos primo quidem arthritide laborarit, hinc vero ſemper minus bene ſe habuerit, & inprimis cum modo memoratis malis conflictatus fuerit, quibus quævis remedia fruſtra oppoſuerit, licetque vel celebrem illum Ulmenſibus ſervitia præſtantem excoriatorem itidem conſuluerit, & ab hoc tamen ſuggeſtum decoctum, quod quibusvis commendet, utut ſæpius & vehementer alvum moverit, nec minimum quidem profuiſſe, quin poſtea ulcera quoque in pedibus ſuperveniſſe, quæ aliquoties conſolidata brevi poſt recruduerint, cetera vero nec appetitum deficere, nec ullum aliud malum ſe notare: hiſce probe perpenſis, ego ſtatim de lue venerea cogitavi, hincque, niſi cura quædam diuturnior & accuratior inſtituatur, ipſum vix ac ne vix quidem curatum iri, edixi; utut vero hujus mali vel mentionem fieri,

ri haud ita æquo tulerit animo, quia tamen præmiſſo purgante, æthiopem mineralem tum â me præſcriptum non absque fructu quodam in uſum duxit, hocque huic præſertim malo accommodatum eſſe remedium ex me percepit, paulatim verbis meis majorem adhibuit fidem, & aliquoties, ſe cum quodam, quem lue gallica infectum fuiſſe ipſe credat, in eodem lecto dormiiſſe, faſſus fuit; ſeu vero hoc ſeu alio modo infectus fuerit, niſi huic inprimis malo obviam eatur, ſymptomata nunquam ceſſatura, ſemper magis credidi, unde tandem, cum prius fruſtra aliquot alios medicos conſuluiſſet, ut ego curam convenientem inſtituam, rogavit; nec ego defui ejusdem petito, ſed præmiſſo purgante ex ☿ dulci & Magiſt. Jalapp. conſtante, Turpethi miner. gr. v. cum Extr. Trif. fibr. in Pilul. redacti ter eidem exhibui, ſimulque Decoctum pro potu conveniens ordinavi; utut vero ſumto Turpetho gingivæ partesque vicinæ vix multum doluerint aut intumuerint & excoriatæ fuerint, multum tamen ſalivæ profluxit, ſimulque ulcera in pede exaruere, & dolores artuum non parum remiſere; at quoniam poſt octiduum fere ſalivæ fluxus tantum non plane ceſſabat, nares antiquum tenebant, nec dolores penitus remittebant, ſalivationem omnino continuandam eſſe judicavi; hunc vero ſcopum nunc mercurio dulci me obtenturum, ſperans, hujus ſcrupulum ter eidem exhibui, at voto meo is minime ſatisfecit, nec ſaliva inde vel minimum fuit mota, unde ad prius medicamentum redii, quod bis iterum ſumtum ut prius ſalivam concitavit, at nec inde omnia ſymptomata ſic ceſſarunt, ut, malum radicitus extirpatum eſſe, credidiſſem; unde, cum cetera optimè ſe haberet, viresque omnino concederent, ter adhuc Turpethi ſupra ſcriptam doſin eidem porrexi, hincque cum ſalivæ vitioſis particulis ſcatentis non ita exiguam quantitatem ſputo, per quatuordecim dies, absque ulla fere notatu digna moleſtia, rejeciſſet, jam Dei gratia tam bene ſe habet, ut non ſolum nec minimum quidem perſentiat dolorem, ſed & naribus oblata quævis jam olfactu diſcernere denuo poſſit, pusque (hujus ergo adhibito etiam Balſamo Peruviano) ê naribus nullum ulterius profluat: Sicuti vero hic juvenis vix ac ne vix quidem curatus fuiſſet, niſi hoc modo rem aggreſſus eſſem, ita ſi talibus ſymptomatibus præſentibus luis venereæ ſuſpicionem concipias, hæc raro fruſtranea erit; patet autem inſuper ex hac obſervatione, quod non omnibus æque moleſta ſit ſalivatio mercurialis, & quod, concedentibus reliquis indicantibus, tuto interdum ſic ſat diu continuetur.

CCCCXLIX.

Pleuritis ſpuria ab alvi obſtructione febrem ſubſequente.

MErcator ille, cujus Obſervat. CCCCXXIV. mentio fuit facta, cum â febre liberatus per integrum & quod excurrit menſem tam bene Dei

gratia ſe habuiſſet, ut mala quoque quædam quibus olim ſemper fere ſubjectus fuit, penitus ceſſaverint, nec ullum in diæta errorem commiſiſſet, ſubito doloribus lateris ſiniſtri punctoriis tam intenſis correptus fuit, ut & â clamoribus ſibi temperare non potuerit, hique inprimis, quando decumbere volebat, in tantum augebantur, ut unam alteramve noctem ſedendo conſumſerit, cum præſertim prima nocte conſilium meum expetiiſſet quidem, & juxta illud potiunculam quandam præſcriptam ſumſiſſet, at vel paululum melius ſe habens ſequenti diem adventum meum non expectaſſet, ſed extra domum labores ſuos iterum aggreſſus fuiſſet; hinc enim dolores tantum exaſperavit, ut me vocare opus habuerit, ubi accedens ipſum â febre immunem, non ita difficulter reſpirantem, planeque non tuſſientem inveni, non tam veram itaque quam ſpuriam Pleuritidem eſſe hanc nominandam judicavi, quoniamque ab obſtructione alvi, cui â febre curata obnoxius fuit, originem trahere, nullus dubitavi, illi quidem ſtatim in principio obviam iviſſem, Clyſteremque inprimis præſcripſiſſem, at quia in hujus applicationem tum non conſentiebat, & poſt meridiem vocatus ego ægro qui jam pranſus fuerat laxans exhibere non poteram, carminativum eidem præſcripſi medicamentum, quod dolores delinivit quidem, at non ſuſtulit; unde ſequenti die Potiunculam laxantem eidem exhibui, quæ alvum nec ſemel quidem movit, unde jam, ut in Clyſteris applicationem conſenſerit, coactus quaſi fuit, qui & Dei gratia tantum profuit, ut totam ſequentem noctem quietam duxerit, nec â doloribus vel minimum incommodatus fuerit, jam ergo alio remedio, quam quod alvum apertam ſervaret, ipſum non habere opus, ſic ſat conſtitit; ſicuti itaque hunc in finem diætam priorem commendavi, & cereviſiam, â qua hactenus abſtinuerat, bibere iterum juſſi, ita Paſſulæ laxativæ bis terve ſumtæ alvum itidem officii ſui tam memorem reddiderunt, ut jam Dei gratia integra gaudeat valetudine: non itaque contemnenda eſt alvi obſtructio poſt morbos quoſdam reſidua, niſi enim & hanc curaveris, nova ſuborientur mala, multum vero in ejusdem curatione conferre, ſi ægri ad priorem redeant diætam, non ſemel jam obſervavi.

CCCCL.

Medicina priſca non eſt rejicienda.

NEque ſane priſcam artem medicam ideo, quod omnium exactam diligentiam non habeat, quaſi ars nulla ſit, aut non recte inveſtigata, rejiciendam cenſeo, Verum, cum prope ad veritatem accedere liceat, ſimulque eo ratiocinando pervenire, multo magis admiranda veniunt, quæ ſunt ex magna ignoratione eruta, velut probe & recte, non autem fortuito inventa: Aurea hæc Hippocratis de priſca medicina verba hic repetere placuit, in gratiam novitatis

vitatis nimium ſtudioſorum, quibus non jam illa antiqua, ſed & Hippocratica ipſa, magisque expolita tantam movent nauſeam, ut non jam nec limis quidem oculis adſpicere dignentur, verum & mire in eadem nec cognita quidem debacchentur, qui tamen, niſi glaciem hi primi fregiſſent, medicinam exercere minime poſſent, ut adeo omnino ingratorum claſſi inſcribi mereantur.

CCCCLI.

Catarrhus periodicus.

ARtifex quidam celeberrimus, cum aliquoties poſt labores ſuós de capitis dolore intenſo conqueſtus fuiſſet, Pilulas aliquando ſumſit, quarum præcipuum ingrediens præter purgantia Mercurius dulcis conſtituerat, quibus catarrhus ſucceſſit, primo quidem moleſtus, at quia levamen quoddam attulerat, & dolores ſuſtulerat, non adeo ingratus, cum præſertim vix per triduum inſtitiſſet, at cum hic vix elapſis octo diebus iterum & quidem majori cum vehementia rediiſſet, primo quidem nec de hoc admodum ſolicitus fuit, niſique iterum poſt idem tempus ipſum incommodaſſet, me propterea non conſuluiſſet, ubi ego Tragæam quandam convenientem præſcripſi, quæ quidem malum inhibuit, non impedivit autem, quin poſt ſingulos octo dies ejusdem quoddam indicium notaverit, imo cum tandem hunc pulverem aromaticum ſepoſuiſſet, priori cum vehementia rediit catarrhus, & quidem ſemper poſt ſingula octidua, triduo exacto denuo ceſſans; niſique tam continuo tum temporis ſerum ê naribus ſtillaſſet, ut & laboribus ſuis vacare non potuerit, conſilium meum denuo nòn expetiiſſet, ſed cum catarrhus terve quaterve ſic eum incommodaſſet, ut eidem remedia opponam, ſecundò me vocavit, egoque ſequens Electuarium præſcripſi

℞. Conſerv. Ros. r. ant. ℥j.
Anth. ℥ß.
Succin. alb. pp.
Maſtich. el. aa ʒj.
C. Sir. de Poeon. q. ſ. f. Electuar.

Sign. Lattwerg / davon ein Muſcatnusgroß auf einmal zunehmen.

Quod Dei gratia tantum profuit, ut brevi poſt, amico quodam catarrho laborante, hic ipſe illi illud mirum quantum commendaverit, indeque ut hîc communicem me moverit: Nota vero, non in quovis catarrho ſed in tenui præſertim, te illud cum fructu aliis commendaturum.

CCCCLII.

Calculoſus impotens.

ANte quosdam menſes vocatus fui ad Virum quendam ſexagenarium, de dolorifica inprimis mictione conquerentem, cui, ut conſtaret certo num calculo an vero alii cauſæ hæc originem ſuam debeat, explorationem per chirurgum peritum inſtituendam commendavi, quam & paulo poſt inſtituit; at lithotomo ſancte aſſerenti calculum non adeo parvum in veſica latitare adeo fidem non adhibuit, ut potius hac ipſa de cauſa eundum dimiſerit, & neſcio quos empiricos, qui falſa eundem ſpe erexerunt, conſuluerit, qui tamen medicamentis ſuis ejusdem mortem ſine dubio promoverunt, cum alio notatu digno morbo non antecedente fatis ceſſerit: Narravit autem hic mihi, cum me conſuluiſſet, ſe ex illo tempore ex quo tantos dolores in urinæ redditione percipiat, ad venerem quoque prorſus impotentem factum fuiſſe, & jam per integrum & quod excurrat biennium ſicuti veneris ſtimulos nunquam ſenſiſſe, ita rem cum Uxore habere non potuiſſe; quod vel ideo notatu dignum judico, quia alias calculoſos potius ad Venerem eſſe pronos conſtat, ipſemetque novi quendam, qui, utut ſæpius doloribus calculi horrendis divexetur, tantum non ſingulis annis tamen liberos procreat.

CCCCLIII.

Arthritis per veſtes contracta.

ARthritidis contagioſæ hiſtorias, quas Ephemeridibus Naturæ Curioſorum inſeri curavi, cum nuper coram quodam Illuſtri Viro mentionem injicerem, is retulit, ſe noſſe Chirurgum quendam, qui olim magni cujusdam Comitis arthritide valde divexati Cubicularium egerit, â quo ſicut dono acceperit plerasque veſtes, quas ſepoſuit, ita cum poſtmodum easdem induiſſet quoque, ſimul miasmata arthritica ſibi communicata fuiſſe, ſic perſenſerit, & hodienum ſentiat, ut niſi dolores majores ſimiles tamen cum Patrono ſuo ſæpiuſcule perpeſſus fuerit, & adhuc patiatur: ubi nempe extremarum partium robur vix terminos conſuetos attingit, corpus particulis vitioſis abundat, hæque diæta minus conveniente quotidie non tam imminuntur quam augentur, cum his conjunctæ eæ, quæ ê corpore arthritico exhalarunt, uti facile ſe invicem pervertunt, ita in articulis debilioribus moram trahentes non poſſunt non iisdem vellicando, diſtendendo, rodendo aliisque pluribus modis eſſe moleſtæ, hincque tales inprimis, ut ab ejuscemodi veſtibus ſibi caveant, opus habent, licet unusquisque, qui easdem fugit, magis ſanitati ſuæ conſulat, quam qui illis utitur.

CCCCLIV.

Odor Cadaveroſus non ſemper mortem denunciat.

SIcuti quævis, quæ circa ægrotum contingunt, medicus genuinus ſedulo obſervat, ita odoris quoque rationem quandam merito habet, uti enim hic expirans interdum morbi cauſam magis prodit, ita quando cadaveroſus exiſtit, plerumque mortem portendere cum heri in celebri quodam Authore legiſſem, non niſi experientia præeunte eum hoc ſcripſiſſe, ipſe aſſerere poſſum, cum ejuscemodi quid inprimis in uno alterove filiolorum meorum demortuorum me obſervaſſe meminerim; at ſimul in memoriam mihi revocatum fuit, quod ante quosdam annos cum experientiſſimo quodam medico adſtiti generoſiſſimæ cuidam Matronæ, in cujus cubili ſe talem notare odorem hic totus credidit, & hinc peſſima quæque metuit; ſicuti vero, ut ingenue fatear, nares meæ tum acutæ tam non fuere, ut itidem eundem percepiſſent, ita reliquis ſignis meliora ſperare jubentibus, huic unico minus fidendum eſſe, tum judicavi, nec, quod eventus docuit, male; Matronam enim hanc convaluiſſe, poſtmodum per certos nuncios conſtitit; uti ergo uni ſolum ſigno, raro tuto fiditur, ita nec huic ſoli unquam fidem adhibebis.

CCCCLV.

Abdominis inflatio à cereviſia frigida pota.

MAtrona quædam nobiliſſima, ſexagenaria ſanguine quidem at craſſiore & identidem in motu ſuo tardiore abundans, hincque habens quod ab Apoplexia ſibi metuat, cui & hactenus medicamenta quædam volatilia non ita fruſtra oppoſuit, cum media æſtate, ſitis levandæ gratia hauſtum cereviſiæ ejus equæ fuſcæ nomine venit & quidem frigidioris bibiſſet, & haud ita diu antea ira effervuiſſet, inde ſtatim pejus ſe habuit, ſicque expalluit, ut & adſtantes notaverint, non tamen detexit ipſamet, ſed & quantum potuit ſubticuit, domumque ſe contulit, ibique ſemper pejus ſe habens, abdomineque inprimis ſic inflato, ut difficillime reſpirarit, & veſtes relaxare opus habuerit, noctu me conſuluit, cumque ancilla de doloribus punctoriis ſimul retuliſſet, ego recordatus, quod olim poſt talem potum bis terve eryſipelate laborarit, ne forſan huic pleuritis ſuccedat, metui; noſcens verò quantum & in cruditatibus corrigendis conferat, Tincturam Beſoarticam commendavi, quam quidem ſumſit, at ſicut, cum ſequenti die eandem viſitaſſem, metum â Pleuritide meum inanem deprehendi, ita nunc de abdominis præſertim inflatione conqueſta fuit, quæ ſomnum per totam noctem impedierit; purgans itaque omnino eidem exhibuiſſem, at quia haud ita pridem Vinum medicamentum purgans biberat, materiaque non tam quantitate quam qualitate, quadam fermentante peccare

conſtabat, Elixir. Aperit. Clauderi potius commendavi, utque alvus certius aperta ſervaretur, juxta illud Pilulas etiam Emanuelis ſumſit, quæ Dei gratia tantum profuere, ut tertio die inflatio remiſerit, ipſaque, de quo ulterius queratur, vix habuerit: non tantum nempe prodeſt, quantum gulæ arridet potus frigidus, ſi præſertim avidius & præcedente tali animi affectu hauriatur, niſi itaque eidem minus præſertim aſſueti ſe continere didicerint, non mirentur, ſi hiſce ſimilibusve malis poſtmodum corripiantur, cum præſertim & hæc ipſa cereviſia non quibusvis æque proſit.

CCCCLVI.

Alvi fluxus in Gravida.

MErcatoris cujusdam Uxor, triginta annis major, ſexto gravida, menſe fere octavo alvi fluxu corripitur tam ſæpe moleſto, ut, licet viribus minime inſidiatus fuerit, ne tamen fœtui ſit nociturus, metuerit; unde cum Rhabarbaro ſumto minime ceſſaſſet, me propterea couſuluit, egoque fluxum pro critico fere habens, eum ſtatim non eſſe ſiſtendum ratus, non tam adſtringens quam Ventriculo roborando dicatum medicamentum præſcripſi, quod per aliquot dies in uſum duxit, at fluxus ut prius inſtitit, jamque laſſitudinem quandam produxit, unde me denuo conſuluit, cum prius iterum Rhabarbarum ſumſiſſet, adſtringentes ergo nunc Pilulas præſcripſi, quæ voto noſtro ſatisfecere; at ſuccedens his dolor dentium immanis non tam humores quosdam laudabiles, quam acres ſeroſosque in alvi illo fluxu rejectos fuiſſe, me docuit, unde jam his corrigendis dicata remedia ſuaſi; patet autem ex hac obſervatione, nec gravidis ſemper nocere alvi fluxus, hincque illos, ſi cetera quoque permiſerint, non ſemper ſtatim ſiſtendos eſſe.

CCCCLVII.

Eryſipelati dicata duo remedia.

ERyſipelate laborantem quendam præcipuum Virum cum uti fieri ſolet, quidam amici viſitarent, inter hos quidam munere hoc ſuo ſe haud rite defunctos fuiſſe, credentes, niſi & remedium quoddam communicarent, ex illis unus remedium à me commendatum, farinam nempe hordei & Pulv. Radic. Liquir. parti affectæ inſperſa non rejecit, at alium modum magis laudavit, ut nempe prius calefiant hi pulveres, inſuperque non ſolum de die bis uti ego quidem ſuaſeram, ſed poſt ſingula bihoria applicentur, ſic enim ſe ipſum, & quidem breviſſimo temporis ſpatio ab hoc malo liberatum fuiſſe, dolores vero ſimul ſe tantos perſenſiſſe, ut niſi ſic ſæpius remedium iteraſſet, iisdem ferendis vix par extitiſſet: hic modus vero licet omnino non ſit rejiciendus, cum ſine dubio calor actualis in diſſipandis particulis peccantibus aliquid conferat,

ubi

ubi tamen dolores tantum non urgent, nec tanta cura opus eſt, quin nullum eſt dubium, quin in quibusdam tam ſæpe iterata applicatione calidorum pulverum malum exacerbari poſſet, adeoque merito modus conſuetus tutior nominandus erit, donec nempe ipſe mali mos eundem mutare juſſerit: Acceſſit vero alia, quæ eodem modo Mentham parti affectæ impoſitam laudibus extulit, ſe hac ſola unius diei ſpatio ab hoc malo liberatam fuiſſe, teſtata, cui uti fidem omnino adhibendam eſſe, non eſt dubium, ita cum alii hujus herbæ in hoc malo pellendo vix mentionem faciant, cum rejici non mereatur, ut communicetur hoc quoque remedium, dignum judicavi: notandum vero, quod ipſum hoc malum in hoc citius in alio tardius cedat, hincque non ſemper remediis tribuendum erit, quod forſan ſponte contigit; omnino autem hæc & ſimilia pinguibus & oleoſis ſunt longe anteferenda, cum hæc potius noceant quam proſint, uti quidem haud ita pridem Piſtorem quendam poſt talia applicata in mortis prædam ceſſiſſe, per fide dignos mihi relatum fuit.

CCCCLVIII.

Bellis antiſcorbutica.

MUlier quædam propinqua cognatione mihi cognata, cetera quidem Dei gratia ſat integra fruens ſanitate, per biennium tamen & quod excurrit, ſubinde de ſiccitate oris minus conſueta conqueritur, cum tanta linguæ faucium que excoriatione, ut difficilius deglutiat, & partes hæ ſemper fere doleant; præſcripſi conſultus, Eſſent. abietis, quæ quidem quoddam levamen attulit, penitus autem malum non ſuſtulit, unde cum tuſſis etiam accederet, cum corporis quadam conſumtione aliud expetiit remedium, egoque Juſcula Bellide ſola alterata quotidie ſumenda commendavi, & ecce! hæc Dei gratia ſic profuerunt, ut non ſolum tuſſis remiſerit, verum & lingua faucesque iterum cuticula obductæ fuerint, jamque redeunte interdum hoc malo, vel me non conſulto ad laudata juſcula redit, quæ ſemper tantum proſunt, ut ſat laudare eadem non poſſit: Anteſcorbuticis igitur hæc herba quovis jure annumeratur, & vel hac de cauſa vero phthiſicis tam ſalutaris exiſtit, quia nempe per diuturnitatem mali ſcorbutici quid contrahere phthiſicos, non niſi, qui quid ſit ſcorbutus ignorat, negabit.

CCCCLIX.

Febris in puero bienni quomodo curata fuerit.

NObiliſſimorum Parentum filiolus duorum fere annorum, febre corripitur primo quidem continuam mentiente, quia per integrum fere biduum ſic calebat, ut vel artis ignari ipſum febricitare, judicare potuerint, cum vero hinc integre quidem remiſiſſet febris, at tertio die rediiſſet, ſicque bis terve

moleſta fuiſſet, præmiſſo purgante Eſſent. Cortic. Peruvian. eidem præſcripſi, quæ febrim in principio ſic inhibuit, ut jam ab eadem liberatum puerulum mater crediderit; licet autem aliquamdiu continuaverit Eſſentiam, quoniam tum hæc fermentum febrile non penitus extinxerat, nec diæta, qualis decet, ſervabatur, paulo poſt febris majori cum vehementia rediit, egoque denuo vocatus nunc Electuarium commendavi, cujus præcipuum ingrediens dictus Cortex conſtituebat, hoc cum vix per decem dies diligenter in uſum duxiſſet, Dei gratia ſic convaluit, ut cum elapſo hoc tempore ipſum iterum vidiſſem, vel ex facie ejusdem patuerit, jam melius ac olim puerulum ſe habere, licet vero idem & honoratiſſima ejusdem Mater confirmaverit, ut tamen conſtans eſſet hæc convaleſcentia, Electuarium aliquamdiu adhuc continuare juſſi: ſufficit nempe laudata Eſſentia interdum quidem pellendis febribus, at non ſemper, ubi tamen Corticis propterea laudibus nil omnino eſt ſubtrahendum, qui potius in ſubſtantia poſtmodum exhibitus voto noſtro ſatisfacit, id quod non ſemel jam obſervavi.

CCCCLX.

Scarabæi hydrophobiam ſanantes.

Unius alteriusve hoc anno à Cane rabido demorſi triſte exemplum, ut propterea hincinde in remedia malis teterrimis inde metuendis dicata inquiſitum fuerit, anſam dederat, hinc vero & lithotomus quidam coram me in præſentia nobiliſſimorum teſtium ſancte teſtatus fuit, quod præſtantius in hoc malo ſcarabiæs majalibus communibus non reperiatur remedium, horum enim tres in pulverem redactos non ſolum quævis imminentia mala certo avertere, ſed & jam ipſo actu rabidos feliciter curare, ſi nempe modo conveniente opus habenti exhibeantur; ſic ſe ipſum illos Equo à cane rabido demorſo jam ſimili malo affecto hoc remedium ſummo cum fructu adhibuiſſe, quin aliquot canes eodem mediante reſtitutos noviſſe; huncque in finem plures exſiccatos ſe aſſervare: Fuiſſe nempe ſemper qui egregia medicamenta in hoc quoq; animalculo quæſiverunt, uti ex auctoribus, qui eadem deſcribunt conſtat, ita non ita parvæ tum famæ medicus ante plures annos me confirmavit, de quo quod ſcarabæos in magna quantitate colligat, ut medicamenta inde paret, conſtans fuit fama; nec hæ ipſæ vires vel Veteres latuerunt, cum ex Mouffeto, qui prolixus eſt in hujus inſecti laudibus, conſtet, illud jam olim à quibusdam venenis per animalia infuſis oppoſitum fuiſſe.

CCCCLXI.

Colici dolores lumbos præſertim occupantes.

Vir quidam rerum medicarum non imperitus, quatuor annis quadragenario major, cum aliquoties appetitu ſic urgente plus cibi ingeſſiſſet, quam

quidem

quidem Ventriculus digerere potuerat, inde quidem in principio nil prorſus mali ſenſit, paulatim vero reſtitantes â coctione non abſoluta particulæ crudæ ſic auctæ fuerunt, ut tandem aliquando ſubito, dum in opere quodam Sacro perficiendo is occupatus fuerat, dolores in lumbis concitaverint tantos, ut vix domum redire potuerit, ubi aliquamdiu dubius hæſit, an nephritici nominari mereantur, an vero colicorum claſſi ſint inſerendi? parte affecta inprimis, & dolorum â colicis conſuetis, quibus aliquoties jam obnoxius fuerat, differentia pro prima parte ſtantibus, vomitus vero abſentia, urinæ excretione nullo modo impedita & cauſis antecedentibus, pro altera militantibus, donec & ego ad colicos potius eſſe referendos, ſtatui, â collectis in inteſtinis craſſis inprimis & diutius quam par eſt, retentis excrementis derivandos, & de alvo obſtructa enim ſimul conquerebatur, differentiam illam dolorum inde, quod tum quidem inteſtina tenuia jam vero craſſa ſint affecta, deducens, ſub lumbisque æque inteſtina ac renes latitare indicans; cum ergo non parum infuſi Herbæ Thee jam fruſtra bibiſſet, malumque inde nec minimum quidem mitigatum fuiſſet, veſperi conſultus Clyſterem infundere juſſi, qui quidem dolores aliquantum mitigavit, at non ita diu; cum vix hora elapſa majori ac olim vehementia redierint, unde noctem admodum inquietam duxit, & ſequenti die ex meo conſilio Potiunculam laxantem ſumſit, quæ cum quater alvum moviſſet, dolores ſic remiſerunt, ut iterum prodire in publicum & officio ſuo præeſſe potuerit; non tamen penitus ceſſarunt, unde non ſolum diætam ſtrictiorem aliquamdiu adhuc ſervavit, ſed ter quaterve Pilulas Emanuelis ſumſit, hincque paulatim â doloribus quos inteſtina occupare, ſemper magis notare potuit, Dei gratia liberatus fuit: quo melius nempe dolores colicos â nephriticis diſtinguere didiceris, eo felicius illarum curæ vacabis, tantum vero inter ſe invicem interdum conveniunt, ut vel experientiſſimi medici aliquamdiu hæſitent, quales ſint, qui ipſis curandi creduntur: non raro vero excrementa debito diutius retenta ejuscemodi dolores excitare ſæpiuſcule jam obſervavi, quo in caſu niſi laxantibus præſertim certes, fruſtra plerumque certabis.

CCCCLXII.

Clavus pedis in infante.

DE clavis pedum cum heri quædam differerentur, Matrona quædam fide digniſſima narravit, quod ante plures annos genuerit filium adhuc viventem & non absque ratione dilectum, qui vix genitus in pedis, ſi recte memini, ſiniſtri digito minimo tuberculum habuerit, de quo forte fortuna præſentes poſt partum tum medicus tum Chirurgus interrogati, omnino clavum eſſe nominandum, judicaverint, utut enim â cauſis conſuetis in infante ſuboriri

non potuerit, forſan tamen imaginationem maternam eundem produxiſſe; quæ ſtatim faſſa eſt, ſe brevi antequam pepererit, clavum in mariti pede vidiſſe, huncque removere ope unguium ſuorum voluiſſe, impeditam autem â marito, qui chirurgum hac de cauſa vocaverit, tam ægre ſe hoc tuliſſe, ut ſat diu menti ſuæ clavus ſuerit obverſatus, indeque ſine dubio puerulo communicatus; quod quomodo ſucceſſerit? ſicut inter ea, quæ ulteriori adhuc indagatione opus habent, numero, ita iis, qui hunc laborem ſuſcipiunt, & hæc obſervatio, ulteriorem meditandi occaſionem ſuggeret.

CCCCLXIII,

Arthriticos doloros demulcens Emulſio.

AD Arthriticum quendam nobilem nuper vocatus, is jam diu in his caſtris exercitatus non quidem tam medicamentum, quod curando huic malo ſufficeret, hoc enim non dari, mecum totus credebat, quam quod dolores vel paululum mitigaret, quia hi immaniter ſæviebant, deſiderabat; legeram tum forte fortuna in celeberrimi Lentilii Miſcellaneis, quod Emulſio, quam olim in obſervationum Medicarum Centuria commendaveram, ab ipſo quoque non ſemel in deliniendis hiſce doloribus magno cum fructu præſcripta fuerit, non itaque tum illam ipſam, cum tales formulas memoria non teneam, ſed aliam ex ſeminum ibidem deſcriptorum anatica quantitate cum Aq. Ceraſ. n. & fl. ſambuc. paratam Julepoque horum florum edulcoratam eidem præſcripſi, hæcque iterum Dei gratia præſtitit, quod primam præſtitiſſe, tum narravi: jure itaque Chriſtianus Langius, qui in ejuscemodi doloribus in Emulſionibus opem quandam quærere primus me docuit, in inſcriptione illius, in quo hoc inculcat, thematis, Podagricis inculcat; ut humectantis refrigerii teneantur deſiderio, tum enim humectando, tum humores acriores obviſcando, tum blandum ſomnum procurando hæ Emulſiones non poſſunt non prodeſſe; hincque ſine dubio easdem doctus ille Romanorum medicus Georgius Baglivus itidem in hiſce doloribus commendat: quod tamen qua lactis vaccini curam alicubi monet experientiſſimus Wepferus, quod nempe non niſi illis, qui alias quoqe lac bene ferunt, tuto commendetur, idem & qúa artificiale hoc lac eſt obſervandum, ſunt enim, in quorum ventriculis illico aceſcit, quibus ſi exhibueris, tantam non reportabis laudem.

CCCCLXIV.

Arthritica diverſo cum effectu externa in uſum ducens.

HEri demum vocatus fui ad Matronam quandam nobiliſſimam, quæ jam per plures annos cum graviſſimo hoc malo ſic conflictatur, ut jam fere manuum pedumque uſu tantum non ſemper careat, coram hac cum de externorum

norum plerorumque remediorum noxa mentionem feciſſem, illa teſtata fuit, ſe hujus ipſius rei in ſuo corpore feciſſe experimentum, cum ante annum & quod excurrit ambas manus ſuas dolor occupaverit, tum enim dextræ quidem ſe Spiritum Vini Camphoratum aliquoties applicaſſe, ſiniſtram vero quaſi intactam reliquiſſe, ſolumque linteo involviſſe, licet vero in illa dolores citius ceſſaſſe crediderit, ab illo tamen tempore digitos multo rigidiores eſſe, quam in hac, quos & propterea monſtravit, nec nunc applicitum Spiritum tantum, quantum olim prodeſſe, quæ aliorum quoque & de aliis medicamentis externis eſt querela; ſicuti vero alibi jam de Emplaſtro de ſapone me ejuscemodi quid communicaſſe memini, ita ſi hæc vel maxime repetantur, uſu tamen ſuo non carebunt, cum non deſint arthritici, qui, niſi pluribus argumentis contrarium ipſis perſuaſeris, remediis externis nimium tribuunt.

CCCCLXV.

Eryſipelas ab hæmorrhoidibus obſtructis.

MErcator quidam integerrimus, quadraginta annorum, & tenerioris conſtitutionis, cum per plures annos dolore cervicis laboraſſet, ſæpius quidem non tantum moleſto, ut ei ullum, quantum novi, oppoſuiſſet remedium, tandem ab hoc ſponte quaſi liberatus fuit, dum hæmorrhoidum fluxus ſupervenit, quam diu enim per has venas Sanguinis quandam quantitatem depoſuit, dolor ille plane remiſit; unde cum hujus fluxus ergo poſtmodum me conſuluiſſet, ſimulque retuliſſet, poſt ſingulas quidem alvi excretiones ſe illum obſervare, nunquam tamen nimium eſſe, nec vel minimum viribus inſidiari, quin potius tam bene nunc ſe habere, ac unquam olim ſe habuerit, medicamentis ipſum minime opus habere judicavi, cum nec ſiſtendus fuerit fluxus tam proficuus, nec magis quoque promovendus: accidit vero hac æſtate, cum ſingulis fere noctibus ſudore vexatus fuiſſet, ut per aliquot hebdomadas nec guttam quidem ſanguinis per has vias excreverit, unde ſicuti prius malum illico rediit, ita hinc inde in corpore exanthemata eryſipelacea notavit, quibus Spiritum Vini exterius oppoſuit, qui & illa haud ita difficulter diſpulit, at cum hoc ipſo malo detentus, quadam nocte primo ad iram commotus, hinc quoque acetarium comediſſet, poſtmodumque cubitum iviſſet, primo quidem minus quiete dormiit, hinc vero ſummo mane vertigine correptus fuit, quæ â retrocedente eryſipelate derivantem ſic perterruit, ut brevi poſt me vocaverit, & ſtatim accedens ego ipſum vomentem inveni, hincque non tam aliunde, quam ab hoc vomitu inſtante vertiginem derivandam eſſe, edixi, quod eventus confirmavit, cum enim Tincturam Bezoarticam ſumſiſſet, cruditatibus inde correctis tam bene ſe habuit, ut illius diei veſpera me abeuntem ad fores usque comitatus fuerit; ut autem hæmorrhoidum fluxus

xus iterum promoveretur, omnino conſultum ducens, Eſſent. ♂. Ludov. uſum eidem recommendavi: ſalutarem enim hunc eſſe modo non ſit nimius totus Medicorum chorus conſentit.

CCCCLXVI.

Barba bicolor à ſpectro.

APud veritatis amantiſſimum quendam Senem cum nuper monaſterii Hirſaugienſis forte fortuna mentio injiceretur, is retulit, ſe ante hos quadraginta, & quod excurrit, annos hunc ipſum locum viſitaſſe, & præter viſu dignam Picturam, qua Pictor ille celebris Albertus Dürer templum exornaverit, inprimis curioſum judicare, quod æditus, qui tum temporis ædem hanc ſacram curaverit, barbam habuerit, dimidia quidem parte nigricantem, dimidia vero albam & canam, de cauſa hujus ridiculæ diverſitatis interrogatum ipſum reſpondiſſe, quod ante plures annos ſpectrum per aliquot horas multas moleſtias ſibi concitarit, & haud ita parvum terrorem injecerit, tandemque cum diſceſſerit, hanc, albam nempe nunc barbæ partem tetigerit, unda illico hunc colorem acquiſiverit: Utut autem adeo novum non ſit, quod terror brevi temporis ſpatio, quibusdam canitiem induxerit, imprimisque metum â morte in pectore alentibus ejuscemodi quid contigiſſe, hiſtoriarum monumenta teſtentur, cum tamen, quod huic qua barbam & quidem unam ſolum ejusdem partem contigit, inter rariora omnino referri mereatur, ut hic producerem, dignum judicavi.

CCCLXVII.

Scabies balneo exaſperata.

MErcatoris cujusdam gregarii filiola undecim annorum, cum per integrum & quod excurrit annum ſcabie laboraſſet, mater, uti quidem retulit, nullum huic malo oppoſuit remedium, ſed, ſic ſanguinem mundatum, & humores vitioſos in hac ætate abundantes hoc modo imminutum iri ſperans, patienter ferre malum puellam juſſit; at cum hoc ſic non ceſſaret, ſed indies augmentum ſumeret, nec ſolum pruritus ægræ moleſtus eſſet, verum & toto corpore magis quotidie conſumeretur, ab amicis monita illam in balneum deduxit, & quidem illud, quod hic â muro nomen habet, aliquodque nomen acquiſivit, eo tutius hoc remedium eſſe credens, quoniam & â medicis commendari aliquoties audiverat; verum enim vero & hic contigit, quod in proverbio dicitur, ſæpe duo cum faciunt idem, non eſt idem, quando enim medici ad balnea ablegant ſcabioſos, non niſi præmiſſis univerſalibus, quin & juxta balneum in uſum ducendis ſanguinis purificationi dicatis medicamentis id faciunt, de quo hæc nec cogitavit quidem, hincque tantum abeſt, ut balneum puellæ

puellæ vel minimum profuiſſet, ut potius poſt illud vix ter quaterve in uſum ductum longe pejus ſe habuerit, dum nempe difficilior inprimis reſpiratio acceſſit, ut quæ prius per totum diem adhuc extra lectum degere potuerat, jam ſemper in illo ſe detinere coacta fuerit, unde nunc mater meas pulſavit fores, egoque balneum omnino filiæ non potuiſſe prodeſſe, quia corpore humoribus vitioſis ſcatente illud ingreſſa fuerit, edixi, hincque jam illa medicamenta præſcripſi, quæ merito præmittenda fuiſſent; ea vero an & quo fructu in uſum duxerit? utut me hactenus certiorem non reddiderit, quæ tamen qua balneum contigerunt illis non præmiſſis hic produxi, ut ſaltem alii cautius mercari diſcant.

CCCCLXVIII.

Calculi peni infixi.

Lithotomus quidam præſtantiſſimus, cum haud ita pridem varios de arte ſua utiliſſimos ſermones mecum ſeruiſſet, retulit quoque, quod ante aliquot menſes curæ ſuæ commiſſus fuerit puer, in cujus pene quatuor ad minimum vel quinque calculi ſic hæſerint, ut niſi extracti fuiſſent, hodienum inibi hærerent, ſe vero quosvis inſtrumento ad hanc operationem apto ſic ſat feliciter extraxiſſe, excepto uno, qui major arctius inhæſerit, hincque extrahi hoc modo non potuerit, & propterea jam de ſectione ſe cogitaſſe; ne vero irritatum membrum illa vice magis irritaretur, in alium diem hanc operationem ſe diſtuliſſe, intereaque medicamenta quædam dolorem mitigantia applicaviſſe, quæ negotiis impeditus, cum per alium illa veſpera continuari curaverit, hunc ſpe concepta calculum protrudi poſſe, illum iterum duriuſcule tractaſſe, at non ſolum fruſtra, ſed & tantam inflammationem inde ſubſecutam fuiſſe, ut gangræna brevi imminuerit; quibus tamen malis ſic Dei gratia obviam iverit, ut tandem hoc quoque calculo extracto, puer priſtinam acquiſiverit ſanitatem, calculosq; hos extractos ſiliceam fere acquiſiviſſe duritiem, & nigricantes extitiſſe: poſtmodum vero puerum, cum calculum in veſica reſtitantem per alium extrahi curaverit, ab hoc minus rite tractatum fatis ceſſiſſe: Uti vero hiſce confirmatur, tantum non ubivis in corpore humano reperiri calculos, ita quam blande tractandus ſit penis, ſi ſimul exinde didiceris, fruſtra hanc obſervationem non legiſti.

CCCCLXIX.

Canis morſus feliciter curatus.

Mercatoris cujusdam non ex infimis filiolus ſex fere annorum, puer elegans & alacris, cum cum cane ſua fœmina luderet, huncque aggredientem Moloſſum depellere pro viribus ſuis vellet, hic puerum aggreditur, primoque

proſternit, hincque ſic mordet, ut quatuor vulnera in aure dextra & juxta illam eidem inflixerit dentibus ſuis ſic ſat acutis, quod ex uno illorum ſic ſat profundo quidem at parvo ſat patuit; ſubtrahitur vero Cani ſic ferocienti puer & matri ſuæ traditur, quæ ſtatim me unaque chirurgum ſuum ordinarium vocat, ubi is quidem vulnera rite mundat & deligat, ego vero, ut tum malis, quæ terror producere poſſet, tum poſt ipſos hos morſus â canibus inprimis rabidis profectos metuendis obviam rite eam ſolicitus ſum, hincque pulveres ex alexipharmacis quibusdam, & inprimis argento fino in lineis hoc in caſu laudato conſtantes præſcribo, qui puero diligenter fuere exhibiti; uti vero vulnera brevi temporis ſpatio ſic coaluere, & eorum vix minimum ſuperſit indicium, ita nullum aliud ſupervenit malum, puerque hunc usque in diem, præterlapſo jam integro, & quod excurrit anno, optime Dei gratia valeat, licetque interea aliquando febre ſat acuta correptus fuerit, nil quicquam tamen hanc comitabatur, quod merito canis morſui tribui potuiſſet: Certò vero conſtitit, canem hunc rabidorum numero non fuiſſe inſerendum, hincque quidem nec tantus ſubfuit metus, quem & quantum in me fuit matris animo exemi; vitio autem medico vix verti poterit, ſi nihilominus medicamenta adhibeat rabiei dicata, cum forſan ſe inſcio latitare anguis in herba poſſit, qui abſens fruſtra melius impugnatur, quam forſan nec nobis cogitantibus præſens intactus relinquitur.

CCCCLXX.

Gluten in vulneribus non ſemper conducens.

Hiſtoriæ illius, quam in lineis recenſui, de quibusdam, qui glutine ſolo vulnera ſic ſat feliciter curarunt, cum aliquando coram experientiſſimo quodam Viro mentionem injeciſſem, is reſpondit, ſe quidem ejuscemodi quid itidem aliquoties obſervaſſe, ſed noſſe etiam, non omnibus æque feliciter cedere hanc ipſam curam; familiarius enim ſibi notum fabrum lignarium quendam jam ante plures annos aliquando vulnus ſibi in digito manus ſe præſente inflixiſſe, hocque ſtatim ſic glutine obduxiſſe & deligaſſe, unde quidem non ita multum ſanguinis profluxerit, & vulnus brevi coalitum iri certo ſperaverit læſus, at ſpe ſua illum quam maxime falſum fuiſſe, non ſolum enim paulo poſt partem læſam intumuiſſe, ſed & dolores tantos ſubortos fuiſſe, ut per bene longum temporis ſpatium laboribus ſuis vacare ulterius non potuerit, quin ad mortem usque male tractati vulneris indicia quædam notaverit, ſeu jam & chirurgi poſtmodum vocati officio ſuo minus rite præfuerint, ſeu præpropera hæc deligatio ſola merito accuſetur, hæc enim variis modis obeſſe poteſt, ſeu ſanguis jam extravaſatus ſic retineatur & hinc putrefactus poſtmodum tum partem affectum magis lædat, tum toti communicatus alia mala producat, ſeu inſtru-

mentis

menti lædentis quædam particula forſan in vulnere reſtiterit, ſeu alia quædam cauſa coalitionem impedierit: Utut ergo gluten in vulneribus ſimplicioribus omnino laudari mereatur, ut tamen & hoc remedium methodice adhibeatur, omnino opus eſt, cum quævis recenſita mala magis methodo neglectæ quam glutini ſint adſcribenda: felix ergo revera omnino tum demum medicus eſt vocandus, quando, ubi fieri poteſt, decenter methodum medendi obſervat.

CCCCLXXI.

Compreſſio in ſanguine ſiſtendo utilis.

CUm nuper ſuo tempore de republica medica meritiſſimi Viri Thomæ Bartholini Acta Medica Hafnienſia perlegerem, inter alia notavi, quod, quando Eſſentia illa ſtyptica, quam Gallus quidam Boudetus Magnatibus ſolum & Regibus detexit, quamque ex Vitriolo præſertim paratam fuiſſe, ſapor prodidit, applicata fuit, Auctor ſemper requiſivit, ut pars læſa per dimidiam fere horam manu cujusdam adſtantium comprimeretur, aut & ipſe eandem compreſſit, ſimul in memoriam mihi revocatum fuit, quod ni fallor, in Ephemeridibus Naturæ Curioſorum Illuſtris medicus Brunnerus narrat, quod vel ſola tali compreſſione, læſis etiam majoribus ſanguivehis vaſis impediri poſſit ſanguinis profuſio; uti quidem propterea ejuscemodi liquoribus ſtypticis laudem ſuam lubens uon detraherem, cum, quid vel ſpiritus Vitrioli hoc in caſu præſtet, ipſe in lineis meis communicaverim, quantum tamen interſit, ne hæc compreſſio in enormioribus læſionibus inprimis intermittatur, exinde ſat conſtare, arbitror, & in hac ipſa mea ſententia me magis confirmavit nuper Chirurgus quidam merito celeberrimus, qui recenſuit, quod olim alius non minus celebris Chirurgus in præſentia beati mei Parentis & ſua, mulieri cuidam pedem feliciter quidem amputarit, at ſufficere credens impoſita medicamenta ſanguinem ſiſtentia alias laudatiſſima ipſam paulo poſt, ut in pede reſecto in gangrænæ cauſam inquireret, deſeruerit, ſe vero reſtitantem notaſſe, quod vires ægrotæ deficere incipiant, hincque alterum revocaſſe, ubi ſtatim innotuerit, ſanguinis fluxum, uti decet, non fuiſſe inhibitum, quod ipſe quidem, nec diſſentiente beato meo Parente ſoli compreſſioni neglectæ adſcripſerit, quæ vel nunc in ſubſidium vocata graviora impedierit mala: qui ergo juxta medicamenta & hujus in tantis præſertim læſionibus memor fuerit, ægrotorum ſuorum ſaluti non parum conſulet.

CCCCLXXII.

Mithridatium intempeſtive ſumtum.

ILLuſtris quædam Virgo quatuordecim annorum, cum ſubito, nullo, uti quidem & Illuſtris Mater teſtabatur, in diæta commiſſo errore, torminibus primo, hinc alvi fluxu brevi temporis ſpatio aliquoties moleſto corriperetur, ut hæc mala eo citius inhiberentur, Mithridatium Damocratis ſumſit, quod quidem alvi fluxum ſtatim ſic ſtitit, ut ulterius nunquam ſeceſſerit, at tormina juxta ſic aucta fuere, ut & in lectum ſe conferre opus habuerit, ubi & â clamoribus ſibi temperare non potuit, Matremque hinc ſic perterruit, ut, ut illico accederem, per ancillam rogarit; acceſſi ergo & in quævis diligenter inquirens, retentos â præpropera Mithridatii ſumtione humores acriores nec ſat temperatos, dolores hos concitare, judicavi, hincque blando præſertim evacuante opus eſſe ſtatui, & Rhabarbarum toſtum eidem exhibui, quod Dei gratia tantum profuit, ut conſilio meo nunc ulterius non indiguerit: omnino vero ejuscemodi humorum motus tanquam ſalutares tam cito non ſunt impediendi, quin potius in principio promovendi, quod niſi fiat, plerumque graviora ſubſequuntur mala.

CCCCLXXIII.

Catarrhus nimia tabacci attractione excitatus.

MErcator quidam ſex vel ſeptem ætatis annos ſupra triginta numerans, temperamenti pituitoſi nomen merentis, per plures jam annos in conſuetudine habens, quod multum admodum pulveris nicotianæ toto die naribus attrahit; utut, ne exceſſu hujus attractionis malum quoddam ſibi contrahat, ſedulo & ſæpius monitus fuerit, nunquam tamen monentibus Amicis hactenus aures præbuit, quia cetera Dei gratia ſic valuit, ut non habuerit, de quo quereretur; at cum nuper catarrho correptus fuiſſet, non ſolum fauces continuo irritante ſed & pectus ſic gravante, ut in lecto decumbere non potuerit, ſputoque nunc rejiceret materiam nigricantem & fœtentem, uti uxorem ſuam magis timidam reddidit, ita ipſemet hinc ſibi metuere cœpit, cum præſertim & lateris ſiniſtri dolor quidam punctorius acceſſiſſet, hincque me in conſilium vocavit; ubi, cum præmiſſa Potiuncula laxante, Pulverem anticatarrhalem ex Antimon. diaphor. Succin. præp. & Maſtich. conſtantem bis terve ſumſiſſet, & poſtmodum Eſſentia Succini uſus fuiſſet, impetuoſus ſeri ad fauces & pectus fluxus ſic Dei gratia inhibitus fuit, ut ulterius non fuerit moleſtus; quin tamen tam ſedulo continuata pulveris Sternutatorii attractio variis modis nocere poſſit, nullum eſt dubium, cum, ut alias noxas nunc taceam, pulvis tam ſubtilis hinc inde partibus ad quas penetrat, inhæreat, hinc-

hincque corruptus eaſdem tandem quoque aggrediatur, cujus rei exempla proſtant; ut ergo in poſterum modum ſervet, amice monui, quod & promiſit, niſi vero promiſſis ſteterit â periculo imminente non erit immunis.

CCCCLXXIV.

Tuſſis pediluvio frigido curata.

VIrgines duas nobiles, cum iter juxta fluvium Wertach inſtituiſſent, & in ripa ſub lapidibus tum piſciculos tum cancros latitantes obſervaſſent, lubido inceſſit hos capiendi, hincque altera quidem, cum tibialia exuiſſet, & calceis pedes muniiſſet, altera vero his ſolum ſepoſitis, in loco, ubi flumen haud ita profundum erat, illud ingreſſæ ſunt, & ſcopum ſuum etiam obtinuerunt, & plures tum piſciculos tum cancros parvos ceperunt, quos per ancillam una præſentem domum detulerunt, non tam acceptæ vero prudentiſſimæ matri, ac quidem ſibi imaginatæ fuerant, quæ quippe noſcens, ambas catarrho vehementi & tuſſi inprimis vexari, ne hæc inde augeatur metuens, ſerio illas propterea increpuit, at præter ſpem magis profuit quam obfuit illis hoc pediluvium, nam ex illo tempore omnis tuſſis ſic deſiit, ut ſi ſuperſtes adhuc ex ſororibus hodienum tuſſientem aut potius de tuſſi querentem quem audiat, ei ut pedes huic fluvio immitat, per jocum ſuadeat: Commendantur quidem pediluvia in tuſſi â medicis magni quoque nominis, at calida non frigida, quale utut haſce ſorores juverit, non tamen omnibus æque proderit, quin facile catarrhum in ſuffocativum aliis pervertere poſſent, unde, non tam ut commendem, quam ut conſtet, non quosvis errores quibusvis aque noxios eſſe, hæc produxi.

CCCCLXXV.

Thee Genu dextri dolorem diſſipans.

VIr quidam, quinque fere annis quadragenario major, ſanguine abundans, & ad iram pronus, utut qua cetera graviores in diæta errores rariuſcule committat, aliquoties jam tales in pedibus præcipue & illorum digitis percepit dolores, ut olim in arthriticos eos degeneraturos non parum ſibi metuerit, uti vero Balneum Bollenſe propterea in uſum ductum ita eidem profuit, ut per aliquot annos ab iisdem immunis vixerit, uti quidem merito in principio horum dolorum, & antequam radices egere, balnea reliquis quibusvis remediis anteferuntur, nec deſunt aliorum etiam hiſtoriæ, qui iisdem mediantibus, ſi præſertim in poſterum diætam quoque magis convenientem ſervarunt, dolores hos impedierunt, ita, cum poſtmodum nihilominus aliquoties minori licet cum vehementia recruduiſſent, ſemper poſt Infus. Herbæ Thee potum tam egregium ſenſit levamen, ut vel hac de cauſa illud ſæpius iterarit; quoniam vero tum ipſimet aliquoties in mentem venit, quod forſan

hi dolores non ita aucti ſponte ceſſaſſent, tum in hac ſententia â quibusdam hujus per ſe innoxii potus hoſtibus confirmatus fuit, illud minus æſtimare & hinc rarius bibere cœpit; accidit vero haud ita pridem, quod dolorem in genu dextro percepit, qui primo quidem, non niſi quando ſcalas aſcendit, moleſtus fuit, unde illum penitus neglexit, ſponte ceſſaturum revera credens, at cum non jam non ceſſaret, ſed indies incrementum ſumeret, & tandem fere eundem proſterneret, profundiorque eſſet dolor, quam ut in externis medicamentis vel minimam collocare ſpem potuiſſet, ad potum ſuum ſponte rediit, integramque Infuſi menſuram bibit, quæ non ſolum ſudorem uberrimum elicuit, ſed & dolores illico ſic profligavit, ut jam nec in ſcalis aſcendendis vel minimam perceperit moleſtiam, adeoque quod Infuſum Thee olim fruſtra non laudaverit ipſo opere expertus, denuo illud majori in pretio habuit; Et ſane, ſi in tempore exhibeatur, in diluendis atque in ſe ſuſcipiendis, poſtmodumque vel per urinam, vel & ſudorem expellendis particulis peregrinis, quamplurimum hoc Infuſum valere, indies experientia magis docet.

CCCCLXXVI.

Napi odorem ferre non potens.

EST mihi nota Virgo quædam viginti annorum, cetera quidem Dei gratia optima fruens ſanitate, at gibboſa & hinc inordinato quin aliquoties plane ceſſante menſium fluxu laborans, qui ſanguis regurgitans faciei præſertim inſidiatur, hæc quotiescunque aut adſtat â ſordibus purgantibus napos, aut ipſa huic labori apud nos per hyemem præſertim conſueto vacare vult, tam difficili corripitur reſpiratione, ut, niſi ſecederet, & ſuffocationis periculum immineret, quod quidem cum mihi narraretur vix credidi, at cum poſtmodum aliquando huic ipſi labori vacantibus ſuperveni, ipſa adſtans me præſente pejus ſe habere cœpit, inprimisque ob nares penitus obſtructas â vaporibus ê napis exhalantibus difficiliorem reddi reſpirationem indicavit, dum nempe Sal volatile acre expirans nervos olfactorios invaſit, in iisque motus ſpasmodicos concitavit, haurire aerem naribus ulterius aliquandiu non potuit; cur vero in hac virgine hunc poſt ſe effectum relinquant napi, cum tam multi alii eosdem impune tractent, licet forſan rationes quædam produci poſſent, cum tamen quas ego quidem novi, nec mihi ipſi ſatisfaciant, aliis earundem indagationem lubens trado.

CCCCLXXVII.

Aquæ nocturnus potus quibusdam ſalutaris.

CUm nuper in Actis Hafnienſibus Viri in re remedica juvanda per aliquot luſtra ſumme occupati Hannemanni quæſtionem de nocturno aquæ potu,

tu, & eruditiſſimi Bartholimi reſponſum ad eundem legerem, ſequentia mihi in memoriam revocata fuerunt; quod nempe ſicuti forſan alibi jam notavi, tum olim beata mater me certiorem reddiderit, quod ad promovendam ſecundinam plurimum conferat, ſi gravida cubitum itura, aquæ quandam quantitatem biberit, tum quod ipſemet hoc aliquot gravidis, & quidem hactenus Dei gratia nunquam fruſtra commendaverim, inter quas hîc memoranda venit, præcipui cujusdam mercatoris Uxor, quæ ante paucas quippe hebdomadas tam ſalutarem hunc aquæ potum experta fuit, ut eum non parvis extulerit laudibus, ſecundina enim & huic, uti aliis, quæ ſic aquam biberunt, absque ulla moleſtia ſucceſſit; novi etiam aliquot amicos, qui quoties Vinum in nimia quantitate ingurgitarunt, mandant, ut cantharus aqua frigida repletus ad lectum ponatur, quem utut plerumque tum evacuent, tantum tamen abeſt, ut inde vel minimum mali ſentirent, ut potius loage melius ſe habeant, quam alii hoc modo ſibi non conſulentes; ratio vero hujus rei in promtu eſt, dum enim ſulphureæ vini particulæ ſic diluuntur, tantum ac ſibi relictæ caput ferire non poſſunt: non itaque omnibus noxium eſſe nocturnum aquæ potum, optime judicat judicioſiſſimus Bartholinus, licet huic cerevifiam præferat; ego verò omnino pro aqua ſtarem, in cujus tamen potu merito nos cautos reddere debet diligentiſſimus Hannemannus, totusque ego credo, qnod illi, qui non tam ſiti urgente, quam ex prava quadam conſuetudine ſæpius hoc modo bibendi coctionem interturbant, â malis gravioribus haud diu immunes vivere poſſint, ubi contra, ſi ſolum ſiti & quidem interdum tantum, hæc nocturna potio opponatur, vix nocere poterit.

CCCCLXXVIII.

Aurum nævos abigens.

DE nævis cum nuper mentio fieret, quædam ê conſanguineis meis ſancte affirmavit, ſe non ſemel jam vidiſſe, quod, ſi diligenter per aliquot dies auro puro nævi recens inprimis natorum fricentur, illi paulatim ſic evaneſcant, ut illorum nec minimum quidem reſtet indicium; quod cum tutiſſime tentari poſſit, communico, utut propriam experientiam hic laudare nequeam: Auro vero â nonnullis plane nullas, ab aliis verò nimias fere tribui laudes ex pluribus auctoribus conſtat, inter quos ego hactenus ſemper medium tenui, nec prorſus rejiciendum ê medicina credens, nec tamen nimium eidem tribuens, uti vero bis terve jam Epilepticis me illud haud fruſtra commendaſſe, totus mihi perſuadeo, ita ut aqua eodem ignito aliquoties alterata in fluxibus præſertim nimiis, ii qui magnifaciunt, utantur, pluries conceſſi, cujus me unquam pœnituiſſe, non memini; qua vero virtute nævos abigat, rationem nunc nullam in promtu habeo.

CCCCLXXIX.

CCCCLXXIX.

Reſpiratio difficilis à mammæ & brachii tumore.

VIdua quædam ſexaginta quinque annorum, olim quidem quibusdam interdum malis obnoxia, quæ calculi veſicæ ſuſpicionem quandam moverunt, cum non ſolum dolores circa has partes intenſos perſenſerit, verum & urinam aliquoties difficulter admodum excreverit, hæcque ipſa calculi quædam indicia præ ſe tulerit; ab hiſce levamen quoddam habens tumorem in mamma dextra notavit, non tam dolentem quidem, quam ob duritiem ſuſpectum, cum concroſi quid ſubeſſe ſat prudens fœmina ſtatim ariolata fuerit, nec refellere ejusdem ſententiam idoneis potui argumentis, cum hac de cauſa mihi quoque hanc mammam monſtraſſet, tum durities enim, tum venæ hinc inde lividæ in hanc ſententiam me quaſi trahebant; hinc vero, quam fruſtra in hoc malo curando hactenus tum empirici tum genuini medici occupati fuerint noſcens, ut inprimis quævis externa medicamenta ſedulo vitet, ſuaſi, interna vero ſanguinis correctioni dicata commendavi; non tamen tam mihi quam neſcio quibus accedentibus vetulis aures præbuit, quarum medicamentis vero tantum abeſt, ut tumor vel minimum imminutus fuiſſet, ut potius mamma indies major evaſerit, quin tumor tandem & in brachium dextrum ſe extenderit, hocque nunc totum ſic diſtenderit, ut non parvo ipſi ſit oneri; uti vero vix ac ne vix quidem diſſipatum iri hunc tumorem, hiſtoriæ doctiſſimorum Virorum cum hac exacte convenientes me metuere faciunt, ita cum nuper de difficili reſpiratione queri incepiſſet, hancque in cetera Dei gratia ſic ſat ſana non niſi â pondere brachii, mammæque derivandam eſſe, ego judicarem, & hanc in totum vix curari poſſe, metui, quod &, cum nihilominus medicamenta quædam præſcripſiſſem, indicavi: Sine dubio vero humores acriores fuerunt, qui olim in veſica calculi ſuſpicionem moverunt, & ad mammam delati præſentia mala excitant, in quibus ſi quis certam quandam promiſerit opem, temerarii potius quam prudentis medici merebitur nomen: Palliativa tamen quam vocant cura hanc vitæ amantiſſimam Matronam aliquandiu adhuc ſervari poſſe, ego quidem nullus dubito.

CCCCLXXX.

Cancroſæ urina bona.

ALiquot jam præteriere anni, quod in Caſtellum quoddam evocatum me præter alios conſuluit ancilla quædam, quæ itidem in altera mammarum tuberculum aluit, non ita magnum quidem, duriuſculum tamen & ob partem affectam ipſam meticuloſam reddens, quod cum exploraſſem, menſesque rite non fluere, ſimul retuliſſet, omnino parvi non eſſe habendum eſſe, judi-

ſe judicavi, cum cancrum talia plerumque ſumere initia conſtet, ſicuti ergo hanc quoque, ut ſedulo fugiat externa medicamenta, hortatus fui, tam profunde enim latitabat hoc tuberculum, ut ſine dubio illis mammam potius magis læſiſſet, quam illud vel parum imminuiſſet, ita menſibus movendis inprimis dicata quædam eidem præſcripſi, quæ quo fructu in uſum duxerit, hactenus non reſcivi: notavi vero in hac præſertim, & aliquot aliis, inter quas ea quoque, cujus præcedens hiſtoria meminit, numeranda eſt, quod urina nec minimum quidem tanti hujus mali indicium præbuerit, ſanorumque tam ſimilis extiterit, ut ex illa ſola nil quicquam mali prædicere potuiſſem: quod ſi & in pluribus notetur, hoc cum phthiſicis commune habent cancroſæ, quod hiſce malis graviſſime affectæ urina tamen nec minime quidemmutatur, intimiusque cum ſanguine commixtæ ſunt particulæ peccantes, quam ut in renibus ſeparari poſſent.

CCCCLXXXI.

Herniæ infelix Sectio.

CErviſiarius quidam celebri cuidam familiæ ſervitia præſtans, cum per aliquot jam annos hernia inteſtinali laboraſſet, audiens, quod quidam herniotomus hic loci quibusdam manus ſuas commodaverit, illum antequam accuratius in artis peritiam ejusdem inquiſivit, vocavit, qui non ſolum ſtatim ſectione opus eſſe judicavit, verum & in ſequentem diem operationem inſtituit; quæ ſic ſat feliciter ceſſiſſet, dum brevi teſticulum ſeparavit, & ligato peritonæi proceſſu illum cum extenſa nimium hujus particula reſcidit; at uti non, ſicut ego quidem olim videram, & omnino requiritur, acu nempe prius perforando & hinc utrimque funiculum contrahendo, ſed ſolum hunc ſimpliciter circumdando ligaverat, ita, quod quidem in alio caſu, (hîc enim non adſtiti,) prædixeram, hic ipſe error in cauſa fuit, ut vix elapſis octo horis funiculus, qui & debito craſſior erat, abſceſſerit, unde per apertum abdomen inteſtina proxime poſita exitum quæſiverunt, ſtatimque vomitus ſucceſſit, quin cetera quoque æger tam male ſe habuit, ut mortem inſtare, nullum ſuperfuerit dubium, cum præſertim audaciſſimus Sector de hiſce certior factus non tam inteſtina debito modo repoſuiſſet, quam propendentem eorum non ita exiguam partem reſcidiſſet,quam poſtmodum famulus ejusdem ridiculè pro diaphragmate habens monſtravit, at, cum ego accuratius illud inſpexiſſem, inteſtini partem eſſe, fateri coactus fuit; Inde enim ſtatim deliquia animi ſucceſſere, quin qui ante duodecim fere horas cetera ſaniſſimus atque robuſtus adhuc extiterat, in mortis prædam ceſſit; quod idem & infanti cuidam ſemeſtri eodem plane modo contigiſſe, poſtea fide digni retulerunt: quantum nempe interſit, ut proceſſus proitonæi rite conſtringatur, in tali operatione vel par-

vam harum partium notitiam habentes non dubitabunt, nec ſufficere tam ſimplicem conſtrictionem ſtatim conſentient; quando ergo medicus in tali caſu conſulitur, ut in omnia prius inquirat, & quomodo quævis inſtituere velit operator, expiſcetur, vel hic caſus eum doceat, quam imperitum enim vulgo ſit hoc hominum genus, quamque audaces, melius ſcilicet non docti committant errores, quovis tempore medici cordati queſti fuerunt, & hodienum queruntur.

CCCCLXXXII.

Superſtitioſa quædam improbata.

PUerpera quædam Vienna huc delata, cum filioli ſui ergo me conſuluiſſet, variarumque ſuperſtitionum mentio injiceretur, ſequentia mihi comunicavit; ſe nempe gravidam quoties ſomno meridiano aliquandiu indulgere voluerit, tam â marito, quam ſocru quovis modo impeditam fuiſſe, non quod cum aliis plerisque pro minus ſalubri hunc ſomnum habuerint, quam quia perſuaſi fuerint, ſic caput infantis in nimiam excreſcere magnitudinem, quod poſtmodum non ſolum ipſum deformet, ſed & partum difficilem reddat; aliquando ad petentem ſocrum ſe ova ſed in ſuccinctorio geſtaſſe, quod ipſa ſumme improbarit, addita ratione, tot furunculos in fœtu in utero latitante aliquando ſuborituros, quot hoc modo geſtaverit ova: Inprimis vero hanc ipſam firmiter crediſſe, quod capilli elegantes & criſpi, quos unus filiorum ſuorum habet, aliunde non ſint derivandi, quam quia aquam balnei, in qua primum hic lotus fuit, ſtramini in vaſe alio erecto ſuperfudit; quæ ſicut ſuperſtitioſa eſſe, ſicut prima ſtatim fronte patet, ita ut ſemper magis magisque nimis credulorum animis eripiantur, eadem ſimul vel maxime improbans communico.

CCCCLXXXIII.

Corporis una parte ſudans, alteram frigidam habens.

NObiliſſima quædam Matrona, cum nuper male ſe habuiſſet, inter cetera recenſuit, quod tota corporis ſui ſiniſtra parte frigus tantum perceperit, ut hoc moleſtum extiterit, ubi contra dextra ſic incaluerit, ut ſudor in eadem hinc inde in non ita exigua quantitate eruperit, adeoque, quando hunc impedire voluerit, frigus in altera parte auctum fuerit, uti contra, ſi contra hoc ſe munierit, ſudor magis manaverit, quod quidem ipſi non ita parvum ab Apoplexia metum injecit; à qua tamen ſicuti hactenus Dei gratia diligenter in uſum ducto ⊖. Volatili Oleos. Sylv. feliciter ſe præmuniit, ita hunc ſedulo continuare juſſi, cum in Sanguinis motu quocunque modo impedito ſummo cum fructu in uſum ducatur, ab hoc enim hæc mala inprimis derivanda eſſe, vix dubito,

dubito, ſicuti in Paralyſi toto die videmus, alterum quidem corporis latus ſic ſat alacriter muneri ſuo præeſſe, dum alterum motu fere omni eſt deſtitutum, hocque merito â Spirituum animalium non ſufficiente in hanc partem influxu derivamus; Ita calor, Sanguini ortum debens, niſi hic eodem prorſus modo ad ſingulas partes devehatur, inæqualis redditur, venasque præſertim capillares lateris ſiniſtri æque ac eas quæ dextro hunc liquorem advehunt, non patere in hoc ſubjecto, probabile eſt, hincque contra in hoc latere augetur Sanguinis motus, quem auctum ſudor ſubſequitur; quin igitur motu liquoris hujus vitalis in ordinem redacto, color æqualiter in ſingulas partes ſe ſit diſperſurus, nullus dubitavi, nec me fefellit opinio, aliquandiu enim magis ſedulo ac olim continuato liquore modo laudato, ſiniſtra æque ac dextra corporis pars incaluit denuo, nec huic ſudor ulterius moleſtus extitit.

CCCCLXXXIV.

Theriaca cœleſtis in nimia doſi ſumta.

VIr quidam litteratus, amicus meus honorandus, cum aliquando catarrho laboraſſet, quem parva quædam febris comitabatur, neſcio cujus tum conſilio in Theriaca Cœleſti auxilium quæſivit, ſeu vero is, qui petiit ê pharmacopolio medicamentum, ſeu pharmacopoeus jamdudum defunctus errorem commiſerit, nec in Pillulis, uti aliâs quidem ſolet hæc Theriaca, nec in debita doſi tradita fuit, bolum enim ſibi allatum fuiſſe, nucem avellanam majuſculam æquantem ſancte teſtatus eſt, quam is nullam hujus medicamenti notitiam habens integram deglutiit; uti vero non ita exigua cordis anxietas ſubſecuta fuit, inde præſertim aucta, cum poſtmodum, quam inconveniens ſit hæc doſis, percepiſſet, ita ſudore ſere penitus diffluxit, quo tamen ceſſante aliud malum inde non percepit, niſi quod ab illo tempore tum ab hoc medicamento, tum ſudore tantum abhorret, ut ſæpiuſcule me rogarit, ne ipſo ægrotante vel hujus vel illius mentionem faciam: Mirari vero ſatis nequeo quod pharmacopoeus medicamentum, quod aliâs ad grana divenditur, in tanta quantitate dederit; quantum vero interſit, ut hi noſtri miniſtri, quorum non pauci Dominium affectant, munere ſuo rite fungantur, cum præter hunc plures caſus doceant, vitio verti medico conſcientiæ rationem habenti vix poterit, ſi eosdem hujus rei ergo ſubinde moneat, & an monitis pareant? ſedulo indaget.

CCCCLXXXV.

Balneum Geislingenſe das Rötel-Bad *cuidam valde proficuum.*

CUm haud ita pridem æſtumatiſſimus quidam amicus per litteras me interrogaſſet, num Uxori ſuæ, (quæ identidem doloribus vel calculi, vel renum, vel genuum, vel ventris infeſtetur, ita quidem, ut admodum macilenta appareat, cujus rei inprimis cauſa eſſe videatur nimius menſtrui ſanguinis fluxus, quem ſæpius & modo ante quatuordecim dies experta ſit, unde vires non parum debilitentur, immo fere proſternantur, quum tamen corpus ejus poſt puerperium ſucci plenum fieri occeperit,) conducat Balneo Rötelenſi uti? ſubducta prius ratione, cum mala enumerata pleraque merito â ſanguinis nimia deperditione deriventur, hanc inprimis in poſteram inhibendam eſſe judicavi; cumque balnea & inprimis Rötelenſe huic ſcopo præ aliis remediis ſatisfaciant, omnino conſultum eſſe, ut hoc utatur, reſpondi; vix vero reſponſorias has meas acceperat exoptatiſſimus amicus, & ob mutatam interea rerum faciem ſequentia ad me exarare opus habuit: ſuaviſſima mea Uxor ante octiduum derepente vertigine capitis ita correpta fuit, ut trium dierum ſpatio ê lecto ſurgere non potuerit, conſului medicum meum ordinarium, qui ei medicamentum aliquod, quod driät vocant, præſcripſit, quo ſæpius ſumto melius habere ſe cœpit, exiſtimat autem hic meus medicus, non conſultum eſſe, ut Uxor mea balneo Rötelenſi utatur, quum vires ejus admodum debilitatæ ſint; & ejusdem ſententiæ eſt alius experientiſſimus quidam medicus; quæ tua ſit ſententia ex noviſſimus litteris cognovi: Utrum autem in ea adhuc perſiſtas avide ſcire deſidero; miſeret enim me Uxoris, quod nullus fere dies abeat, quo non dolorem modo in liene, modo in capite, modo in utroque latere, modo in ſtomacho perſentiſcat, hodie ſanguis menſtruus manare cœpit, Deus illi adſiſtat, ne majus ſubſequatur malum, ſane vicem ejus doleo, & mens mea neſcio quæ triſtia præſagit, quæ miſericors Numen clementiſſime avertat; ad quæ reſpondi, quod omnino de viribus medici præſentes inprimis ſint audiendi, & harum in quibusvis curis præcipua ratio habenda, omnino vero cura opus habere tanta hæc mala, quæ ergo remedia balneo ſubſtituenda eſſe? judicent, ut in proximis me certiorem reddat, rogavi, & ecce! quæ in iisdem ad me perſcripſit: Ceterum quod ad Uxorem meam attinet, ea Dei gratia melius ſeſe habet, quærit autem ex te, utrum non cum fructu propriis in ædibus balneo uti queat? non enim lubens familiam ſuam relinquit, ob cauſas quasdam privatas; Medicus quem ſecundò conſului, priore interea fatis cedente, in balneum etiam conſenſit, aitque, ſatis virium adeſſe; exiſtimat vero, parum referre, Geislingæ id fiat an Ulmæ, quicquid

tamen

tamen tu hic ſuaſeris, morem geremus; At ſi balneum Ulmæ quoque cum fructu confici poſſet, eſſet hoc Uxori meæ omnium acceptiſſimum, præcipue, ſi, quod deeſſet, remediis ſuppleri poſſet: at ego ad has litteras Rötelenſe Balneum omnino domeſtico præferendum eſſe, ſcripſi, tum propter vires quibus egregiis pollet, tum ut quiete major ægra fueretur, quæ quantum in ejuscemodi morbis pellendis conferat, jam dudum conſtat; Rötelenſe ergo Balneum prope Geislingam adiit, abſolutaque cura amicus meus de eventu ſequentia ad me perſcripſit: Rediit præterito die Solis Uxor mea dilectiſſima ê Balneo Rötelenſi, ſatis ſana ac vegeta: pro quo inſigni beneficio Deo magnæ grates ſunt agendæ, idemque Numen ardentiſſimis precibus implorandum, ut hanc coſtam meam ſanitati reſtitutam quam diutiſſime in hoc rerum articulo conſervare velit; Dici non poteſt, quantopere hæ aquæ Rötelenſes ipſi conduxerint, eique vigorem corporis mirum quantum reſtituerint; quæ verba uti & tantum non omnia priora ad morbum ſpectantia ex propriis eruditiſſimi Viri litteris excerpſi, cum præſertim ea, quæ anno ſecundo linearum medicarum in laudes hujus balnei attuli, ſic non parum confirmentur.

CCCCLXXXVI.

Quartana abſtinentia curata.

MUlti jam anni præteriere, & cum adhuc ſtudiis humanioribus operam darem, quod doctiſſimus quidam ſtudioſus Theologiæ Argentinæ litteris vacans febre quartana correptus fuit, cui utut tum vel Clariſſimi Medici varia remedia oppoſuerint, tantum tamen abeſt, ut inde vel inducias quasdam dediſſet, ut potius ſuo tempore ſemper majori cum vehementia redierit; ſuaſere hinc eidem aeris mutationem, quam in dulciſſimam Patriam, quæ Ulmia erat, remigrando inſtituit, at & hæc in principio vix quicquam profuit, unde ſecum conſtituit, cum præſertim medicamentorum tam diu fruſtra ſumtorum tædio ſummo caperetur, quod quærere velit opem in abſtinentia ab omni cibo potuque, quam & die paroxyſmum antecedente eoque ipſo, quo paroxyſmus ipſum proſternebat, tam exacte aliquoties ſervavit, ut febris paulatim plane profligata fuerit, cum præſertim & reliquo tempore non tam appetitui ſatisfeciſſet, quam tantum, quantum vires requirebant, cibi ſumſiſſet; & hæc quidem ſicuti mihi Cornelius Celſus in memoriam revocavit, qui non ſolum, quod plerique Veterum â tali abſtinentia curam morborum inchoaverint, ſed & quomodo rite ſit inſtituenda pluribus docet, ita ſane nullum eſt dubium, quin ſi hodie quoque ejusdem major haberetur ratio, & interdum magis commendaretur, multi morbi citius & felicius curarentur, dum vero de eadem vix quisquam cogitat, quin raro ægri ab illis abſtinent, quæ noxia eſſe, ipſis ſufficienter demonſtratur, nemo miretur, quod tam difficulter

multi morbi curantur, quod tam ſæpe vel decantatiſſima remedia diu fruſtra in uſum ducuntur; Omnino vero hic Auctor commendandus eſt, qui non ſolum hæc ſed & plurima alia medico apprime utilia & neceſſaria ſuppeditat, majorique cum fructu ejusdem ſcripta legentur, quam plurium novatorum in innocentes Veteres inanes debacchationes, rarius vero hodie ejusdem ſcripta evolvi, plura quæ hodie eduntur legenti ſat patet.

CCCCLXXXVII.

Dentem erodi audiens.

AMicus quidam meus cum olim ſæpius tam atrocibus doloribus dentium laboraſſet, ut interdum & mentis minus compotem eundem reddiderint, cum præſertim in uno illorum eroſo, ſe id, quod hoc malum concitaverat, audire & percipere crederet, ſæpius ipſo hoc ſenſu menti obverſante, de verme intus latitante fere vix ullus dubitavit, & hinc in dentis evulſionem eo citius lubentiusque conſenſit; eo avidius vero etiam, cum ſat feliciter evulſus fuiſſet, in ejusdem interiora inquiſivit, cumque eruere ê foramine ſtylo nil quicquam potuiſſet, malleo non ſine violentia quadam diffregit, at nec vermem, nec aliud, cui commode ille ſtrepitus, quem in dente olim notaverat, adſcribi potuiſſet invenit; quam facile vero fallamur in ejuscemodi rebus, ſicut hæc obſervatio confirmat, ita utut vermes interdùm dentibus etiam inſidiari, nullum prorſus ſit dubium, ne tamen de iisdem præſentibus judicium præcipitemus, ſi vel maxime & talis roſionis fiat mentio, eadem nos doceat.

CCCCLXXXVIII.

Pilulæ FF. ſæpiſſime purgantes.

EQues quidam Illuſtriſſimus, cum haud ita diu â metu ab hydrope variorum convenientium remediorum uſu liberatus fuiſſet, abdomen vero ſubito denuo conſueto magis aliquando inflaretur, neſcio cujus ſuaſû Pilulas Francofurtenſes ſumſit, quæ bis terve illud iterum ſic immminuerunt, ut jam hoc malum parvi habuerit, ſe remedium certum inveniſſe, nullus dubitans, deque hoc inprimis ſibi gratulans, quod remedium tam bene præſtet, quod olim vix â fortiore expectaſſet, nec ita ſæpe alvum movendo operam ſuam exſerat; accidit autem, quod aliquando iterum ſe Pilulis ſuis opus habere credens, eas in conſueta doſi, quam non retulit, ſumſit, quæ vero, ſeu humorum peccantium tam inſignis ſaburra in corpore latitaverit, ſeu alia quædam cauſa tantos eorum motus concitaverit, nunc toties alvum moverunt, ut, cum poſtmodum rationes ſubduxiſſet, ter atque quinquagies ſe ſeceſſiſſe, invenerit; tantum autem inde debilitatus fuit, ut vix digitum movere potuerit, & de remedio ſolic to, tandem Vinum Malvaticum in mentem

tem venit, quod illico peti curavit, & panem eidem intritum comedit, quod vires tam feliciter reſtauravit, ut jam præteritorum laborum non niſi cum delectatione quadam meminerit, cum præſertim ab illo tempore longe melius ac olim ſe habuerit; ex quo quidem conſtat, humores peccantes fuiſſe, quos hæ Pilulæ eliminarunt, quos nonnunquam vel leniori medicamento tantum moveri, uti quidem adeo novum non eſt, ita in exhibendis purgantibus cautiores nos reddat, cum ſi tam facile mobilibus purgans vehementius exhiberetur, hypercatharſis periculoſiſſima excitari poſſet: Commodius vero remedium nec experientiſſimus Medicus huic Equiti ſuadere potuiſſet, cum Vinum hoc in ejuscemodi caſibus mirum quantum præſtet, dum non ſolum Archæum iratum mitigat, ſed & Spirituum pabulum convenientiſſimum exiſtet.

CCCCLXXXIX.

Manu carens ambabus inſtructos procreans liberos.

DUM Jo. Valentini Willii, medici olim egregii obſervationes Actis Medicis Hafnienſibns inſertas elegantes perlegi, ea inter illas qua aliquot hiſtoriis probat, quod ſemen non ab omnibus corporis humani partibus ſit deciduum, mihi in memoriam revocavit Virum quendam ſeptuagenario majorem, qui cum olim diu militem egiſſet, aliquando ſclopeto ictus manum ſiniſtram ſic amiſit, ut ejusdem vix minimum ſuperſit indicium; utut vero hic tres Uxores poſtmodum duxerit, & ex harum duabus tres aut quatuor ſuſceperit liberos, tantum tamen abeſt, ut horum ulli qua manus etiam vel minimum defuiſſet, ut ambabus inſtructi ſinguli prodierint, & ſuperſtes ex illis filia, iisdem, ubi opus habet, ſtrenue utatur: rudimenta nempe quarumvis humani corporis partium in ovulo latent, quæ â virili ſemine non tam producuntur, quam quaſi evolvuntur, unde poſtmodum indies auctis partibus tam elegans opus producitur, non itaque pars, qua deſtituti nati carent, prius in ovulo quoque defuit, ſed aut perverſa matris imaginatione, aut alio quodam errore perdebatur.

CCCCXC.

Empyema aliquoties rediens.

VIdua quædam nunc prope ſexagenaria ante hos decem fere annos in malum incidit, quod juxta ſigna ſua alio quam Pleuritidis nomine inſigniri vix poterat, utut perfecta criſis non fuerit ſubſecuta; unde per pluſculos adhuc dies haud ita inanem â tabe in pectore aluit metum, caloribus non quidem intenſis at moleſtis ſemper inſtantibus, quos comitantes ſudores nimii & totius corporis conſumtio hunc metum magis fovebant, qui tamen, cum poſtmodum remediis idoneis hæc ſymptomata ſublata fuiſſent, omnis depulſus fuit;

ſanita-

ſanitateque ſic ſat integra per integrum fruebatur annum, at hoc elapſo pleuriticis iterum corripiebatur doloribus, qui quidem nunc citius ceſſabant, nec, puris non ita exigua quantitate tam per ſputum quam per alvum rejecta, tam diu nunc ac primò reliquiæ incommodabant; ſed vix annus iterum præterierat, cum priſtinum malum rediret, mitius quidem nunc, ſed non niſi evacuato iterum per ſputum multo pure, remittens; & poſt annum iterum eandem invadens; unde jam de empyemate nullum mihi ſuperfuit dubium, quod in veſicula peculiari colligeretur, quæ quidem ſingulis annis ſic evacuaretur, at dein paulatim denuo impleretur, utut ergo iterum ſic convaluerit, ut omnino pro ſana agnoſci potuerit, ut tamen medicamenta aliquamdiu continuet, conſultum duxi, nec fruſtra mihi paruit, per biennium enim nunc â conſueto ſuo malo immunis vixit; hoc vero exacto illud rediit, ſed Dei gratia non minori quam prius felicitate illi medicamenta oppoſuit, cumque iterum illa diutius continuaſſet, jam per tres & quod excurrit annos non habet, quod de priſtinis malis conqueratur; veſicula ſine dubio tandem rupta, & hinc materiæ colligendæ minus idonea exiſtente, quæ paulatim per ſputum rejecta alia mala non excitavit: non ſemper nempe in Pleuritide omne pus ſic in cavitatem Pectoris effunditur, ut omne quoque morbo ſoluto denuo evacuetur, ſed, ut alios caſus jam taceam, interdum quædam ejusdem pars in membranam quandam delata illam paulatim extendit, & ſacculum quaſi efformat, quo non diſrupto malum facile aliquoties redire poteſt, ſi ergo in ullo alio malo, ſane in Pleuritide medicamenta diutius fruſtra non continuantur.

CCCCXCI.

Celſi de febribus notatu digna verba.

SI ſemel tantum febris acceſſerit, deinde deſiit, eaque vel ex inguine, vel ex laſſitudine, vel ex æſtu, aliave ſimili re fuit, ſic ut interior nulla cauſa metum fecerit, poſtero die, cum tempus acceſſionis ita tranſiit, ut nil moverit, cibus dari poteſt. At ſi ex alto calor venit, & gravitas vel capitis vel præcordiorum ſecuta eſt, neque apparet, quid corpus confuderit, quamvis unam acceſſionem ſecuta integritas eſt, tamen, quia tertiana timeri poteſt, expectandus eſt dies tertius, & ubi acceſſionis tempus præteriit, cibus dandus eſt, ſed exiguus, quia quartana quoque timeri poteſt, & die quarto demum, ſi corpus integrum eſt, eo cum fiducia utendum; ſi vero poſtero, tertiove aut quarto die ſecuta febris eſt, ſcire licet, morbum eſſe: quæ quidem Cornelii Celſi verba ſicuti inprimis docent, quando febricitantibus commode cibum exhibeamus, aut non, cujus rei omnino hodie quoque non ſine fructu ratio haberetur, ita, quomodo medicus, donec febrem rite agnoſcat, ſe gerere debeat, quomodoque dignoſcendæ â ſe invicem ſint, tam eleganter exprimunt, ut,

ut, cum præſertim in novatorum ſcriptis ejuſcemodi quid non inveniatur, repetere hic eadem non abs re futurum totus ſperem.

CCCCXCII.

Paſſio hyſterica gravidam proſternens.

UXor cujusdam Mercatoris Juvencula, elegantis quidem formæ, at ſanguinem talibus particulis, quæ motum ejusdem potius retardant quam promovent, abundantem nacta, cum non ita diu in conjugio vixiſſet, menſes, quos aliâs non ita inordinatos habuerat, ſubſtitere, unde quidem ſpem conceptionis concepit, & quia hanc ſumme exoptaverat, non parum gaviſa fuerat; at cum poſtea aliquoties evomuiſſet, at aliquando vomitum non ſolum difficilis reſpiratio ſed & magna cordis anxietas, quin motus convulſivi quid ſpirantes comitarentur, remediis, quæ domeſtica vocantur, nil quicquam juvantibus, & accenſis rebus parum gratis malum ferme augentibus me in conſilium vocarunt; egoque ſtatim conceptionem ſubeſſe ariolatus aliud quam confortans medicamentum Mixturam nempe ex Stomachicis præſertim & Uteri indignationem ſedantibus conſtantem præſcripſi; quæ Dei gratia ſtatim graviora Symptomata inhibuit, adeo, ut ſequenti die in publicum denuo prodire potuiſſet, ſi voluiſſet: Licet nempe non pauci ſint, qui præfata mala in virginibus notantes maxime conveniens remedium conjugium eſſe credunt, non ſemper tamen tam eadem tollere, quam interdum quoque excitare, hactenus aliquoties obſervavi; utut vero aliquot mulierculis non ita exiguum injiciant metum, quem interdum medici minus experti fovent, dum quid factu ſit opus ipſimet ignorant, raro tamen vel minimum ſubeſt periculum, unde non paucis ſponte eadem ceſſant, aliis vero remediis Stomachicis præſertim haud ita difficulter occurritur, quibusdam Venæſectio valde prodeſt, licetque non deſint, quæ per totum fere geſtationis tempus habent, quod querantur, his tamen felix partus quævis hæc mala tam feliciter ſolvit, ut eorum vix memoria quædam ſuperſit.

CCCCXCIII.

Aphthæ facili remedio cedentes.

FIliola mea ſemeſtris, cum quævis fere, quæ manibus ſuis arripere poterat, ori ingereret, aphthis, malo per ſe huic ætati frequenti correpta fuit, licet autem ſicut aliâs cibum capere non potuerit, minus bene dormierit, & bis terve caloris cujusdam p. n. ſigna ſe exſeruerint, adhibita tamen ſola Aq. Prunellæ, qua imbuto linteo os mundatum bis terve de die fuit, & poſt hujus uſum ſumto melle roſato, Dei gratia exactis aliquot diebus ſic convaluit, ut nec minimum quidem hujus mali indicium reſtet; nec vero hæc

comunicatione digna judicaſſem, niſi Excell. Hannemannus mihi, qui ad acta Hafnienſia facile remedium in aphthis ex Ol. nempe Raparum deſumtum, quæ radix & Rob in hiſce affectibus omnino laude dignum ſuggerit, præiviſſet; licetque prolixiores alios eſſe in curando hoc infantium malo, non ignorem, cum tamen ſic conſtet, tam levia & ſimplicia ſufficere, ut cum his fruſtra multam perdamus operam, minime nos opus habemus; ſic vero plures morbos, qui ſimplicibus quibusdam medicamentis non ita difficulter abigerentur, quosdam tamen minus neceſſariis & prolixioribus curis aggredi, nullum eſt dubium, hincque, ſi vel maxime & tam levia communicentur, uſu ſuo non caret.

CCCCXCIV.

Ani fiſtulæ initium minus conſuetum.

JUvenis quidam nobiliſſimus, cum nuptiis cujusdam Patroni interfuiſſet, & urinam ut redderet, locum deſtinatum quæſiviſſet, oſtium, quod revera hunc claudere credebat, aperiens, aliud hoc eſſe, ipſo opere invenit, dum nempe juxta hoc oſtium ſtatim ſcala poſita erat, ad inferiores ædium partes tendens, altero itaque pede per aliquot gradus delapſus altero vero in area adhuc ſtans pedes ſic divaricavit, ut vix incedere aliquamdiu potuerit, brevi tamen ſe collegit, & cum aliis adhuc hilarem præbuit, vix ullum læſionis inſignionis indicium notans; licetque ſequentibus diebus dolorem quendam in natibus perſenſerit, hunc tamen tam diu parvi habuit, donec præ dolore vix incedere ulterius potuit, ubi, cum per balneatorem inquiſiviſſet, isque abſceſſum in hac parte inveniſſet, illum aperuit, & hinc quadam puris quantitate profuſa levamem dolorum habuit Juvenis, at cum ulcus poſtmodum juxta artis regulas non tractaretur, nec balneatore ſufficiente huic curæ, nec ægro admittente, conſolidari hoc nullo modo potuit; unde profluens continuo ſanies non ſolum incommodavit eum, verum &, ne graviora ſuccedant mala, metuere cœpit, cum præſertim aliquot remedia laudatiſſima fruſtra adhibuiſſet, hac de cauſa ergo me conſuluit, egoque ante omnia ipſe partem affectam inſpexi, & in ſiniſtra natium, non ita procul ab ano foramen parvum inveni, quod ſtatim profundius penetrare judicavi, & Stylo inquirens juxta inteſtinum rectum, digitum fere longitudine æquare deprehendi, hincque, cum præſertim narraſſet, flatus etiam per hoc foramen interdum exitum quærere, fiſtulam inteſtini recti ſubeſſe, nullus dubitavi, veramque quam in ſectione curam vix inventum iri; ut vero eo magis, ubi in inteſtinum pateret ulcus, innoteſceret, dilatare foramen, quantum quidem fieri potuit, juſſi, quod & turundis ex ſpongia paratis ſic ſat feliciter ſucceſſit, at exitus inveniri non potuit, quoniamque balneator, ſe non ſufficere huic curationi

tioni ſponte faſſus eſt, de alio cogitandum fuit, ubi tandem alius quidam ſat audaculus acceſſit, qui & ipſe pro fiſtula quidem habuit, at non tam ab inteſtino recto quam ab oſſe quodam vicino ortum trahente, unde ut illud detegeret Oleum antimonii aliquoties applicavit, quo mediante foramen ſic ſat amplum reddidit, ſicuti vero nec ſic quidem ad os profundius quippe latitans penetravit, ita, utut ſibi totus perſuaſerit, quicquid ulceris conſolidationem hactenus impedivit, remotum eſſe, reſtitere tamen maculæ albæ mihi ſuſpectæ, quas ille qui manus commodavit, nervos nominare non dubitavit, ego vero â ductu ex inteſtino huc tendente derivavi, hincque licet jam ulcus occluſum crediderit, cum ego denuo acceſſiſſem, antiquum illud obtinere, Stylo ſtatim deprehendi, ſerioque iterum monui, ut in poſterum ductum in inteſtinum ſine dubio penetrantem magis ſedulo indaget, niſi æthiopem lavare velit, ubi quidem iterum quantum in ſe fuit, præſtitit, at perverſa opinione os eſſe corruptum, cum præſertim aliquando pus nigricans conſpexiſſet, ſemper magis occœcatus, eo ſtudio, quo ego commendaveram, non inquiſivit, nec enim Stylum tam ſæpe, ac requirebatur; adhibuit, nec liquorem infundendum ſiphone niſi ſemel injecit, hincque per decem fere hebdomadas nil quicquam profecit; donec tandem, ſicut ſequens continuatio docebit, de ductu in inteſtinum, nullum ſuperfuit dubium, hincque debito modo tractatus fuit: Notatu interea digna eſt hujus mali origo, quæ nos docet, quam caute & ſedulo ſint tractandi hujus partis abſceſſus, cum facilius ac ulli alii in fiſtulas degenerent; falſæ etiam opinioni operatores tales nonnunquam ſic ſat diu inhærere, hæc obſervatio confirmat, quibus tamen meliora doctus nunquam vel minimum cedes.

CCCCXCV.

Ani Fiſtula ſectione curata.

QUo diutius vero fruſtra quævis remedia applicavit Chirurgus, quo magis indies evanuere oſſis læſi indicia, quo pluries ego hortatus fui, ut ſedulo in ductum in inteſtinum penetrantem inquirat, eo magis, tandem integris decem hebdomadais fruſtra inſumtis, mihi aures præbere cœpit, hincque & turundas fiſtulæ immiſſas odore exploravit, qui ſæpius alvi excrementa ſic retulit, ut & adſtantes & ipſe æger pro tali agnoverint, nullo tamen ſtylo, quin nec ſeta inteſtinum penetrare ullo modo potuit, unde & fidem integram, odore præſertim interdum iterum mutato, mihi non adhibuit, donec tandem per ulcus ipſum excrementa ſeceſſerunt, quibus viſis, illico mecum conſenſit, non niſi ſectione mediante hoc malum extirpari poſſe, at quomodo ſit inſtituenda, ipſe conſilii inops erat; at ego mediante ſyringotomo hoc opus ſat commode perfici poſſe, noſcens, de tali inſtrumento ſolicitus fui, quod &

Chirurgus quidam noſtras bonivole communicavit, & quidem tum ſyringotomum altera ſui parte globulo inſtructum, tum alium illa parte acutum, cum ergo bis terve quidem ſtylo etiam in inteſtinum penetraſſet, hoc vero poſtmodum nullo modo ſuccederet, turundæ dilatatoriæ commode applicari non poſſent, Cauſticum vero inſignes inferret dolores, ad hæc multum requiri temporis, donec hoc mediante ductus ſic pateret, ut mediante inſtrumento globulo munito ſectio inſtitui poſſet, nemo dubitaviſſet, ut hoc acuto perficeretur, & ego conſenſi; die ergo ad hanc operationem electo, ſiniſtræ manus digitum medium inteſtino recto inſeruit operator, dextraque ſyringotomum arripuit, & illo per ulcus inteſtinum primo perfodit, hinc vero eodem ex ano extracto diſcidit, quod Dei gratia tam feliciter ceſſit, ut nullum gravius ſupervenerit ſymptoma; ſic vero tertio die pars affecta ſic inſpici potuit, ut ductus nullus latere potuerit, unde & oculis pars parva ductus prioris nondum diſciſſa expoſita fuit, quæ eo, quo prior modo tractabatur; licet vero nec prius, nec nunc inſignior hæmorrhagia ſubſecuta fuerit, tribus tamen vel quatuor horis poſt ultimam ſectionem elapſis, cum alvum depoſuiſſet ægrotus, tantum ſanguinis perdidit, ut & pallidus faciei color ſucceſſerit; quod Chirurgum præſentem adegit, ut vulneri de novo adſtringentibus proſpexerit, nec ab illo tempore ſanguinis fluxus vel minimus rediit, cura etiam Dei gratia ſic ſat feliciter ſucceſſit; licetque inteſtinum in principio retrocedens curæ difficilioris metum injecerit, illud tamen ſicut extrudi aere retento facile potuit, ita brevi omni metu diſcuſſo indies melius ſe habuit decumbens, triumque hebdomadum ſpatio ſic coaluit vulnus inflictum, ut non niſi cicatrix vix oculis patens reſtiterit, unde ab hoc tempore ut prius negotiis ſuis vacavit, & inprimis varias itiones perfecit, quæ tamen tantum abeſt, ut vel minimum obfuiſſent, ut potius, cum poſtmodum poſt aliquot hebdomadas partem olim affectam denuo inſpexiſſem, eam magis conſolidatam invenerim, hincque merito de ſanitate recuperata Juveni egregio gratulari potuerim: alio vero modo quam ſectione mediante hæ fiſtulæ vix curabuntur, quæ quo citius inſtituetur, eo felicius ſuccedet, ſi vero quomodo inſtituenda ſit, hæc obſervatio te quodammodo docuerit, vix fruſtra ſcriptam judicabis.

CCCCXCVI.

Hernia ſectione curata.

JUvenis quidam ſtudioſus, novendecim annorum, cum ante hos quinque annos neſcio quale onus ſibi tamen tum nimium geſtaſſet, inde herniam contraxit, quam ipſe in principio nihili fere habuit, at cum ſemper inteſtina magis magisque in ſcrotum prolaberantur, indeque interdum ſymptomata graviora inprimisque dolores atroces ſubſequerentur, variorum quidem conſilia expe-

expetiit, ſed tales, qui opem ferre potuiſſent, vix invenit, unde inteſtina quidem ſemper repoſita iterum fuerunt, non vero ſic retenta, quin ſæpius ſcrotum repetiiſſent, hincque cum ſæpiuſcule etiam ægrotaret, ut ſic conſtitutus Monachorum ordini adſcriberetur, habilis non fuit judicatus, ipſe vero ut hunc ſuum ſcopum obtineat, ſummis expetens votis, ſecum conſtituit, quod in ſectione opem quærere velit, hincque herniotomum illum, cujus nuperrime mentionem feci, adiit, qui opus hoc audacter aggreſſus fuit, & me quoque præſentem eſſe voluit; ubi ſicuti ſtatim improbavi modum conſtringendi vaſa ſpermatica, cum ſic funiculus facillime cedere poſſit, ita, quia nunc (cum prius nunquam eidem adſtiterim & quo utatur modo ignoraverim,) impedire non potui, quin hunc adhiberet modum, ægroto quietem inprimis commendavi, quod & Dei gratia tam feliciter ceſſit, ut poſtmodum brevi temporis ſpatio vulnus inflictum coaluerit, & ipſe integre reſtitutus fuerit; vulneri vero primo quidem præter adſtringentia, lintea calido vino intincta, in quo quasdam herbas ſe decoxiſſe, retulit, applicavit, hincque vero ſola hæc lintea impoſuit, & turundam ex arvina ſcroto vacuo intruſit, poſtmodumque digeſtivo unguento & Ol. ovorum absque ullo emplaſtro cicatricem induxit: Ex quibus ſi didiceris, medicum, qui cum fructu adſtare tali operationi Chirurgicæ voluerit, in omnia prius diligenter inquirere, & de modo conſtringendi inprimis ſolicitum eſſe debere, jam fruſtra eadem non legiſti: Nimios vero ni. plures præter rem in deligandis his vulneribus eſſe, itidem hæc cura confirmat.

CCCCXCVII.

Ventriculi dolor gravativus periodicus.

PErIlluſtris quædam fœmina cum fructus horæos & inter hos ceraſa præſertim aliquoties cōmediſſet, ventriculi dolore quem gravativum nominant, correpta fuit, quem primo quidem parvi habuit, at cum per aliquot noctes poſt primum ſomnum rediiſſet, & ſemper magis moleſtus fieret, quin reſpirationem non parum impediret, ne febris, cui ab onere, quod ventriculo impoſitum videtur, nomen prementis (ein druckend Fieber) imponunt, ſubſit, metuens, me pro propterea conſuluit; ubi, cum nullus dubitarem, quin coctio impedita & hinc collecti peregrini humores hunc dolorem concitarint, primo purgans præſcripſi, quod vomitum ſemel, & ter alvum movit; ut vero reliquiæ partim corrigerentur, partim conſumerentur, pulv. Stomach. Birkm. cum Specif. Cach. mixtum huic ſubjungere juſſi, quæ Dei gratia ſic contulêre, ut brevi omnis dolor ceſſaverit, unde pulverem hunc omnino laude dignū aliquamdiu adhuc eandem continuare juſſi: In talibus nempe malis

 niſi

niſi purgantia præmiſeris, reliquis medicamentis parum admodum proficies.

CCCCXCVIII.

Acidulas potas ſubſequens faucium dolor.

NObiliſſima quædam Matrona, cum varia mala perpeſſa fuiſſet, quæ niſi bili tribuere volueris, non parum negotii tibi in applicandis aliis terminis facies; hanc vero ſeu corrigentia ſeu & evacuantia medicamenta cum nunquam ſic continuaret, ut ſcopus exoptatus iisdem mediantibus obtineri potuiſſet, inde ſemper pejus ſe habuit, cumque jam præter capitis dolorem appetitus quoque proſtratus & ſitis ſemper fere moleſta acceſſiſſent, me commovit, ut acidulas commendaverim, ê quibus cum Bruzenſes vix per aliquot dies bibiſſet, tantum inde levamen percepit, ut non ſine animi quadam delectatione earundem potum ſedulo continuaverit, cum præſertim & alvi beneficio, quo olim fere ſemper caruerat, inde frueretur; accidit vero aliquando, quod potis acidulis hiſce non tam motu conſueto & conveniente operationem illarum promovit, quam laboribus hortenſibus ſic vacavit, ut non ſolum ſudor copioſiſſimus ſucceſſerit, verum & tantum delaſſata fuerit, ut vix pedem ulterius movere potuerit, cum ſiti ſimul urgenti aqua fere gelida obviam iviſſet, inde ſtatim faucium dolorem perſenſit, à quo eo magis ſibi metuit, quia haud ita pridem quendam, qui de alio malo non fuerat conqueſtus, brevi in mortis prædam ceſſiſſe noverat; non ſolum ergo binos Chirurgus, ſed & me propterea in conſilium vocavit, egoque fauces non tam læſas quam Pituita obductas inveni, & hinc gargariſmum convenientem præſcripſi, quo bis terve in uſum ducto retulit, ſe plurimum ſalivæ rejicere, præque illius os ſemper inundantis copia ſæpius vix verbum proferre poſſe, quod ipſemet in eadem notavi, & hinc ab hujus quoque acredine dolorem derivandum eſſe judicavi, ſeu potius prius in vaſis turgens lympha eundem produxerit; nam quo plus ejusdem rejecit, eo magis dolor mitigatus fuit, unde poſtmodum ad acidulas rediit, monitisque, ut & in motu modum ſervet, magis parens, ab aliis malis immunis earundem potum abſolvit: Motus nempe nimius à quibusvis medicis prudentioribus merito rejicitur, unde non potuit non, accedente præſertim potu tam frigido & huic obeſſe.

CCCCXCIX.

Conceptio male impeditur.

MUlier quædam, cum aliquoties peperiſſet, faſtidio hujus laboris ducta & nihilominus tamen viri appetentiſſima, neſcio cujus conſilio ſingulis menſibus, Vinum calidum, in quo croci non ita exiguam quantitatem decoxerat,

xerat, bibit, hocque hauſto per integrum annum menſes ſic promovit, ut de remedio hoc ſibi gratulata fuerit; ſeu vero propriæ conſcientiæ ſtimulis adacta, ſeu ab aliis monita, tandem hoc coram Sacerdote quodam confeſſa fuit, qui quam grave commiſerit peccatum, pluribus eandem edocuit verbis, niſique in poſterum ab eodem deſtiterit, ſalutem æternam ipſam conſequi non poſſe, diſertis denunciavit verbis; unde in poſterum â croco abſtinuit, & hinc paulo poſt iterum concepit; Dudum vero jam croco vis menſes movendi adſcripta fuit, quæ licet non ſemper tanta ſit, ut conceptionem etiam impediat, quia tamen hoc ſemel ſic contigiſſe, hæc obſervatio docet, quin melius faciant, quæ conceperunt, ſi ab eodem abſtinuerint, quam ſi quocunque modo eodem utantur, nemo dubitabit: quin vero & aliæ ſat ſceleſte conceptum impedire conentur, nullum eſt dubium, quæ deinde juſto Dei judicio in morbos incidentes, & hunc ſuam graviſſimum errorem ſubticentes, vel hac de cauſa eo difficilius curari poſſunt, non fruſtra ergo in difficiliori mulieris cura & de hac illicita illarum arte interdum cogitabis.

D.

Pleuritis ſpuria balneo & Ira excitata.

Figuli cujusdam Uxor, cum balneo uſa & tum temporis ad iram quoque commota fuiſſet, nocte illa evigilans tam atroces perſenſit in pectore & coſtis dolores, ut & ab ejulatibus ſe continere non potuerit, totamque noctem inſomnem duxerit, cumque neſcio quæ remedia fruſtra omnino iisdem oppoſuiſſet, ſummo mane maritus ejusdem me adiit, utque uxorem ſuam viſitem, rogitat, cui petito dum ſatisfacio, ipſam quidem de ſummis doloribus querentem, & difficilius reſpirantem invenio, at quia omnis febris aberat, nec tuſſis hoſce dolores comitabatur, non tam pro veris quam ſpuriis pleuriticis eosdem agnovi, hincque, ut humores partim ira partim balneo loco ſuo moti & inde has turbas excitantes evacuarentur, lene purgans eidem præſcripſi, quod aliquot ſedes movit, & dolores ſic delinivit, & ſequentem noctem quetiorem duxerit; quod reſtitit vero, ipſa quidem ſudore diſpellere tentavit, at quoniam hic tantum quantum quidem ſperaverat, non profuit, meum denuo conſilium per maritum expetiit, & ego ad reliquias diſſipandas pulverem ex Antim. Diaphor. lap. ♋ pp. & Cinnab. nat. pp. conſtantem præſcripſi, quo vix per biduum in uſum ducto Dei gratia ſic convaluit, ut ollis vendendis operam iterum navare ſicut olim potuerit: Ubi nempe febris ejuscemodi dolores non comitatur, niſi purgantia in principio ſtatim exhibueris, per aliquot dies ſolis diaphoreticis tam parum proficies, ut vel poſt illos iisdem opus eſſe, ſis judicaturus, niſique vel tum eadem in uſum duxeris, morbus ſine dubio protrahetur; ubi contra præmiſſis purgantibus licet vel maxime dolores

in totum non abigantur, diaphoretica longe majori cum fructu ſubjunguntur.

DI.

Alvi obſtructio à Ceraſis cum nucleis comeſtis letalis.

JUvenis quidam nobilis cum ceraſa non ſolum in nimia quantitate comediſſet, ſed & omnes nucleos juxta deglutiiſſet, inde in obſtructionem alvi tam pertinacem incidit, ut hac nullis vel laudatiſſimis medicamentis cedente inde in mortis prædam non ſine Parentum cordolio ceſſerit, quod cum nuper ex litteris cujusdam amicorum meorum coram Illuſtriſſimo quodam Viro narraſſem, is addidit, ſe ante aliquot annos noviſſe celebris cujusdam Viri Uxorem quæ gravida eodem modo tantam alvi obſtructionem contraxerit, ut una cum fœtu itidem brevi inde perierit; Utut nempe unus alterve talis nucleus deglutitus, vix quicquam nocere poſſit, plures tamen in inteſtinis collecti, in maſſam coeunt, quæ tam facile non excernitur, aliquamdiu itaque retenta indies magis induratur, & ab aliis excrementis incrementum capit, inteſtina inde diſtenduntur, motusque illorum periſtalticus inhibetur, unde non poſſunt non graviſſima ſubſequi mala: Cautius itaque alii Ceraſa comedere diſcant, ne, eam quoque eorum partem ingerendo, cui conficiendo ventriculus par non exiſtit, ante tempus mortem accelerent.

DII.

Verminatio diutura.

VIvit adhuc ancilla quædam, quæ olim ſcabie tam fœda laboravit, ut propterea in leproſorium recepta fuerit, ubi corpore non ſolum probe purgato, ſed & cura per ſalivationem mercurialem inſtituta, ab his cutis quidem vitiis ſic liberabatur, ut ſanis denuo annumerari potuerit; at malum fere gravius ſucceſſit, dum non ſolum aliquoties convulſiones epilepticæ ipſam proſtraverunt, ſed & has dolores abdominis præſertim tam intenſi comitati fuerunt, ut nullibi diu ſervitio præeſſe potuerit, unde tandem in Leproſorio ancillam agere cœpit; ubi cum iterum accuratior ejusdem cura gereretur, & tum ipſamet in ſingula, quæ mala ſua concitare potuerint, inquireret, tum adſtantes fideliter eandem juvarent, tandem aliquando mihi retulit, ſæpius ſe vermes & quidem plures excernere, anque in his forſan cauſa malorum ſuorum quærenda ſit? interrogavit; cumque adſtantes idem confirmarent, & ſufficienter ſe vermium diverſitatem deſcribere non poſſe, adderent, omnino hos præcipue accuſandos eſſe, nullus dubitavi, hincque quæ illis exterminandis dicata ſunt remedia quamplurima præſcripſi, quibus mediantibus plures quidem interdum depulſos fuiſſe vermes indicavit, at ſeu eadem continuarit,

rit, ſeu aliquamdiu ſepoſuerit, nunquam plane â vermibus immunis vixit, licetque tum me inſcio varia quoque empirica remedia in uſum duxerit, tum me conſentiente medicum quendam, qui præcipue ſe vermes expellere didiciſſe, jactavit, conſuluerit, hicque itidem omnem lapidem moverit, ut ſcopum ſuum aſſequatur, non pauciores tamen poſt curam ab ipſo abſolutam excrevit vermes, unde & ego denuo contra eosdem pugnare cœpi, & ſæpius mercurialia præſertim medicamenta aliis interpoſui, at eadem qua prius fortuna, ſemper enim vermes eandem vexarunt, adeo ut tandem nauſeam â medicamentis habere cœperit, &eadem omnino ſepoſuerit, nec niſi graviora urſerint ſymptomata, ad illorum uſum redierit, nunquam non vermes excernens, rariusq; per integrum menſem plane nullos obſervans; ita ut jam per integros decem annos tot animalcula talia jam majora jam minora, jam lata, jam rotunda ab ſeceſſerint, ut numerum illorum referre, ſit impoſſibile; modoque ſecedant, cetera ſic ſat ſana vivit, nec habet, quod queratur, ſi vero diutius in corpore moras nectant, tam gravia concitant Symptomata, ut identidem conſilio meo opus habeat; Unde hi vermes originem trahant, ulteriori indagatione omnino dignum eſt; An ſcabies antecedens iisdem ortum debuerit, uti quidem aliquot auctores eandem â vermibus derivant, hincque nido conſueto expulſi in interioribus partibus hunc quæſiverint? aliis dijudicandum relinquo, de hoc tamen nullus dubitans, illos alicubi locum inveniſſe, ubi ſeminia ſua deponant, quorſum medicamenta hactenus penetrare non potuerint.

DIII.

Euphorbium in infuſo manibus applicato ſternutationem movens.

MUlieri cuidam de magna præſertim artuum debilitate conquerenti, Chirurgus quidam in recentiorum auctorum ſcriptis verſatus Spiritum illum, quem ſummis extollunt laudibus, Matricalis nomine venientem commendaverat, huicque, ut eo penetrantior fieret, Euphorbium quoque alius rerum medicarum non imperitus infuderat; cum vero diligenter hæc eundem partibus affricuiſſet, quoties quidem hoc labore fungebatur, ſternutare cœpit, unde & de hac moleſtia conquerebatur, quam ab Euphorbio derivandam eſſe nullus dubitavit, qui illud adjecit, hincque eodem omiſſo ſternutationem facile averti poſſe judicavit: Tam ſubtiles vero ſunt & acres hujus ſucci concreti partes, ut & infuſo nec naribus immediate admotæ ejusdem tunicam vellicent, hincque nos in ejusdem applicatione cautos eſſe jubent.

DIV.

Spiritus externe applicati ſomnum excitantes.

VIri cujusdam reverendi filiolus nondum annuus ſub axilla ſiniſtra tumorem habens non dolentem, mollem & cutis colorem minime mutantem, Parentes ſolicitos reddidit, ne indies majus ſumat incrementum, unde me propterea in conſilium vocarunt, & ego eundem â brachioli vehementiore extenſione antecedente derivans, Spiritus Vini camphoratum cum eo, qui Anhaltini nomine venit mixtum, quotidie bis terve parti affectæ illinendum præſcripſi, quod dum mater diligenter exequitur, & linteolum Spiritu hoc probe imbutum tumori applicat, puerulus in tam profundum labitur ſomnum, ut non niſi difficillime ab eodem excitari potuerit, quin excitatus ſtatim iterum dormire cœperit, quod Pater non niſi ab hoc ſpiritu derivans in poſterum illinere quidem eundem at linteum non ſolum removere, ſed & in poſterum ne tali modo applicetur, juſſit, & ab illo tempore ſomno plus ſolito non indulſit: exhalantes nempe particulæ ſpirituum Sulphureæ & narcoticæ Spiritus pueruli animales in motu ſuo impediverunt & quaſi ligarunt, unde ſomnus profundior ſubſecutus fuit, ejuscemodi enim particulis abundare Spiritum vini vel ii teſtes eſſe poterunt, qui nimium ejusdem ingurgitarunt, quos identidem tam ſomnolentos reddit, ut non niſi difficulter â ſomno excitentur: Forſan & humores viſcidiores movendo & ſanguinem hinc in motu tardiorem reddendo hunc effectum produxere: Cautela, quam hæc obſervatio ſuggerit, eſto, quod ejuscemodi Spiritus in tenella ætate conſtitutis in nimia quantitate non ſint applicandi, cum pro conſtitutione ægrotulorum & graviora mala concitare poſſent, ſi inprimis in partibus â capite haud ita multum diſtantibus iisdem opus habuerimus.

DV.

Globulus totum dorſum permeans.

CUm heri una cum milite quodam veterano nuptiis cujusdam amici interfuiſſem, militum more hic quoque de vulneribus narrare cœpit, & inter alia retulit, quod ante plures annos in prælio quodam glande plumbea in cervice ictus fuerit, quæ cum extrahi nulla arte potuerit, cicatricem quidem vulneri inductam fuiſſe, at ab illo tempore tam graves dolores concitaverit, ut fere nunquam non de præſentia ſua teſtata fuerit; dum præſertim locum identidem mutavit, & gravitate ſua ſemper deorſum tendendo totum dorſum permeavit, licet vero, quando præſertim remoras alicubi inveniens dolores valde auxerit Chirurgus quidam ter ſectionem inſtituerit, eadem tamen mediante globulum detegere nunquam potuit, donec tandem ad nates usque delatus ibi tumorem excicavit, quo rupto facile eximi potuit, qui per plures

quam

quam viginti annos hoſpes minus gratus extitit: Uti vero de fide hujus viri honeſti ideo minus dubito, quia & alias cum hac fere convenientes hiſtorias me olim legiſſe memini, ita quam ſolicitus ſit Spirituum Rector in expellendis corpori noſtro peregrinis corporibus, hæc obſervatio confirmat, qua teſte tam inſignem meatum excavavit, ſolum ut ab hoc onere liberaretur.

DVI.

Dolores menſium fluxum comitantes.

Mercatoris cujusdam Uxor triginta & quod excurrit annorum, cum olim virgo nunquam fere absque doloribus non ita parvis tributum lunare ſolviſſet, ab hoc quidem malo, cum filiolam peperiſſet, tam feliciter Dei gratia liberata fuit, ut per integrum fere biennium absque ullo dolore ſanguinem per uterum reddiderit; at ante bimeſtre fere, cum prius ex obſtructis menſibus ſe denuo gravidam credidiſſet, iidem ſubito ſupervenientes, eandem primo quidem hac ſpe dejecerunt, hinc vero & doloribus tantum moleſti denuo extiterunt, ut variis remediis domeſticis fruſtra applicatis noctu conſilium meum implorare opus habuerit, licetque Potiuncula anodyna præſcripta dolores ſic lenierit, ut ſequenti die de lecto ſurrexerit, cum tamen non ita diu extra illud degiſſet, dolores priori cum vehementia redierunt, hocque repetere ipſam quaſi adegerunt, jamque me quoque vocavit, ubi ex relatis uterum quidem non prorſus immunem judicare potui, at nec veſicam omni labe carere, quædam indicia me docuere, dum nempe & urina crudior extitit, & ſalino odore nares feriit, nec prorſus absque dolore excreta fuit; præſcripſi ergo nunc pulverem ex ocul. ♋. Balſ. Peruvian. ſicc. & Cinnab. nativ. conſtantem ſæpius in uſum ducendum, qui & Dei gratia tantum profuit, ut brevi poſt eandem ſat hilarem muneri ſuo vacantem offenderim: Quascunque nempe cauſas agnoſcant dolores inferioris ventris, ejuscemodi pulveres raro fruſtra commendantur, qui tamen inprimis egregie proſunt, ſi partes urinæ excretioni dicatæ ſint affectæ, quæ ſane utero minus bene ſe habente ſæpiuſcule afficiuntur, viciniæ ſcilicet minus fidæ pœnas dantes.

DVII.

Cancroſæ dolores excitans Empl. de Saturno.

Vidua quædam nobilis mammæ ſiniſtræ tumore cancroſo jam per annum & quod excurrit laborans, ne malum eundo vires acquirat, ſolicita, ut remedio quodam conveniente ſibi conſuleremus, tum Chirurgum tum me inſtanter rogavit, ubi ego quidem interna quædam commendavi, pulverem nempe acrioribus humoribus corrigendis & invertendis dicatum, & Decoctum isdem viribus pollens; ut vero ab externis omnino deſiſteret, conſultum duxi,

adhibuit vero nihilominus neſcio quale unguentum ab anicula commendatum, medicamentaque â me præſcripta ea diligentia, qua opus fuiſſet, non duxit in uſum, unde malum non potuit non augeri, hincq; iterum medicamenta at inprimis externa deſideravit, egoque tandem in Emplaſtrum de ſaturno conſenſi, quod vero applicatum cum vix per triduum geſſiſſet, dolores, â quibus hactenus Dei gratia immunis vixit, in mamma perſenſit, unde illud illico removit, doloribusque ſtatim iterum ceſſantibus, illos omnino ab emplaſtro ortum duxiſſe nulla dubitavit, jamque ipſa externis remediis minus ac olim fidit: Et ſane, quæcunque quidem remedia externa mammis cancroſis haud ita magno cum fructu applicari, ego hactenus aliquoties notavi, meritoque adhuc inquiritur in medicamentum corrigendis in hoc malo peccantibus humoribus idoneum, quale præter ſectionem (ſi hanc quævis circumſtantiæ admiſerint,) mihi hactenus nondum innotuit.

DVIII.

Hectica imaginaria.

SArtoris cujusdam Uxor fere quinquagenaria, tenerioris conſtitutionis & malo hypochondriaco ſumme obnoxia, inde jam aliquoties vel levioribus malis ſic perterrita fuit, ut mortem tam certo inſtare crediderit, ut fere ſacerdotem ante me vocaverit, licet poſtmodum metum inanem eſſe, ſemper hactenus deprehenderim; ſicuti vero per ſe gracilis exiſtit, & tam gravibus â metu mortis curis ſupervenientibus magis extenuatur, ita maximus quem in pectore alit metus eſt, ne hectica ſe tandem ante tempus abripiat, & contra hanc tam acriter ſe defendit, ut jam per bene longum temporis ſpatium ſingulis annis per aliquot menſes Juſculis recentibus herbis alteratis utatur, nec tamen hæc ſemper ſufficere credit, ſed identidem me quoque vocat, & ut quantocyus accedam rogat, quando vero petito ejusdem ſatisfacio, ſemper fere hactenus ipſam ſic conſtitutam inveni, ut non tam medicamentis quam animo opus habeat, quem quidem, quantum in me eſt, ipſi addo, & ut querelis ſuis me quoque fidem adhibere credat, medicamentum quoddam præſcribo, quod facile ſcopo ſatisfacere poteſt, quia non ſubeſt malum notatu dignum, unde & hucusque ſemper uti prius ſe ægrotare ita poſt remediorum præſcriptorum uſum ſe convaluiſſe credidit; & ſic heri demum me iterum vocavit, quantumque vires deficiant, ſufficienter queri non potuit, nec unicum tamen hujus defectus ſignum deprehendere potui, unde ſolatio ipſam erexi, & Speſic. Antih. uſum præcipue eidem commendavi, utut & ſine hoc malum ceſſare poſſet; dandum tamen aliquid eſt ejuscemodi metui, modo non nimium eidem tribuatur, nec medicamenta præſcribantur, quæ forſan morbum producere poſſent.

DIX.

DIX.

Cruſtæ antiquæ Spiritui Vini Camphorato cedentes.

ALiquot jam præteriere anni, quod Vir quidam ſanitatis ſtudioſiſſimus curæ meæ ſe commiſit, qui in pedibus extremis cruſtas aluit, quæ ſi & reliquum corpus ſic occupaſſent, ipſum ſine dubio leproſorum Claſſi inſeruiſſem, quarum tamen, quia cetera vix ullam moleſtiam concitabant, parvam quin nullam gerebat curam, licetque aliis de cauſis bis terve balneo in uſum ducto cruſtæ hæ deciderint, eodem tamen vix ſepoſito niſi magis priori tamen modo priſtinum occupaverunt locum; accidit vero aliquando quod pedes intumuere quoque, & ob accedentem aliqualem inflammationem ego opus eſſe judicavi, ut Spiritus Vini camphoratus parti affectæ aliquoties applicaretur, quod cum is diligenter admodum præſtitiſſet, non ſolum in prædictis malis ſummum levamen invenit, ſed & cruſtæ ſic paulatim abſumtæ fuere, ut in quibusdam locis vix quoddam earum indicium reſtiterit, unde & poſtea diligentius eundem continuavit: Quod nempe vix ab ullo alio medicamento expectare potuiſſes hic Spiritus præſtitit, qui propterea ut denuo commendetur, meretur.

DX.

Arthritici tumor hydropis metum fruſtra injiciens.

VOcatus fui heri ad Nobilem quendam jam diu cum doloribus arthriticis conflictantem, qui, utut dolores nunc iterum plane remiſerint, pedum tamen tumorem præter conſuetudinem inſtare conqueſtus fuit, quem quidem utpote non dolentem minus curaſſet, niſi ſibi metuiſſet, ne inſtantis gravioris mali & in ſpecie hydropis ſit indicium, quæ res inprimis ejusdem Uxorem ſolicitam reddidit; accedens ergo ante omnia an difficulter quoque reſpiret? an & abdomen intumeſcat? qualem excernat urinam? interrogavi, cumque ex ſingulis reſponſis nil quicquam elicere potuiſſem, quod merito hydropis imminentis metum injicere potuiſſet, non niſi â doloribus arthriticis derivandum eſſe tumorem judicavi, qui vero nunc diutius inſtet, quoniam tam ſæpe jam redierit, hinc enim cutim ſemper magis diſtendi, fibrasque ſic extendi, ut difficilius ac olim in priſtinum redeant ſtatum, hincque aliis arthriticis novum non eſſe, quod ab ejuscemodi tumoribus nunquam penitus liberentur: Uti vero eidem ſic ſcrupulum exemi, ita ut tamen tumori huic obviam iretur, ſuffumigium ê Maſtiche & ſuccino, hocque fruſtra adhibito Spir. Vini Camphoratum commendavi.

DXI.

Hepar affectum acidularum non eſt contraindicans.

HAbet hic ipſe Vir filiam tredecim annorum, jam per annum & quod excurrit, febre alba laborantem, quæ hactenus varia remedia in principio quidem non abſque fructu quodam in uſum duxit, at & ſub diligenti illorum continuatione malum ſemper denuo ſic exaſperatum fuit, ut vel pallido faciei colore tantum non quosvis accedentes permoverit, ut remedium quoddam commendaverint; interque eos quidam primarius amicus acidularum quoque mentionem fecit, ſicuti vero alia, quam quæ ego hactenus præſcripſeram, aut minimum conceſſeram, remedia non adhibuerunt, ita & de hoc mentem meam explorarunt, nec ego diſſuadere aquas in hiſce præſertim malis tantum commendatas potui; minime autem conſentientes habui accedentes quasdam medicaſtras, quæ niſi pulmones, hepar reliquaque viſcera optime ſint conſtituta hunc potum Virgini perniciosum futurum, aſſeruerunt, unde mater prudentiſſima & hoc ad me detulit, ego vero ſicuti in Pulmonum morbis omnino acidulas minime prodeſſe, ita in hepatis præſertim affectibus illas ſummo cum fructu bibi, reſpondi; cujus rei ſicuti facile quamplurimos teſtes omni exceptione majores adducere poſſem, ita & rationibus pro hac ſententia certare, ſi vacaret, non ita difficile foret, quas inprimis experientia confirmat: Sic vero ab imperitis plerumque contraindicantia adeo inter ſe invicem confunduntur, ut & illa, quæ maxime generoſum quoddam remedium requirunt, iisdem annumerare non dubitent.

DXII.

Alvi fluxus in Infante debito citius inhibitus.

PArentum honoratiorum filiolus unicus, vix tres hebdomadas natus, cum prius alvum fere ſemper obſtructam habuiſſet, exhibito nutrici Rhabarbaro & Juſculo Hb. Chærefol. & Lactuca alterato, eam primo quidem rite deponere cœpit, at paulo poſt ſucceſſit nimius ejusdem fluxus, quem dolores acerbos comitari, tum continuo ejulando detexit, tum viridi colore tincta excrementa prodidere; in principio ergo minime ſiſtendum eſſe hunc fluxum ratus, non tam adſtringentia quam humores acidos & acres corrigentia medicamenta præſcripſi; quæ tamen fruſtra omnino ſumſiſſe videbatur, dum non ſolum dolores inſtitere, ſed & crebrior alvi fluxus jam viribus ſic inſidiari cœpit, ut & facies colorem induerit pallidiorem; Clyſtere itaque ex lacte & Saccharo præmiſſo mixturæ cuidam trium fere Unicarum præter Coral. r. pp. & Eſſ. Catech. granum dimidium Extr. opii Cydon. addidi, quales Mixturas in ſimilibus caſibus hactenus ſemper cum fructu præſcripſi, & ecce! exhibitis tribus

tribus parvis cochlearibus vix decima nempe totius Mixturæ parte in ſomnum conſueto profundiorem incidit puerulus, alvique fluxus ſic inhibitus fuit, ut per aliquot horas nil quicquam ulterius excreverit; at humorem illum acidum ſanguini confuſum fuiſſe, exinde abunde patuit, quia ægrotulus tam male ſe habuit, ut fere pro mortuo habuerint adſtantes, cum non ſolum toto corpore friguerit, ſed & illud non jam expalluerit, ſed lividum fuerit factum, & ad hæc nullum ulterius ediderit clamorem; unde me in conſilium vocarunt, egoque tam cito, ac quidem fieri potuerat, accedens, tali in ſtatu inveni puerulum, ut & ipſe pro deſperato habuerim, illico tamen Sal. Vol. Ol. Sylv. afferri curo, & hujus unam guttam, cum Aq. Confortante eidem infundo, & ecce! ſtatim aliquantulum ſe colligit, continuo itaque hunc ſpiritum, & Mixturam ſimul, cujus ingredientia Moſchi etiam granum augebat, commendo, quibus diligenter adhibitis, primo quidem alvus iterum aperta fuit, hinc vero puerulus ſic ad ſe rediit, ut jam iterum plenariam convaleſcentiæ ſpem ſuis det: quam cauti vero eſſe debeamus in inhibendis alvi fluxibus Infantum, ſi mecum alii ex hoc caſu didicerint, eundem legiſſe illos non pœnitebit, cum præſertim, ſi ejuscemodi erratum commiſerint, remedium quoque conveniens ſubjungatur.

DXIII.

Anum ſuo loco reſtituens remedium.

BImeſtre jam eſt, & quod excurrit, quod ego ad Nobiliſſimi cujusdam Viri filiolum trium fere annorum vocatus fui, de quo retulit mater, quod non ſolum continuo fere tenesmo vexetur, ſed & inde inteſtini recti quædam pars ſubinde ſic procidat, ut non niſi difficulter reſtitui priſtino ſuo loco poſſit, licetque remedia quædam & inter hæc Sir. Prunor. Sylveſtr. olim â me commendatum jam aliquoties adhibuerit, malum tamen inde non tam remiſiſſe, quam auctum videri, cetera vero cum ſic ſat bene ſe haberet, nec aliud in eodem notaretur vitium, huic inprimis ſtatim occurrendam eſſe, judicavi, & hinc inteſtino ſedi ſuæ reſtituto inſpergendum pulverem ex Boli Armen. ℥ij. & Tereb. Venet. ℥j. conſtantem præſcripſi, hunc cum vix bis adhibuiſſent, ab illo tempore ſedem ſuam ulterius non reliquit inteſtinum, jamque Dei gratia ſanitate integerrima fruitur puer: Tanquam medicamentum facile parabile ut hoc communicaretur, omnino dignum habui, cum nullibi hoc modo præſcriptum me legiſſe meminerim.

DXIV.

DXIV.

Odore facta difficilior reſpiratio.

MUlier quædam triginta annis vix tribus major, olim ſanguinea & habitior, cum ante quatuor annos phthiſin contraxiſſet, huicque quamplurima medicamenta fruſtra omnino oppoſuiſſet, inde per hoc temporis ſpatium tantum toto corpore conſumta fuit, ut, cum tandem & me vocaſſet, vix cutis oſſibus hæſerit; quoniam vero, uti facile ariolari potes, majori fortuna ac alii eidem non adſtiti, ipſa malum pro deſperato agnoſcere cœpit, & hinc omnia medicamenta ſepoſuit, nihilque magis in votis habuit, quam ut Deus beata morte tantis malis aliquando finem imponat; at tam cito quidem, uti ſperaverat, voto ſuo non fuit potita, cum in plerisque diutius hic morbus extrahatur, hincque ſemper pejus ſe habuit, & difficilis reſpiratio inprimis ſic aucta fuit, ut nil fere quod vel parvum odorem exhalavit, ferre potuerit, ſeu enim Aquam confortantem eidem exhibuerint, ſeu naribus ad reficiendas vires eam, quæ apoplectica nominatur, obverterint, ſeu juſculum nimis calidum attulerint, vapores ex his & ſimilibus rebus exhalantes adeo reſpirationem inhibuerunt, ut aliquoties eam jamjam ſuffocatum iri, metuerint; unde poſt aliquot hebdomadas hujus ſymptomatis ergo me denuo vocavit; ſicuti vero illud â pulmonibus ſemper magis magisque corruptis, hincque humorum per hos motu talibus ſubtilibus exhalatiouibus incitato quidem at ubique ſtatim iterum impedito, derivandum eſſe, credidi, ita eo minus axilium quoddam promittere potui, quo magis vires etiam interea defecere, unde ſolum confortans quoddam præſcripſi, patientiamque & in poſterum eidem commendavi: Tantum vero pulmonibus ad reſpirationem perficiendam indigemus, ut omnino, quo magis ſunt affecti, eo minus commode reſpiremus; uti vero ad eosdem non ſolum per os ſed & per nares aer defertur, ita tam graviter illos læſos omnino his quoque attracta in munere ſuo impediunt.

DXV.

Deliria â Calculo & aphthis producta.

NOvi virum quendam, jam diu calculi doloribus ſæpius excruciatum, qui aliquoties iisdem tantum torquetur, ut per bene longum temporis ſpatium ſanæ rationis uſu deſtituatur, unde tam delira profert verba, ut adſtantes non parum perterreantur, ne nempe graviora ſubſequantur mala, metuentes, qua de cauſa aliquoties me vocarunt, uti vero non niſi â dolorum vehementia hoc malum derivandum eſſe, ſtatim notavi, ita & his vel ſponte ceſſantibus, vel medicamentis quodammodo delinitis, deliria quoque ceſſant, ipſeque, quod plura parum apta protulerit verba, non ſine cordolio recordatur;

tur: idem notavi haud ita pridem in puero quodam ſeptem fere annorum cum aphthis laboraret, utut enim hæ nec febrem comitem habuerint, nec alia graviora mala, per aliquot tamen noctes ſic deliravit, ut Parentibus non parvum injecerit metum, ne febris maligna ſubſit, unde & me vocarunt; ubi vero puerum tam ſanum inveni, ut vix medicamento alio quam aphthis dicato opus habere judicaverim, ſub noctem tamen volatile quoddam eidem medicamentum exhibere juſſi, â ſanguinis nempe motu partim impedito partim interturbato hæc deliria derivans, quorum hiſtoriam vix repetiiſſem: niſi doctiſſimus Borrichius ſimilia fere olim ad Acta Hafnienſa communicando me inſtigaſſet.

DXVI.

Sororum duarum notatu digna differentia.

CUm nuper virginis cujusdam mentio injiceretur, quæ, quamdiu annum decimum quintum nondum transgreſſa fuerat, uti ſanis ita & formoſis annumerari merito potuerat, jam vero per triennium fere faciem ſic mutaverat, ut ea non parum â priore differat, quidam in iisdem cum eadem habitans ædibus retulit, eam per hoc temporis ſpatium aliquoties Eryſipelate faciei laboraſſe, hincque hoc malum tumorem in hac parte poſt ſe reliquiſſe, qui hactenus nunquam penitus diſſipari potuerit, (uti quidem & in aliis obſervatur, quod nempe identidem ceſſante febre aliisque Eryſipelas comitantibus ſymptomatibus tumor ſic ſat diu ſuperſtes ſit, & hinc peculiari interdum opus habeat cura,) & hinc faciem ſic deformet; huic cum ego ſubjeciſſem, ſororem hujus virginis juniorem longe formoſiorem eſſe, & forſan hinc præ illa olim ſponſum nacturam, alius honoratior Vir præſens narravit, quod hæc ipſa ſemper in pueritia ſua minus bene ſe habuerit, & jam hujus jam illius partis ulceribus laborarit, adeo ut & nonnullorum cicatrices adhuc ſuperſint, ubi contra illa eam ſic ſat ſana transegerit; quam notatu dignam duarum ſororum differentiam ego me deſcripturum ſtatim mecum conſtitui, cum exinde non ſolum abunde confirmetur, iisdem parentibus genitos non ſemper eundem habere genium, nec ejusdem eſſe conſtitutionis, nec iisdem ſubjectos morbis, ſed inprimis magis conſtet, mala, quæ menſium fluxum antecedunt, iisdem rite ſuccedentibus plerumque in totum ceſſare, ea vero, cum quibus ingruunt, diutius inſtare, quod & in aliis obſervavi, nunquam vero talia mala integrè curabuntur, niſi uteri menſiumque fluxus præcipua habeatur ratio.

DXVII.

Infans recens natus multum ſanguinis per alvum profundens.

CUm nuper me Puerperam quandam viſitante obſtetrix quoque acceſſiſſet, ea narravit, ſe ante quasdam hebdomadas adſtitiſſe cujusdam Mercatoris Uxori, quæ filiolam ex omnibus indiciis ſanam juſto tempore ediderit, hanc recens natam vero, cum primo meconium inſtar aliorum excreviſſet, tam inſignem ſanguinis quantitatem per alvum profudiſſe, ut, per viginti quatuor fere horas inſtante hoc fluxu plura lintea inde commaculata fuerint, niſique quis infantem vidiſſet, & ipſa lintea reliquæque circumſtantiæ prodidiſſent, non hanc ſed novam puerperam in lectulo decumbere, credere potuiſſet, inde vero puellam ſic debilitatam fuiſſe, ut illam non ita diu ſuperfuturam adſtantes metuerint, ſed præſcriptis & in uſum ductis idoneis remediis primo quidem ſanguinis fluxum remiſiſſe, hincque & vires puellam collegiſſe, quæ vero in hunc usque diem, quam multum ſanguinis perdiderit, pallido faciei colore prodat: an arctius juncta fuerit quædam meconii pars arteriolæ & hinc divulſa ab eadem hanc hæmorrhagiam concitaverit, an vero acredine ſua unam alteramve arteriolam venamve erodendo eandem produxerit? an alia ſubfuerit cauſa? aliis dijudicandum relinquo.

DXVIII.

Capitis dolor ab utero.

MUlier quædam triginta quinque annorum, cum per annum & quod excurrit, tam vehementes paſſa fuiſſet capitis dolores, ut interdum eandem proſtraverint, tandem & meum conſilium deſiderat; at uti plures ſolent, miſſa ſolum urina, quam, cum diligentius inſpexiſſem, ſic conſtitutam inveni, ut ex illa ſolum pro ſaniſſima eam judicare potuiſſem, de quonam itaq; malo queratur? interrogavi, cumque modo nominatos dolores indicaſſet, ex ea quæ urinam attulerat, an hi perpetuo inſtent? an vero interdum graviores exſtent? quæſivi, & ad reſponſum, quod menſibus præſertim inſtantibus graviſſime eam torqueant, in horum conſtitutionem inquiſivi, hosque ſemper nimios eſſe, & per pluſculos inſtare dies certior factus nullus dubitavi, ab utero originem ſuam trahere hunc dolorem, & hinc eundem, niſi huic præcipue conſulatur, vix ac ne vix quidem tolli poſſe; cumque nimius hic fluxus raro aliis remediis tam cito certoque auſcultet, quam balneis, horum & inprimis Krumbacenſis uſum eidem recommendavi; referentique ancillæ, quod jam olim neſcio quas Thermas brachii dolori cum fructu quidem oppoſuerit, at in capitis dolore nullum prorſus ſenſerit levamen, regeſſi, forſan

illas Thermas, quas nominare non potuit, in uteri hoc præſertim vitio minus convenientes extitiſſe, cum pleræque venas uteri non tam claudant quam reſerent, quod tamen inprimis â commendatis non fruſtra expectetur, ſimulque Electuarium interea in uſum ducendum præſcripſi: ſæpius autem dolorem capitis in fœminis hinc ortum ſuum trahere, hactenus aliquoties obſervavi, huic quæcunque quoq; remedia oppoſueris, niſi fluxum ſanguinis nimium inhibueris ſemper laterem lavabis.

DXIX.

Arthritidis remedium minus fidum.

AUrifaber quidam jam diu & ſæpius ſat graviter doloribus arthriticis tortus, cum nuper forte fortuna me offendiſſet, lætus retulit ſe jam per integrum & quod excurrat, annum, â dictis doloribus prorſus immunem vixiſſe, nec unquam vel minimam percepiſſe ex iisdem moleſtiam, hocque ſe unice adſcribere remedio, quod ante hoc tempus amicus quidam ſibi communicaverit, ſuaſiſſe vero hunc, ut, quaudo vel minimum in pede notet dolorem, illum ſtatim aquæ calidæ (neſcio quo ſimplici alteratæ, hoc enim memoria excidit,) immittat, & poſtmodum non quidem cucurbitulas adhibeat, ſed absque his in toto dorſo plantarum pedis vulnuſcula excitari curet, ſanguinemque extillantem ligno ad id aptato detergat, ex quo enim bis terve ſic ſanguinem plane viſcidum emiſerit, non ſolum tum dolores inhibitos fuiſſe, ſed & poſtmodum ſe plane non torſiſſe, hincque ſe ſecum conſtituiſſe, quoties quidem reditum minentur, ſe hoc remedium iteraturum: Uti vero nullum eſt dubium, quin ſic materia quæ dolores concitat, quodammodo ſubtrahatur, hincque iis præſertim, qui in principio ſtatim tale remedium adhibent, ſine dubio illud prodeſſe poſſit, ſi præcipue diætam quoque mutaverint, quin tamen iis, in quibus jam radices egit malum minus ſit conveniens, licetque bis terve dolores lenierit, tandem pedes debilitando plus ſit obfuturum, & hydropem facile producere poſſit, ſi ſæpe inprimis iteretur, ego quidem totus credo, hincque hunc virum monui, ne nimium huic remedio fidendo graviora conſciſcat mala.

DXX.

Urina nigricans nil mali denotans.

VIdua quædam honeſta ſexagenaria major, tenuioris conſtitutionis, jam diu cum difficili admodum reſpiratione conflictata, quia ei varia remedia diu fruſtra oppoſuerat, ab iisdem per bene longum temporis ſpatium omnino abſtinuit, unde quidem pejus ſe non habuit, at nec facilius reſpiravit, quod tamen æquo tulit animo, quia cetera Dei gratia ſic ſe habuit, ut vel ſub hoc

malo inſtante ſe vitam adhuc diu prorogare poſſe nulla dubitarit, at vitæ amantiſſima ſedulo in quæcunque illa, quæ ſpem quandam ejus longioris nobis faciunt, inquiſivit; & hinc urinam quoque ſæpius inſpexit, quæ ſicut per bene longum temporis ſpatium ex illius judicio ſanorum ſimilis nominari potuit, ita mutata, & nigricantem colorem induens ipſam non parum perterruit, dum graviſſima exinde imminere mala, ſibi metuit; quem metum ejusdem non parum foverunt mulierculæ quædam, quibus hoc retulit, quæ quippe peſſima quæque denotare ejuscemodi urinam audierant; ut ergo certior redderetur, quid hæc urina denotet? me in conſilium vocavit, ubi cum cetera ſic ſat bene ſe habentem illam offendiſſem, nec de ullo alio malo quam ſupra memorato quereretur, appetitu ut olim ſe pollere, nec ſomnum vel minimum interturbari teſtaretur, â ſanguine grumoſo hunc colorem ortum ſuum trahere, ariolatus fui, & hanc meam ſententiam, antequam inſpexi urinam, detexi, cui ſtatim fidem adhibuit, & interdum aliquid nigricanti illi materiæ immixtum eſſe, quod non niſi ſanguis nominari poſſit, adjecit, ſimulque an menſes redeuntes hunc ſuggerant? interrogavit? uti vero ex urina poſtmodum inſpecta non niſi grumoſum eſſe ſanguinem quæ nigro eam tingat colore ſic ſat patuit, dum is fundum vaſis occupavit, ſupernatansque urina ſic ſat naturalis extitit, ita non tam ab utero quam renibus vel veſica eum derivandum eſſe, judicavi, cum quippe ſanguis menſtruus niſi in magna quantitate profuſus raro urinæ ſe immiſceat, & in viris ejuscemodi quid itidem interdum obſervetur; â medicamentis ergo abhorrenti juſculum ſola bellide alterandum commendavi, & trageæ, qua hactenus ex Cinnam. & Saccharo utebatur oculos cancrinos addere juſſi: Quod autem urina nigra non ſemper metum nobis nimium injicere debeat, & de ſanguine præſertim grumoſo, illa nobis exhibita ſit cogitandum, hic caſus confirmat.

DXXI.

Calculi ſigna cancroſo tumore ſuborto ſublata.

MAtrona quædam ſexagenaria major, nobilibus edita Parentibus, ceteraque ſanitate ſic ſat integra Dei gratia fruens, niſi quod de illis malis, quæ aliâs calculum veſicæ ſic ſat certo prodere creduntur, per aliquot annos conqueſta fuit, dum non ſolum ſemper fere urinam cum difficultate quadam reddidit, & hanc interdum aliquamdiu reddere non potuit, ſed & hæc ipſa varia calculi indicia de ſe præbuit, dum interdum cruenta quoque extitit, inſuper pondus quoddam veſicam premere ſæpe retulit, quin & medicamenta calculo dicata levamen quoddam attulerunt; cum nuper tumorem in mamma dextra notare cœpiſſet, qui indies magis cancroſi nomen meruit, quo majus hic incrementum ſumſit, eo magis ſingula recenſita mala ceſſarunt, adeo ut tandem calculi

culi nec ſuſpicio quidem merito ſuperfuerit; ex quo ſicuti abunde conſtat, humores quoque acriores in veſica eandem ſubinde agere tragœdiam, quam agunt calculi, ita quo magis judicium tuum de eorum præſentia ſuſpenderis, eo magis famæ tuæ conſules, in hoc ipſo enim ſubjecto me de calculo veſicæ olim vix dubitaſſe, non poſſum non fateri, cujus nunc nec minimum quidem indicium deprehendere poſſum.

DXXII.

Cantharidibus ſumme abutens.

FOEmina quædam, quæ ſe olim â primariis in Turcia parentibus ortum traxiſſe, & hinc per varios caſus & diſcrimina rerum jactatam, cum nempe in ultimo bello Turcico captiva facta fuiſſet, jactitavit, tandem hic loci quoque appulit, teſtimoniis pluribus gravis, quod non ſolum ſic revera res ſe habeat, ſed & interea ſalvificæ noſtræ religioni ſe addixerit, & tam egregia in eadem jecerit fundamenta, ut pluribus in eadem educatis longe accuratius rationem reddere ejusdem poſſit; commiſeratione vero vel ideo magis ſit digna, quia ſanitate non ita bona fruatur, tum interdum epilepticis paroxyſmis obnoxia, tum ulcera in pede alens catenis ferreis olim injectis ortum debentia, fidemque hæc eo majorem inveniſſet, quia pius quidam Studioſus Theologiæ, hæc omnia revera ſic ſe habere in litteris ſuisconfirmavit; niſi is ipſe interim certior factus, tantum non omnia per fraudem agi ab hac fœmina, hoc tandem addidiſſet; unde Pater Studioſi Conſulem ampliſſimum, quem propterea adiit, ut & hîc loci ſtipem colligere liceat, propterea monuit; qui humaniter quidem illam excepit, at ſerio monuit, ne decipere ſe tentet, in quævis enim ſe ſedulo inquiſiturum, ubi illa ſtatim pedem læſum detexit, ut nempe eum ad commiſerationem moveat, at is, teſtimonia ſe commodiore tempore perlecturum prætendens, eam certa conſtituta hora redire juſſit, interea vero ad eum delatum fuit, hanc ipſam fœminam Cantharides ê pharmacopolio peti curaſſe, quod ſtatim ipſi de ulceribus his mediantibus inductis ſuſpicionem injecit, hincque Chirurgum ad eam demandavit, inque ulcera caute quidem at ſedulo inquirere juſſit, qui juſſis parens cicatricem at diu jam inductam innoxiam invenit, cetera vero cantharidibus haud ita pridem applicatis adſcripſit; unde jam ſat de fraude conſtitit, carcerique eam incluſiſſet Dn. Conſul, niſi ſuadentibus Dominis ſuperioribus aures præbuiſſet, qui eam relegare ex urbe juſſerunt; teſtimonia vero eò miſit, ubi ſcripta fuerant, eaque ibidem, ſi innocens ſit, repetere, fraudulentiſſimam fœminam juſſit: Adeo quidem & ea, quæ aliâs remedia nobis ſuggerunt, in fraudem adhibentur, quales fraudes ut eo facilius detegere poſſimus, cum

hæc obſervatio aliquid conferat, haud prorſus abs re me eam quoque communicaſſe, totus ſpero.

DXXIII.

Sevi vaporem ferre non potens.

VIvit hic generoſus quidam Vir, qui exhalantes ex candelis ê ſevo ductis accenſis vapores adeo ferre non poteſt, ut quamdiu in conclavi, in quo talis ſic ardet, ut vapores inde ſuborti hinc inde diſpergantur, ſe detinet, male ſe habeat, difficilius reſpiret, niſique ſecedat, catarrho corripiatur non niſi diu poſt & difficulter cedente; unde uti ſibiipſi conſulit, dum aut candelas ex cera factus adhibet, aut & inſtrumento ad id parato ut vapores avertantur, curat, ita nunquam diu in loco moratur, ubi tali modo ſibi non poteſt conſulere: Uti vero Acta Hafnienſia hunc caſum mihi in memoriam revocarunt, in quibus incomparabilis Borichius hiſtoriam Aſthmatis quod ſebaceum nominat, deſcribit, ſubortum in fœmina quadam, quæ interdiu noctuque ſevavit, ita cum non omnibus ſic noceant ê ſevo exhalantes vapores, idioſyncraſiam quandam hic ſubeſſe nullus fere dubito, cum præſertim quam plurimos absque ullo aſthmatis metu huic operæ diu præeſſe, conſtet.

DXXIV.

Febris puerperalis ab aquis retentis.

FOEmina quædam nobilis, quæ, quoties quidem hactenus gravida extiterat, ultimo geſtationis menſe ſanguinem vena in manu ſecta ſubtraxit, & hinc per totum puerperii tempus poſtmodum non habuit, de quo queri opus habuiſſet, cum ſextò utero gerens jam quidem certum Venæſectionis tempus iterum deſtinaſſet, at ante hoc felici partu filium peperiſſet, vix biduo poſt partum elapſo non ſolum doloribus gravioribus, ſed & febre tam acuta correpta fuit, ut per aliquot horas varia delira protulerit verba, & inprimis ad partus laborem ſe denuo accingere voluerit, unde ego in conſilium vocatus fui, quoniam vero adſtantes retulere, parum admodum ſanguinis poſt partum ex utero profluxiſſe, non niſi ab hoc reſtitante corrupto febrem hanc derivandam eſſe, judicavi, hincque febrifugis præſcriptis tum putredini dicata, tum fluxum lochiorum promoventia adjeci, myrrham puta atque ſal Volatile ſuccini, quæ cum terve quaterve in uſum duxiſſet, ſanguinis quidem fluxus ordinarius ſuceſſit, at non tam grumoſum & corruptum ſanguinem ſimul, quam multum admodum aquæ, cui interdum membranæ quædam immixtæ erant, excrevit, continuatisque rite medicamentis die quarto Dei gratia â febre penitus liberata fuit, quæ interea etiam retulit, quod ante partum parum admodum aquæ illius, quæ aliâs hunc antecedere ſolet, profluxerit; ab hac

itaque

itaque retenta atque corrupta tam febrem quam dolores productos fuiſſe nullum eſt dubium; quæ cauſa uti non ita communis febrium puerperalium notatur, ita citius quoque eandem produxit, ac quidem communiter fieri ſolet; raro vero in puerperarum his febribus quæ modo communicavi, reliquis medicamentis fruſtra addes.

DXXV.

Cerevиſia Puellæ cuidam ſumme proficua.

Litterati cujusdam Viri filiola per aliquot menſes non ſolum continuis ejulatibus ſed & totius corporis conſumtione abunde teſtabatur, latitare in corpuſculo humores tum alendo corpori minus idoneos, tum nervos ſemper vellicantes, & hinc dolores excitantes, hos itaque ut corrigerent, per integrum trimeſtre varia tum ab amicis ſuaſa, tum à duobus medicis præſcripta medicamenta adhibuerunt; at omnia ſic fruſtra, ut jam de puellæ convaleſcentia fere penitus deſperaverint, accidit vero ſub illud tempus, quod novam ancillam conduxerunt, cui munus inprimis hujus educandæ commiſſum fuit, quæ cum vix per aliquot dies huic muneri præfuiſſet, in potu, qui hactenus aqua cocta extiterat, mali cauſam quæſivit, utque hic mutatus & aquæ cereviſia ſubſtituta fuerit, obtinuit; & ecce! ab illo tempore puella primo quidem conticuit, hinc vero toto corpore tam egregium ſumſit incrementum, ut ipſam penitus convaluiſſe, nullum ſuperfuerit dubium, qua bona valetudine jam per annum & quod excurrit ſic fruitur, ut magis ſana ſororibus, quæ in infantia nil ejuscemodi paſſæ ſunt, exiſtat: Utut ergo merito cereviſiam noſtratem facile aceſcentem pro potu in tam tenella ætate conſtitutis minus conveniente hactenus â me habitam fuiſſe, totus crediderim, hoc ipſo caſu edoctus interdum tamen eandem ſumme prodeſſe poſſe, ne nimium eadem in poſterum interdicam, movebor; nec alii abs re me ſequentur, modo caute proceſſerint, & conſideratis prius probe quibusvis circumſtantiis, cereviſiam conceſſerint.

DXXVI.

Menſes per integrum fere annum fluentes.

Hiſce diebus fœmina quædam paupercula me acceſſit, conquerens, quod jam per integrum annum tantum non continuo menſium fluxu vexetur, & hinc tantum debilitetur, ut ſæpiuſcule vix de lectulo ſurgere poſſit, nec opus hæc habuit, ut multa querelarum ſuarum teſtimonia afferat, cum vel imago, qua mortuam magis quam vivam repræſentavit, abunde hoc teſtata fuerit; unde de malo ſic ſat certus in originem ejusdem diligenter inquiſivi, retulitque, ſe olim aliquot liberos edidiſſe, ſemperque non niſi conſueto tempore & in

& in debita quantitate tributum lunare ſolviſſe, antequam vero ſic nimium fluere cœperint menſes, ad iram commotam ſe fuiſſe â quadam in iisdem cum ſe ædibus habitante, & hinc per tantum hoc temporis ſpatium nunquam integre remiſiſſe hunc fluxum; licet nec dolores ſentiat in pubis regione, nec unquam peregrini quid excernat; Cachexiæ ergo jamjam imminenti tum ut obviam irem, tum ut nimium hunc fluxum inhiberem, pulverem ex Croco martis adſtringente & rad. Tormentillæ conſtantem eidem præſcripſi, cujus diligens uſus ipſi non poteſt non prodeſſe; quantum ergo animi affectus in movendis etiam menſibus valeant, cum hic caſus confirmet, non abs re erit, ſi ſequiori ſexui ſæpius injunxeris, ut eosdem moderare diſcant, & ſic tum animæ inprimis conſulant, tum graviores morbos avertant, cum præſertim ea, cujus modo hiſtoriam dedi, teſtetur, hodienum per iram fluxum ſemper augeri, hincque hic affectus nunquam non iisdem noceat.

DXXVII.

Pleuritis in tympanitidem degenerans.

EO ipſo tempore attulit mihi quædam urinam, quam ſororis ſuæ eſſe aſſeruit, quæ ante aliquot menſes dolore lateris ſiniſtri punctorio aliquandiu vehementer inſtante, febrimque & tuſſim comites habente laborarit, hoc vero ſeu ſponte ceſſante, ſeu neſcio quibus remediis adhibitis, ſucceſſiſſe niſi majorem parem tamen in abdomine dolorem, quod paulatim inde in ingentem magnitudinem excreverit, ſponte tamen iterum ſubſederit aliquantum, at jam tum durum exiſtat, ut lapides ſubtus latere pareat, ſimulque alvum non niſi rariuſcule officio ſuo reſpondere, ſubjecit; ubi ſicut Tympanitidem hoc malum nominandum eſſe, nullus dubitavi, ita illud â Pleuritide minus rite tractata & hinc imperfecte ſoluta derivari, ſimul totus credidi, ſine dubio enim pus in inferiorem ventrem delatum, ibique moras nectens, in corpore impuriore ad hoc magis apto exiſtente primo quidem fermentationem excitavit, quæ abdomen tantum diſtendit, quod hac remittente ſubſedit quidem, at â materia adhuc reſtitante induratum fuit, unde cura non niſi difficilior prædici potuit, cum haud ita vana ſubfuerit ſuſpicio, nec viſcera in hac corporis regione latitantia omni prorſus labe carere, quæ præſertim diutius ſic affecta non niſi difficillime curantur, in remedio tamen quod pluribus Dei gratia proſunt, & nunc opem quæſivi, in marte nempe maritato Radic. Jalappæ, quo vero quid effectum fuerit, non reſcivi, hoc hominum genere rariſſime medicos de eventu horum malorum certiores reddente, quin nec ſemper medicamenta præſcripta in uſum ducente: quantum vero interſit, ut Pleuritidis decens habeatur ratio, & pus quovis modo ê corpore eliminetur, hæc obſervatio confirmat, graviora enim plerumque ſunt mala, quæ tum ſequuntur,

tur, ac quidem ipſum primarium extiterat, ſi inprimis in ipſo ſubſiſtat pectore, ibi ſiquidem phthiſin non raro excitare ſolet.

DXXVIII.

Terrorem aliosque animi affectus ſequentia mala.

OBſonatoris cujusdam Uxor quinquagenaria in lavandis linteis juxta fluvium occupata, ſimulque ad ædes ſuas ſæpius reſpiciens, ne nempe ſe neſcia easdem peregrinus ingrederetur, in fluvium prolabitur, quod adſtantes, quia illico ſurrexit iterum nec ullum accipit damnum, riſu excepere, nec, uti quidem decebat eandem adjuvarunt, adeo ut non niſi difficulter ê fluvio emerſerit; unde, uti facile ariolari potes, varii animi affectus commoti fuerunt, terror nempe â tam improviſo in aquas lapſu, metus in principio, ne iisdem ſnbmergatur, ira in tam immmiſericordes & irriſores ſpectatores, qui una cum alteratione quam ipſa aqua frigida induxit, non potuere non conſuetum humorum motum interturbare, & hinc primo quidem appetitum prorſus proſtravêre, hinc vero tantam induxere laſſitudinem, ut extra lectum vix degere potuerit, quibus cum & obſtructio alvi accederet, maritus permotus fuit, ut meum propterea conſilium expetierit, ubi, cum ex Urina allata & bilem loco ſuo motam fuiſſe conſtaret, hanc præſertim exterminandum eſſe judicans, Potiunculam Laxantem eidem præſcripſi, hac quippe non præmiſſa reliqua mala ſine dubio & difficilius & tardius curabuntur, in quibus tamen martiata inprimis haud ita fruſtra adhibebuntur.

DXXIX.

Ventriculus à bile regurgitante male ſe habens.

JUvenis quidam aurifaber conqueritur, quod jam per plures hebdomadas, quamdiu quidem nullum ingerat cibum, tam bene ſe habeat, ut absque ullo incommodo labori ſuo præeſſe poſſit, quamprimum vero vel fame ſic jubente eodem vel in haud ita magna quantitate utatur, tam male ſe habeat, ut præpondere, quod ventriculum gravet, tum de die vix labori vacare poſſit, tum noctu inquietè admodum dormiat, ſimulque urinam ſuam mihi monſtrans, ut conſilium ſalubre ſuggeram, rogitat; & ego omnibus circumſtantiis probe perpenſis, cum urina non tam cruda quam tinctior exiſteret, peregrini quid in Ventriculo hærere nullus dubitans, emeticum hic convenire remedium judicavi, taleque eidem præſcripſi; quod cum ſequenti die ſumſiſſet nunquam quidem alvum movit, utut & purgantia eidem admixta fuerint, at per aliquot vomitus ſe multum admodum bilis rejeciſſe retulit, unde huic præcipue mala quibus laboraverat adſcripſi, licetque nunc levamen quoddam perceperit, ut tamen & in poſterum ventriculus muneri ſuo melius præeſſet, Eſſent.

martis uſum eidem commendavi : regurgitat nempe ſubinde in ventriculum bilis, ſicque, ne coctio rite ſuccedat, impedit, niſi itaque hanc eliminaveris, medicamentaque eandem motui ſuo reſtituentia adhibueris, fruſtra aliis ſtomachicis pugnabis; urina vero in Ventriculo ſic affecto, non tam aquea & cruda quam tinctior ſemper fere exiſtit.

D XXX.

Eryſipelas brevi ſecundò rediens.

VIr quidam Illuſtris ſanguineæ conſtitutionis, nondum quadragenarius, cum ante undecim & quod excurrit annos, Eryſipelate pedis ſiniſtri laboraſſet, ab illo quidem tempore plane immunis ab hoc malo Dei gratia vixit, at tum ob aliqualem adhuc reſtitantem tumorem tum ruborem non plane diſcuſſum memoriam ejusdem ſic non perdidit, quin, cum hoc anno Menſe Auguſto illud rediiſſet, idem eſſe, brevi notaſſet, licet enim calor febrilis tantus, ut & delira quædam protulerit verba, viriumque inſignis proſtratio in principio gravioris mali metum injecerint, inſpecto tamen pede dolente & jam multo magis rubente de Eryſipelate ulterius non dubitavit, me verò nihilominus in conſilium vocavit, ut nempe rite tractaretur, nec ex neglecto hoc graviora emergerent mala; calore ergo per ſe valde aucto, non tam volatilia quam blanda diaphoretica eidem commendavi quæ & brevi febrim ſic abegerunt, ut ejusdem nec minimæ quidem ſuperfuerint reliquiæ, pedis quoque tumor & inflammatio inſperſis diligenter farina hordei & pulv. Radic. Liquir. quos pulveres inepte nonnemo in ſcheda quadam typis evulgata rejecit, indies magis ceſſerunt, adeo ut pedi non ſolum inſiſtere denuo, verum & incedere potuerit, at debito citius hoc beneficio abutebatur, pedemque nimium fatigabat, dum non ſolum domi negotia quædam perfecit, quæ nullam fere quietem eidem conceſſere, ſed & publicum frequentavit, ibique itidem talibus rebus præfuit, quæ continuum fere motum requiſiverunt; unde tumor adhuc reſtitans indies augmentum ſumſit, nec ullo medicamento diſſipari potuit, licet Manna corpus aliquoties evacuatum fuerit, pedique tum Spir. Vin. Camphoratum ſæpius applicaverit, tum ſuffimenta adhibuerit, & faſciæ tandem injectæ quodammodo prodeſſe viſæ fuerint, nec hæ tamen diu juvarunt, cum præſertim diætam etiam haud ita accuratam qua reliquas ejusdem partes ſervaret; unde tandem prius malum ſimili fere cum vehementia rediit, at, utut varii varia commendaverint remedia, is tamen iterum meo conſilio uſus fuit, unde ſicuti nuper ita nunc quoque blandiora diaphoretica eidem præſcripſi, hæc vero longe diutius ut continuarentur, rogavi, ſimulque pedi Spir. Vin. Camphor. mediantibus linteis quotidie bis applicare juſſi, utque nunc diutius lectum ſervet, conſultum duxi, quæ omnia cum rite executus fuiſſet, tumor

quidem

quidem in totum non fuit diſſipatus, at cetera Dei gratia ſic convaluit, ut negotiis ſuis ſat arduis præeſſe denuo potuerit, pedem tamen ex meo conſilio ab incremento tumoris faſcia muniens; ſicut enim & in aliis tumor pedum ab Eryſipelate ſubortus plerumque ſic ſat diu reſtat, ita plane neglectus primo, poſtmodum ſat difficulter diſſipatur: Merito vero Eryſipelas inter ea numerari mala, quæ, ſi ſemel hominem invadunt, plerumque ſæpius redeunt, hac obſervatione confirmatur, licetque plura remedia commendentur, quæ hanc reditionem certo impedire creduntur, aut tamen hæc votis non ſemper reſpondent, vel ſi in ſubjectis bile volatiliore abundantibus iisdem reſponderint forſan, magis obſunt quam proſunt, ſi præſertim hanc materiam peccantem non tam evacuando & corrigendo quam in motu ſuo impediendo vires ſuas exſeruerint: diſce vero etiam ex hoc caſu, quod, quo citius poſt hoc malum devictum convaleſcentes ſibi nimium fidunt, & parti inprimis læſæ minus parcunt, eo citius etiam reproduci illud poſſit, licet enim hoc non in omnibus & ſingulis ſic ſuccedat, ſufficit tamen uni alterive contigiſſe, niſique vel ſingularia talia exempla te cautiorem reddiderint, ſæpiuſcule ante victoriam triumphum canes, non ſolum in hoc ſed & pluribus aliis morbis, cum quibus commune hoc habet, quod niſi devictis iisdem accuratior geratur corporis cura haud ita diu poſt redire ſolent.

DXXXI.

Purgans Puerum ſtatim juvans.

NObiliſſimi Patris filiolus unicus undecim annorum, cum multa admodum ceraſa acida comediſſet, & his aquam frigidam ſuperingeſſiſſet, ſtatim quidem pejus ſe habuit, &, quod ipſe quidem acriter negavit, partem eorum vomitu rejecit, at, quia nihilominus hinc inde curſitavit, nec appetitum proſtratum notarunt adſtantes, utut ſic palluerit, ut & alii hoc obſervaverint, negligebatur hoc malum in quartum usque diem, quo demum de dolore abdominis querebatur puer, qui brevi ſic invaleſcebat, ut & de lecto ſurgere non potuerit; vocor hinc ergo, & ut conſilium ſuggeram, rogor, â Patre præſertim non parum ſolicito, ne, quia puer de dextri præſertim lateris dolore querebatur, hepatis quoddam ſubſit vitium, quod tamen ego tactu explorans minime laborare deprehendi, nec niſi â retentis fecibus dolores hos ortum ducere judico, cum præſertim per integrum triduum illas nunquam depoſuiſſet, purgans ergo hiſce eliminandis ſufficiens præſcripſi, Potiunc. nempe ex Infuſ. Lax. D. Mann. ℥vj. Specif. Cach. Ludov. & Rad. Jal. reſ. n. aa. gr. vij. ac diagr. ♃. gr. iv. conſtantem, quæ ſumta cum præter ſpem tres vomitus atque quatuor ſedes moviſſet, puer Dei gratia illa ipſa adhuc veſpera tam bene ſe habuit, ut eum cum ſororibus alacriter ludentem offenderim; E-

lix. tamen Aperitivum Cl. aliquoties eidem exhibere juſſi, ut nempe reliquiæ corrigerentur, & ventriculus in gratiam reduceretur: Præſtant ſcilicet reliquis omnibus in Puerorum morbis plerisque purgantia medicamenta, quæ in tempore exhibita morbos etiam graviores avertunt, quod ſæpiuſcule jam experientia me docuit, ut adeo ſi vel maxime deeſſent alia argumenta, quæ tamen non deſunt, vel hæc tamen pro purgantibus ſic ſtent, ut ea eliminari ê medicina non poſſe, fateri cogantur, vel infenſiſſimi purgantium hoſtes, ſi fateri, quod res eſt, voluerint, & non tam præconceptæ ſuæ opinioni litaverint, & morbos puerorum uti decet, aggreſſi fuerint.

DXXXII.

Ventriculi & capitis dolores Vomitorio cedentes.

ANcilla hujus Viri fortis & quadrata, ſubito dolore gravativo Ventriculi tam vehementi corripitur, ut, quia comitem hic habebat cephalalgiam non minus intenſam, licet labores ſuos perficere omni ope conata fuerit, tantum tamen hi dolores viribus ſubtraxerint, ut ab iisdem deſiſtere & in lectum ſe conferre opus habuerit; quoniam autem, uti hoc hominum genus cum pluribus aliis ſolet, non tam Ventriculum quam Cor nominavit, viresque tam ſubito proſtratæ ſuſpicionem malignitatis adſtantibus injecerunt, meum propterea conſilium expetitum fuit; ubi cum acceſſiſſem, & in ſingula diligenter indagaſſem, ex pulſu plane naturali, loco affecto, quem digito monſtravit, & reliquis circumſtantiis omnino ventriculum accuſandum eſſe ſtatui, licet ipſa ſancte teſtata fuerit, ſe per pluſculos dies nil quicquam ingeſſiſſe, quod huic vel minimam inferre potuiſſet noxam, ira tamen eam non parum effervuiſſe, aliæ indicarunt, hincque ego Vomitorium eidem præſcripſi medicamentum, quod ſumtum aliquot tum vomitus tum ſedes movit, ejusque uſui cum me itidem ſuadente noctu Mithridatii Damocr. uſum ſubſtituiſſet, Dei gratia penitus convaluit, quæ, ſi illius loco alexipharmaca adhibita fuiſſent, ſine dubio in majorem incidiſſet morbum: ubi nempe nulla adſunt contraindicantia in ejuscemodi præſertim dolore vomitoria præ aliis proſunt medicamenta, quæ in tempore exhibita plus præſtant, quam alia vel laudatiſſima diutiſſime continuata.

DXXXIII.

Teneſmi diu inſtantis cauſa diu latitans.

VIr quidam Conſularis, integerrimi nomine digniſſimus, quinquaginta trium fere annorum, ante hos duodecim annos poſt lapſum graviorem non ſolum humeri os luxatum habuit, ſed & poſteriora ſtipiti cuidam tam graviter alliſit, ut, cum os ſedi ſuæ denuo reſtitutum fuiſſet, & hinc dolo-

res

res inde ſuborti ceſſaſſent, hæc quoque læſa notarit, quæ læſio primo negligentius tractata tandem in fiſtulam degeneravit non niſi ſectioni cedentem, quæ vero Dei gratia tam feliciter ceſſit, ut ab illo tempore per novem & quod excurrit annos optima Dei gratia fruitus fuerit ſanitate; accidit vero elapſo hoc tempore, quod aliquando tantum ſanguinis per hæmorrhoidales venas perdidit, ut inde & animi deliquium ſucceſſerit, quoniam tamen brevi ſe collegit, nec ullum aliud percepit gravius ſibi viſum malum, nullum prorſus adhibuiſſet remedium, niſi inconſuetus plane faciei pallor huncque comitans difficilior reſpiratio ipſum permoviſſent, ut amicis identidem monentibus tandem aures præbuerit, & me propterea in conſilium vocaverit; ubi Eſſent. Mart. cum Succo Pomor. parata Dei gratia tantum eidem profuit, ut paulatim priſtinum recuperaverit colorem, & ut olim reſpirarit; at paulo poſt novum ſupervenit malum, continuò ſcilicet inſtans egerendi alvi feces cupido, ita ut ſingulis noctibus quater quinquiesve de lecto ſurgere opus habuerit, non niſi parum tamen quin plerumque nil plane excreverit; ſed & hoc ipſum malum parvi admodum habuit, & per aliquot menſes nullum eidem oppoſuit remedium, donec tandem ſomni tam ſæpe iterata interruptio viribus inſidiari cœpit, & ipſum ad labores perficiendos minus alacrem reddidit, ubi iterum conſilium meum expetiit, & quoniam inprimis â retentis fecibus hunc teneſmum derivavit, evacuans præſertim medicamentum deſideravit, quod licet aliquot moverit ſedes, tantum tamen abeſt, ut inde ceſſaſſet teneſmus, ut potius auctus fuerit, unde varia alia remedia in hoc malo laudata in uſum duxit, ſuffumigia nempe, fomenta, & quæ ſunt hujus generis plura, omnia tamen omnino fruſtra, ut adeo remediorum tædio captus tandem eadem omnino ſepoſuiſſet, niſi alvi accedens obſtructio eum quaſi coegiſſet, ut ſubinde laxantia ſumſerit, Pilulas nempe Emanuel. dictas, Paſſul. Laxant. Infuſ. fol. Sen. Rhabarbar. & ſimilia, quæ alvo aperta levamen quoddam attulêre quidem, at ſicut hæc ſemper paulo poſt denuo obſtructa fuit, ita & teneſmus rediit; dum ergo, niſi cauſa vera detegeretur, nos ſemper laterem lavaturos, nullus dubitavi, ante omnia de hac detegenda ſolicitus fui, & peculiarem eſſe, totus credens, primo quidem in mentem mihi venit fiſtula olim curata, an forſan hujus reliquiæ ſuperſint, & hinc ne hoc malum redeat, metuendum ſit; ſicut vero ipſemet monuit, nec olim quidem fiſtulam unquam teneſmum excitaſſe, ita inſtituta propterea loci olim affecti accuratior inſpectio adeo ſanum hunc monſtravit, ut dubium de cauſa vera inde magis auctum quam imminutum fuerit, quo ipſo tamen ab ea magis indaganda non tam deterritus fui, quam magis ad hoc ipſum opus incitatus, pernoſcens, quantum interſit, ſi curam rite inſtituere velimus, ut hæc inveniatur; quomodo autem eandem tandem detexerim, craſtino die enarrabo.

DXXXIV.

Tenesmi rara cauſa detecta.

SUb illud ipſum vero tempus prudentiſſimus hic Vir aliquoties calculi quoque doloribus corripiebatur, quos in renibus quidem genitos fuiſſe, dolor eorum præſertim regionem in principio occupans prodebat, nec diu in veſica ſubſiſtebant, ſed in eandem delati parvi admodum brevi excernebantur, unde reliquis quoque ſignis abſentibus in ejus cavitate calculum latitare, nulla ſuberat ſuſpicio; at cum teneſmus continuo inſtaret, urinam quoque turbidam interdum excerneret æger, an forſan calculus tam diuturnum producat malum dubitare cœpi, & hinc eidem perſuaſi, nt lithotomum tum forte fortuna hîc degentem me præſente in calculum inquirere ſiverit, qui cum decenti modo eundem collocaſſet, digitum ſiniſtræ manus inteſtino recto intruſit, hinc vero dextra manu abdomem leviter compreſſit, cumque aliquandiu huic operæ impendiſſet, retulit, nec minimum quidem calculi ſubeſſe indicium, at inteſtina ſic calere, ut ferendo calori digitus ſuus diutius non ſuffeciſſet, latitare vero inter veſicam & inteſtinum rectum tumorem glanduloſum pugni fere magnitudinem æquantem & ob varias rotundas eminentias ovario gallinaceo comparandum; ab hoc ergo teneſmum derivandum eſſe, uti nullum ſuperfuit dubium, ita cur tam difficilis curatu hactenus fuerit, & quod perfecte curari non poſſit, proh dolor! abunde conſtitit; injectiones tamen inprimis profuturas judicatum fuit, unde & ego Decoctum præſcripſi, quod quodammodo prodeſſe poſſe credidi, & hoc aliquandiu cum levamine quodam injecto, per alium etiam Chirurgum partem affectam exploravi, qui itidem calere magis ac aliâs ſolet indicavit, tumorem vero, quia ſolo digito malum exploravit, vix deprehendit; injectiones vero diligenter continuatæ fuerunt, & elapſis quinque fere hebdomadis lithotomus iterum priori modo inquiſivit, qui jam omnem calorem remiſiſſe, tumoremque valde imminutum eſſe teſtabatur, ſimul tamen & in ipſo inteſtino ſe eminentias quasdam notare indicabat, quod me permovit, ut ipſe quoque in easdem inquiſiverim, & ecce! quatuor vel quinque eminentias tam profunde latentes, ut vix attingere digito potuerim deprehendi, quæ ſicuti criſtas galli præſentabant, ita pro parte tumoris, quem lithotomus notarat, habebantur, nec ipſemet de hoc dubitabat, quoniam vero niſi tollantur, tenesmum nunquam plane ceſſaturum, ſat conſtabat, ne quicquam intentatum relinqueretur, celebrem Ulmenſium Chirurgum Georgium Riedlinum huc vocavit, qui inſtar circuli has eminentias inteſtinum rectum ambire deprehendit, & hinc nec ferrum nec ignem hîc locum habere judicavit, conſentientemque una mecum habuit tum forte fortuna hîc præſentem Veteranum & celeberrimum medicum Bilgerum itidem in conſilium

filium vocatum, unanimiterque ſtatutum fuit, crebrioribus injectionibus impediendum eſſe, ne hæ excreſcentiæ augeantur, interpoſitisque clyſteribus alvum ſubinde officii ſui memorem reddi oportere; ad illum vero finem obtinendum communi conſenſu decoctum Linariæ peculiari modo paratum elegimus, ſimulque &, quia interdum ſanguinis & pituitæ viſcidæ aliquantum excrevit, ſympathetica cura tentata fuit, quæ quidem Dei gratia ſic profuiſſe viſa fuêre, ut non ſolum teneſmus indies imminutus fuerit, verum & has ipſas excreſcentias tum minores tum molliores factas fuiſſe, per novas inſtitutas explorationes patuerit, unde non ita exiguam convaleſcentiæ ſpem concepit æger, &, quod prædixeram malum, quod nempe nil magis quam totalis alvi obſtructio ſit metuenda, jam ſe deviciſſe ſperavit, at citius, ac quidem credi potuiſſet, hæc ſupervenit, quod craſtino die leges: ex dictis vero, quam multæ multorum malorum cauſæ nos adhuc lateant, ſi didiceris, & hinc in novas, antiquis non ſufficientibus, diligentius inquiſiveris, te hæcce legiſſe vix poenitebit.

DXXXV.

Alvi obſtructio ſine ullo dolore letalis.

NOn ſolum nempe Ampliſſimus Dn. Conſul teneſmum vix ulterius notabat, ſed & appetitus redibat, melioremque iterum facies induebat colorem, cum heri memoratam concepiſſet ſpem, hincque ſplendidiſſimo ſuo muneri tum vices alterius Generoſi Viri Eryſipelate decumbentis agens, absque ullo incommodo præerat, cum veſpera quadam, ab inter ſeſe litigantibus nec ulli rationi aures præbentibus duabus mulieribus ad iram commotus fuit; & ecce! ab illo tempore alvus officio ſuo ulterius non reſpondit, quod tamen quia nulla alia moleſtia acceſſit, & inprimis teneſmus plane ceſſavit, minus curavit, nec ſecundo die hoc ad me detuliſſet, niſi una mecum forte fortuna convivio cuidam interfuiſſet, in quo, quomodo valeat? interrogatus, hujus obſtructionis mentionem fecit, ſeduloque ſtatim â me fuit monitus, ne hujus mali curam differat, & Clyſterem, qui hactenus nunquam fruſtra injectus fuerat, quantocyus applicari curet, quod ſequenti tertio nempe die factum fuit; utut vero nec hic vel minimum ex inteſtinis elicuerit, nec quarto die exhibitum foliorum ſennæ Decoctum magis profuerit, nec die quinto ab Uxore ſolicita hiſce ad me relatis, & hinc alio Clyſtere magis conveniente præſcripto, hic quoque alvum moverit, quia tamen ſemper muneri ſuo adhuc præeſſe potuit, nec ullum perſenſit dolorem, non niſi die ſexto tamen ab obſtructione incipiente me vocavit, ſerio ſimul obteſtatus, hoc die remediis ob negotia urgentiſſima ſe uti non poſſe, nec vel ſumme roganti ne diutius differret tam neceſſarium eorundem uſum aures præbuit, & illo ipſo adhuc die iisdem ut alias

vacavit,

vacavit, veſperaque Paſſul. Laxat. quas olim aliquoties cum fructu ſumſerat, in uſum duxit, at & hæ nil quicquam profuere, ut & Potiuncula largior ſequenti die ſummo mane ſumta, quam poſt tres horas vomitu rejecit, jamque demum ſibi quoddammodo metuere cœpit, & monitis meis medicis magis parere; utut vero nunc per Chirurgum denuo explorationem inſtituerim, an forſan excreſcentiæ inteſtini recti carnoſæ, excretionem impediant, ubi is easdem ſicut olim quin melius fere penetrare potuit,& per huncClyſterem iterum curaverim injici, & candela cerea viam aperire tentarim, &Clyſteribus quibusvis in majori quantitate injectis ſtatim iterum effluentibus illorum plures in minori doſi infundi curaverim, & hiſce retentis licet nil quicquam tamen profectum fuit; unde doloribus ſemper adhuc abſentibus die octavo purgans fortius eidem exhibui, at & hoc vomitu quidem non fuit rejectum, ſed nil quicquam præſtitit, licet iterum Clyſteribus fuerit ſolicitatum; unde jam de magis generoſis remediis cogitare opus habui, hæc vero absque aliorum conſilio ſuadere vix conſultum ducens, ut & alii medici vocarentur rogavi, quod ſtatim obtinui, adjunctisque mihi duobus excellentiſſimis Viris, communi conſilio cum Conf. Alkerm. c decem auri fulminantis grana eidem exhibita fuere, hujusque operationem ſuppoſitoriis promovere, conſultum videbatur, licet vero nil prorſus incommodi inde perceperit, & parum quoque ſecum excreverit, non tamen ſufficere hanc operationem abunde patuit, unde communi iterum conſilio ſex Mercurii vivi uncias deglutiit, poſt quas irritata iterum tum ſuppoſitoriis tum Clyſteribus alvus aliquantum quidem depoſuit, non tamen tantum, ut quantum requirebatur, aperta nominari potuiſſet, unde die nono ſex Olei Lini unciæ exhibitæ, ſimulque tum ſuppoſitoria tum Clyſteres continuati fuêre, at omnia omnino fruſtra, unde abdomine ſemper magis extenſo hoc ipſo die, nullo unquam præcedente dolore, cum paulo ante de lecto ſurrexiſſet, ſuffocatus vitam hanc cum meliori commutavit, pluribus deſideratiſſimus; cur vero tam difficile curatu hoc fuerit malum, uti jam ex ſuperioribus quodammodo legiſti, ita, quando cras, quæ cadaveris apertio detexerit? narrabo, vix miraberis.

DXXXVI.

Alvi obſtructione defuncti apertio.

TAm improviſa vero mors, per pluſculos enim dies vivere adhuc poſſe ægrotum, nemo dubitaverat, & cauſa hactenus nunquam oculis expoſita beate defuncti amicos permovit, ut ipſimet deſiderarint, ut poſt mortem quoque cultro anatomico mediante inquiratur, unde ſequenti ſtatim die huic ſubjectus fuit; ubi primo quidem non parum adhuc pinguedinis reſtare invenimus, hinc vero uti reliqua viſcera hinc inde poſtmodum ſat ſana conſpeximus,

mus, (Cor tamen inprimis magnitudinem conſuetam ſic ſuperavit, ut duplo majus extitiſſe, merito aſſeri poſſit,) ita in inteſtina inprimis inquiſitum fuit, quæ omnia mirum quantum inflata erant, & reliqua viſcera ſic ſuperiora verſus compreſſerant, ut tam ventriculus quam hepar & lien ſub coſtis delituerint, nec oculis ut alias ſtatim expoſita fuerint; in ipſo vero inteſtino recto excreſcentiæ carneæ in non ita exigua quantitate conſpiciebantur, & longe plures inveniebantur, quam quidem digitis in vivo corpore attingi potuerant, ſed juxta hoc & infra veſicam plane vacuam obtutui ſe ſiſtebat maſſa informis carnoſa partim, partim glanduloſa pugni virilis magnitudinem excedens, fere talis, qualem lithotomum deſcripſiſſe, nuper notavi, quæ non potuit non inteſtinum rectum comprimere & anguſtius reddere, unde excretio perfecta ſine dubio diu impedita fuit, non potuit etiam non ſuccedere olim teneſmus, tum ab hac ipſa anguſtia fotus, tum excreſcentiis præſertim & in his remoram trahentibus fecibus originem debens; ſicuti vero ſic ſemper excrementa quædam in inteſtinis reſtitere, motusque horum periſtalticus ut olim ſuccedere non potuit, ita illa in principio craſſorum juxta inteſtinum cœcum, (quod minimum & omnino vacuum deprehendimus) paulatim ſedem fixerunt, eaque ibi ſic extenderunt, ut ſaccus magnum Ventriculum magnitudine æquans in principio inteſtini Coli inventus fuerit, qui totus fecibus alvinis non quidem durioribus ſed liquidis repletus fuit, qui itidem non potuit non motum inteſtinorum tam neceſſarium indies magis impedire, & hinc tam gravem inducere obſtructionem, quotidie præſertim major & gravior factus; præter hæc vero nil quicquam notatu digni, niſi quod in tribus coli locis maculæ quædam gangrænæ incipientis indices viſæ fuerunt, comparuit: at tam ſubitaneæ mortis cauſam, cum brevi ante eam beatus Dominus adhuc ſolus de lecto ſurrexerit, in cordis magni & hinc per ſe majus ſpatium occupantis â viſceribus ſurſum preſſis nimia compreſſione & hinc motu ejusdem inhibito deducendam eſſe, ariolor: Unde vero maſſa illa carnoſa & glanduloſa ortum duxerit interrogatus, illam ex lapſu olim graviore, & hinc dilaceratis tum harum partium membranis originem duxiſſe, paulatimque increviſſe, donec meliora me quispiam edocuerit, reſpondebo: hinc vero in omnia & ſingula poſt lapſus graviores fruſtra non inquiri, ſi quis didicerit, mala quædam graviora interdum avertere poterit, utut enim non ſemper oculis exponantur læſiones quævis, graviores tamen ſubeſſe poſſe, quam quæ illis patent, præter hanc plures obſervationes docent.

DXXXVII.

Lumborum dolores à carne vervecina.

VIr quidam in magna conſtitutus dignitate, annis gravis, ventriculum quidem ſic ſat robuſtum nactus nec per plures annos unquam habens quod de eodem, quicquid etiam ingeſſerit, minus rite munere ſuo fungente conquereretur, annis tamen numerum ſeptuagenarium ſuperantibus, quædam difficilius in eodem conſummi, notavit, & hinc aliquoties dolores paſſus eſt, quos non niſi â coctione impedita & hinc ſubſequente alvi obſtructione derivandos fuiſſe, eventus docuit, dum nempe hac aperta illi quoque ceſſarunt; fidem vero, hunc illumve cibum minus bene ferre Ventriculum ſuum, nunquam prius adhibuit, quam quando bis terve ejusdem uſum ejuscemodi quid ſubſequebatur, & hoc modo etiam expertus fuit, quod caro vervecina quoque ciborum coctu difficilium numero ſit inſerenda, & quidem tum ea quam ſenior, tum quam junior ſuggeſſit vervex; cum enim ante biennium ferme ex illius uſu per aliquot dies male ſe habuiſſet, hoc anno juniorem minus nocituram ſperans, illius quidem haud ita multum comedit, at noctem ſtatim tam inquietam duxit, ut aliquoties de lecto ſurgere opus habuerit, dolores etiam lumbos occupantes tantos perſenſit, ut difficulter inceſſerit, quia vero nunc citius alvi apertio ſucceſſit, citius etiam â doloribus liberatus fuit: Et in concedenda carne vervecina juniore cautum ſe gerat medicus, nec facile, ubi ventriculum novit debiliorem, eandem concedat.

DXXXVIII.

Stercus Columbinum alvum movens.

CUm heri & antecedentibus diebus deſcripti caſus notitia ad plures deveniſſet, uti quidem fieri ſolet, plura quoque conſilia ſuggeſta fuere, ex quibus, uti quædam improbari non potuerunt, ita ut omnia admitterentur, nec medicamenta magis neceſſaria, nec aliæ circumſtantiæ permiſerunt, & inter hæc quoque numerandum eſt illud, quod quidam ſummis extulit laudibus, qui nempe ſtercus columbinum in Aqua coquere, & decoctum hoc decumbentem bibere juſſit, hoc enim quendam, qui plurima alia remedia fruſtra omnino in uſum duxerit, juviſſe, ſancte aſſeruit; utut enim hoc, dum alia & certius experta adhibenda fuêre, non admiſerimus, quin tamen in caſu præſertim neceſſitatis, & ubi alia medicamenta non ſunt ad manus, ſat tuto tentari poſſet, nullus dubito, abundat enim hoc ſtercus Sale, quod ingeſtum ſine dubio inteſtina ad excretionem ſtimulat, nec prorſus nil confert nauſea, qua ejuscemodi medicamentum ſumitur, quæ ſola quippe ſæpius alvum movet,

unde,

unde, cum non deſint præclari Viri, qui remedia in ſtercoribus quærere nulli dubitant, ſi & hoc communicem, non prorſus abs re futurum ſpero.

DXXXIX.

Pilulæ Aloeticæ majuſculæ.

FOEmina quædam non ê minimis, alvi præſertim obſtructioni tum gravida tum abſoluto puerperio obnoxia, & ea medicamenta, quæ ſiccioris conſtitutionis ipſam juvare poſſent averſata, ubicunque quidem opus habuit, medicos urſit, ut Pilulas præſcriberent, inter quas, quia præ aliis conduxiſſe, teſtata eſt, ſequentes Medicus quidam peregrinus præſcripſit,

℞. Balſ. Aloet. ℥ij.
⊖. Abſinth. ʒß.
Form. ſ. a. Pilul. Num. XXXVI.

harumque tertiam partem duodecim nempe Pilulas eandem ſumere juſſit, quæ & ſemper alvum moverunt, & aliquamdiu eandem apertam tenuerunt, unde, cum & me de iisdem conſuluiſſet, uti â majori aloes doſi hunc effectum derivavi, quem Sal non male adjectum adauxit; ità tamen in corpore ejusdem teneriori facile tandem vel menſium, vel & hæmorrhoidum, quibus interdum laborat, nimium fluxum ne tandem concitent, ſi ſæpius in tanta doſi in uſum ducantur, metuendum eſſe, ſtatui; hincque & minores parare pilulas juſſi, & in aliis, humectantibus præſertim & alimentis & medicamentis ut auxilium quæreret, eidem perſuaſi.

DXL.

Leproſus una cum uxore ſecundò viſitatus.

ANte bimeſtre fere me acceſſit Vir quidam prope ſeptuagenarius, qui jam ante triginta & octo annos Noribergæ, & tribus fere annis poſt hîc Auguſtæ ob ſcabiem, qua tunc fœda laboravit, ſanorum numero excluſus & leproſis annumeratus fuit, ſecum adducens ſuam uxorem, quæ, quia tum â pueris inter hujus ſortis homines vixerat, tum jam ante aliquot annos conjungium cum illo contraxerat, & ſcabie ſicca atque antiqua laborabat, ante tredecim annos itidem teſtimonium, quod, ut inter leproſos recipiatur, opus ſit, acquiſivit, & rogavit; ut iterum ſolennem inſtituam viſitationem, novasque hujus rei teſtes litteras tum ſibi, tum Uxori ſcribam; ubi, cum petito ejusdem ſatisfeciſſem, & hunc in finem Dn. meum Collegam una mecum ad hanc viſitationem deputatum vocaſſem, reliquias quidem quasdam prioris mali in marito & Uxore invenimus, non tantas tamen propter quas ſolas leproſis iterum annumerandum hoc par fuiſſet; quia vero tam diu jam inter illos vixerunt,

runt, vere præſertim & hyeme malum exaſperari ſancte teſtabantur, nec unde victum acquirere alio modo potuiſſent, habebant, petito huic ſatisfecimus, novisque eos inſtruximus litteris; quis enim absque nauſea converſatione uteretur talium hominem, qui tam diu jam ab omnibus omnino pro leproſis fuere habiti? qui etiam olim niſi lepra malo tamen huic adfini revera laborarunt, qui ut ſanis iterum adſcribantur, minime deſiderant; ſicuti enim hactenus aliquoties expertus fui, quod ſcabies tam antiqua utut aliquamdiu inducias concedat, nihilominus redire ſoleat, ita hujus farinæ homines, modo teſtimoniis, quod olim lepra vel huic adfini malo revera laboraverint, ſint inſtructi, non facile inter ſanos iterum recipendos eſſe, totus credo; verbis vero illorum ſolis ne facile fidem adhibeas, ſuadeo, non deſunt enim perditiſſimi homines, qui quovis modo contendunt, ut inter leproſos recipiantur, utut nec unicam quidem in cute maculam habeant.

DXLI.

Tinea laborans leproſis annumeratus.

BRevi poſt hos duos acceſſit puer quidam quatuordecim annorum, Auguſtanus, qui jam per aliquot annos tinea laboravit, hujusque mali ergo varias inſtituit curas, verum enim vero, licet aliquando plane abactum viſum fuerit, vix tamen per aliquot hebdomadas caput cruſtis non contectum conſpiciebatur, & illæ in majori ac olim numero illud denuo obtegebant, unde, cum præſertim ſcabies quoque totius accederet, ut in noſocomium receptus fuerit puer, Parentes obtinuerunt; ubi licet aliquot remedia in uſum duxerit, & balneum quoque adhibuerit, tantum tamen abeſt, ut inde ſanatus fuiſſet, ut potius æque ſcabioſus ac domum hanc ingreſſus fuerat, ad ſuos redierit, nec magis propitiam habuit fortunam, cum poſt hæc decocto Lignorum, ſuadente quodam celebri Practico per plures dies uſus fuiſſet; unde, cum jam & ſororem ſuam quodammodo infeciſſet, nec eſſet, qui ſumtus ſuggereret, ut nova & ſufficiens cura inſtitui potuiſſet, ut is in Leproſorium recipiatur, unanimiter neceſſum judicavimus, tum nempe ne plures inficiat, tum quia alius non datur locus in quem commode relegari ejuscemodi homines poſſent, quos inſuper in leproſoriis omnino admittendos eſſe, celeberrimi medici dudum ſtatuerunt, cum præſertim rariſſimè inveniantur, qui tali, qualis in libris deſcribitur, lepra laborant; eos ergo, quibus inſpiciendi hos homines munus creditur, nunc memorata quodammodo juvabunt.

DXLII.

DXLII.

Aſthma reproducens triſtitia.

VIr quidam quadragenarius jam per aliquot annos valetudinarius,& aſthmati præſertim aliquoties obnoxius tam gravi, ut ipſum ſuffocatum iri adſtantes metuant, ſicuti in ipſo paroxyſmo jam bis terve non exiguum levamen invenit in uſum ducto pulvere, quem ſub abſorbentis nomine merito hinc inde in ſcriptis ſuis commendavit magni nominis Medicus Wedelius, ita poſt ultimum ante ſesquiannum ſuperatum paroxyſmum aſthmaticum tam ſalutaris hic ipſe pulvis eidem extitit, ut per totum hoc temporis ſpatium ab omni malo immunis vixerit, licetque bis terve errores etiam diætæ commiſerit, nunquam tamen difficilius & poſt hos ipſos commiſſos reſpiraverit; Accidit vero ante duos ferre menſes, quod amicum quendam propinqua adfinitate ſibi conjunctum & dilectum admodum letali morbo decumbentem, forte fortuna eo tempore viſitavit, quo jamjam mors inſtitit, unde eidem fideliter quidem adſtitit, & paulo poſt fatis functi cadaver ê lecto removere, & collocare in locum eidem deſtinatum juvit, at inde ſic animo motus fuit, ut ſequenti ſtatim die malum priſtinum redierit, & difficilius ac olim unquam reſpirare cœperit; unde, cum præſertim cervix doleret, & vires imminuerentur, non parum ſibi metuit, ne extrema & ſibi inſtent, vixque mihi meliora ſperare jubenti in principio aures præbuit, at Dei gratia & hac vice metus ejusdem inanis fuit, cum enim Potiunculam antaſthmaticam vix bis terve in uſum duxiſſet, malum, (quod tantas vires ſumſerat, ut &, quod notatu dignum videtur, omnem odorem abſtulerit,) ſic ſe remiſit, ut jam & ipſe meliora ſperare cœperit, brevi enim liberius reſpiravit, hincque & reliquis malis ceſſantibus, odore quoque redeunte paulatim convaluit; Tantum vero animi affectus in morbis etiam chronicis revocandis valent.

DXLIII.

Spasmus â Venæſectione in pede inſtituta.

VIrgo quædam nobiliſſima, cum per aliquot menſes tributum lunare nunquam ſolviſſet, & hinc communia illa mala difficilior nempe reſpiratio pallidusque faciei color producerentur, hæc quidem in principio parvi habuit, at cum alia eaque graviora mala imminerent, hæcque tantum non omnes conſulti â menſium obſtructione foveri, contenderent, ut hæc reſeraretur, magis ſolicita eſſe cœpit; cumque hinc unum aliudve remedium fruſtra in uſum duxiſſet, ut vena in pede aperta fuerit, tandem conſenſit; cum præſertim & ego hanc Venæſectionem urgerem, cum quam male hæc nonnullis ceſſerit,

quædam prius narraviſſent, quin quod cognata quædam exinde ſat diu ulcus in pede aluerit, alia retuliſſet; tam bene vero in eadem adminiſtrata fuit hæc operatio ut Dei gratia nil quicquam mali præſenſerit, niſi quod ab illo ipſo tempore aliquoties ſpasmum in hoc pede obſervavit, qui prius nunquam moleſtus extiterat, ſponte tamen tandem ceſſavit; ut deſcriberetur, hic dignus judicatus, quia rarius ab hac cauſa productus legitur, ſi præſertim non ita magna ſubtrahatur ſanguinis quantitas, uti quidem in hoc ſubjecto ultra tres uncias vix fuere ſubtractæ.

DXLIV.

Abdominis dolor cum Vomitu à Vermibus.

DOcti cujusdam Viri filiola, quatuor annorum, elegans & amabilis cum prius non ita male ſe habuiſſet, nec ullum in diæta errorem commiſiſſet, ſubito de dolore ventris queri incipit, huncque dolorem cum brevi poſt ſubſequeretur vomitus, ſolicita mater me propterea in conſilium vocavit; ubi, quoniam olim bis terve calculi doloribus laboraverat puella, hiſce iterum eandem vexari credidiſſem, niſi nunc urinam absque ulla prorſus moleſtia reddidiſſet, hæcque ipſa non tam de calculo præſente, quam cruditate quadam ventriculi teſtaretur, quam eandem noctu inprimis minus tecto corpore decumbendo contraxiſſe, mater faſſa eſt, hinc vero eidem aliud, quam Elix. Aperit. Clauderi, remedium non præſcripſi, quo bis terve ſumto dolores omnino remiſerunt, puellaque per biduum convaluiſſe viſa fuit; quo elapſo ſubito denuo de iisdem doloribus conqueritur, & quidem iterum comitibus vomitibus, ceſſantibus tamen, cum brevi poſt etiam alvum depoſuiſſet, qua inſpecta pluſculos vermes in fecibus invenerunt, quibus an adſcribi poſſint memorata mala me denuo vocatum interrogavit Mater, nec ego dubitavi, hos ipſos tum dolorum tum vomituum extitiſſe auctores, & hinc non ſolum Elix. continuare juſſi, ſed & pulverem purgantem convenientem præſcripſi, ut nempe, ſi plures reſtarent tales minus grati hoſpites, hoc mediante illi expellerentur; quam ſæpe vero nobis nec cogitantibus quidem in morbis præſertim puerorum vermes ſubſint, hæc obſervatio confirmat, nunquam itaque errabis, ſi aliis huic ætati deſtinatis medicamentis, ea quoque, quæ vermes necant addideris, cum præſertim hæc ipſa medicamenta & aliis indicationibus ſufficiant, & cruditates in hac ætate præcipue collectas itidem corrigant.

DXLV.

DXLV.

Mors non eſt promovenda.

HEri me acceſſit Lanionis cujusdam Uxor, & retulit, quod ſoror ſua, quæ jam diu variis morbis, contumacioribus hypochondriorum & in iis ſitorum viſcerum obſtructionibus originem debentibus laboraverat, ante triduum ſubito ſic viribus privata fuerit, ut non ſolum omnium ſenſum uſu careat, ſed & nil qnicquam ulterius deglutire poſſit, hincque omnino in agone conſtituta ſit habenda; quoniam vero nihilominus non moriatur, quid mihi videatur, ſi in alium transferatur locum? me interrogavit, & ego reſpondi, pro ſuperſtitioſa me talem tranſlationem habere, quæ ſi omnino mortem promoveat, non tam aliquid conferat, quoniam in priori loco mori non potuiſſet morti proxima, quam quia ſic vires pauciſſimæ reſtitantes magis diſſipentur, quod ut intermittatur, ego quidem conſultius ducam: hactenus enim ab illorum partibus, qui ſtatuunt, in ejuscemodi caſibus mortem ſalva conſcientia promoveri poſſe, nondum ſto, cum vita noſtra ſit in manibus Domini, cui, ſi vel præſentibus quibusvis mortis indiciis prorogare illam nihilominus placuerit, quis temerarie reſiſtet.

DXLVI.

Febris puerperalis cum pluribus malis rediens.

FOEmina illa, cujus caſum Cura DXXIV. deſcripſi, cum per integrum triduum tam bene ſe habuiſſet, ut ſe alio malo, quam quod appetitui ſatisfacere non liceat, & hinc famem pati opus habeat, non fuerit conqueſta, utut enim dimidium pullum gallinaceum in prandio abſumſerit, hoc tamen famem minime fuiſſe ſedatam, poſtmodum teſtabatur; at non tam naturalem fuiſſe hanc, quam ab humoribus acrioribus in primis viis ſtabulantibus excitatam, paulo poſt abunde patuit, tertia enim poſtquam ſic convaluiſſe viſa fuit, nocte, febre iterum tam acuta correpta fuit, ut magis quam prius caluerit, & de vita nunc tantum non penitus deſperarit, unde marito ultimum Vale dixit, liberosque ſuos commendavit, nec mihi, qui ex quibusvis indiciis periculum tantum non ſubeſſe, eam certiorem reddebam, fidem adhibebat; at ego nihilominus ea, quæ ê re videbantur eſſe, præſcripſi medicamenta; quæ cum ſedulo ſumſiſſet, aliquot ſupra viginti quatuor horis elapſis calor præternaturalis remiſit; at ſucceſſit alvi fluxus tam frequens, ut ſingulis fere horis bis eandem depoſuerit, unde jam, cum pluribus puerperis exitioſas extitiſſe ejuscemodi diarrhoeas noviſſet, adhuc magis ſibi metuit, quoniam vero non niſi billioſa & fœtida valde excrevit, nec vires defecerunt, non itidem & ego, quin in principio non tam adſtringentibus hunc alvi fluxum inhibui,

hibui, quam potius Rhabarbaro toſto exhibito promovi, quo & opus fuiſſe, vel inde conſtitit, quia de acredine materiæ peccantis jam dolores etiam accedentes teſtabantur, qui brevi tantum ſumſere incrementum, ut Potiunculæ ex præcipitantibus & abſorbentibus præſertim conſtanti, Laudan. cydoniati granum adjicere opus habuerim, quæ & vix ſumta, dolores ſic inhibuit, ut vires hujus potiunculæ ſatis deprædicare non potuerit, cum præſertim per pluſculas horas dolores ſic intermiſiſſent; at rediere, & quidem majore fere quam prius cum vehementia, unde jam quibusvis ſignis abundare adhuc humores vitioſos indicantibus, Potiunculam laxantem præſcripſi, quæ ſepties quidem alvum movit, at utut poſt hanc Potiunculam anodynam iterarit, hæc tamen nunc uti primò non profuit, ſed dolores nihilominus inſtitere; unde jam pulverem convenientem poſt ſingula bihoria ſumendum præſcripſi, quo itidem parum conferente, jam de teneſmo inprimis querenti Clyſterem ex lacte chalybeato infundere juſſi, quo ſtatim regurgitante, fomenta commendavi, quibus & hoc malum Dei gratia paulatim devictum fuit; at reſtitêre neſcio quæ moleſtæ phantaſiæ tempore ſomni præſertim mentem perturbantes, quibus pellendis Potiunculam ex Aq. Ceraſ.n Meliſs. Acetoſ. fl. Sambuc. aa. ℥j. Cinnam. ſ. V. ʒiij. & Sirup. Granat. ʒvj. conſtantem ordinavi, quam & ſic profuiſſe indicavit, ut poſtmodum eandem iterarit, cum jam convaleſcentem idem malum incommodaret: Reſtare autem in puerperarum inteſtinis interdum excrementa, quæ plura mala excitare poſſunt, niſique blande ſubducantur, curam difficiliorem reddunt, præter hanc plures me hactenus docuere, vel hac de cauſa vero, ut primis inprimis diebus parum cibi ingerant Puerperæ, fruſtra non monentur.

DXLVII.

Menſes intempeſtive motos & inhibitos ſequentia mala.

MUlier quædam fere quadragenaria, craſſiore corporis habitu prædita & pinguis, aliquot liberorum felix mater, cum in filia ſua ante annum & quod excurrit, jam in facie jam in manibus per integrum menſem comparuiſſent, evanuiſſentque crucis formam referentes figuræ, quas in Gallicinio Cl. Gokelius deſcripſit, deque his varia varii ferrent judicia, nec deeſſent, qui incantationi easdem adſcribebant, hincque, uti quidem retulere, multum exagitabant Parentes; qui vero Pontificis ſequuntur aſtra, de veritate ſuæ religionis teſtari, aſſerebant, & hinc ad eam amplectendam eosdem inſtigabant, hisceque tandem aures præbuiſſet, & propterea una cum marito & quinque liberis Patriam reliquiſſet, hucque Auguſtam ſe contuliſſet, dolore pedis præſertim ſiniſtri correpta fuit, quem varicibus vel oculis patentibus adſcripſit, quos tum iterum increviſſe, quia ſe concepiſſe credidit, nulla dubitavit,

tavit, quoniam vero doloribus ferendis vix ulterius par exiſtebat, mulierculas propterea conſuluit, quæ ipſi Coriariorum Sudatorium mirum quantum commendarunt, quod & ingreſſa fuit, at doloribus inde valde exacerbatis, quædam ſuaſit, ut Potiunculam menſes moventem ſumeret, qua pota illi non ita diu poſt tanta cum vehementia ſupervenere, ut animam cum ſanguine eam profuſuram adſtantes metuerint, à quo tamen metu, dum ea, quæ ſuaſerat Potiunculam, fortioribus ligaturis, & forſan quibusdam aliis adhibitis ſanguinis fluxum ſubitò inhibuit, denuo liberatæ fuere; quia vero inſtitit pedis dolor, viresque non parum imminuebantur; medicum hac de cauſa conſuluit, cujus remedia vel ideo, quia decenti modo non fuere in uſum ducta, prodeſſe non potuere, quia tamen nihilominus, uti quidem fieri ſolet, medico adſcribebatur minus exoptatus eventus, hunc mutarunt, & me conſuluerunt; egoque, à nimis citò, & nulla cauſæ habita ratione inhibito fluxu ſanguinis ex utero profluentis in plethorica hoc malum non parum foveri judicans, præmiſſo purgante Venæſectionem in pede inſtituendam ſuaſi, at & mihi minus fidens priorem medicum de illa interrogavit, qui eam diſſuaſit, unde tum quidem non fuit inſtituta; at cum interea difficilior etiam acceſſiſſet reſpiratio, jamque ipſa nocte hic ipſe Venæſectionem urgeret, malo nihilominus inſtante, me iterum ſumme rogavit, ut conſilia in poſterum ſuggererem; quod & Matrona inprimis quadam nobiliſſima, Patreque Jeſuita humaniſſime rogantibus promiſi, ſicuti vero febrim quoque acceſſiſſe tum rediens notavi, ita hanc ſymptomaticam non ita difficulter brevi diſcuſſi, at dolores pedis reſtitabant, jamque & alterum pedem, quin tandem artus quoque ſuperiores aggrediebantur, quibus variis remediis obviam ivi, jamque blandioribus purgantibus humores peccantes educendo, jam eosdem corrigendo, jam ſudores movendo, jam cachexiæ imminenti obicem ponendo, jam putredini & exulcerationi (quas in utero ſubeſſe, urinæ purulentæ & fœtentes indicabant,) remedia opponendo, id quidem obtinui, ut urina olim ſumme tincta & pure repleta priſtinum acquiſiverit colorem & conſiſtentiam, alvus officio ſuo olim non niſi ſolicitata, nunc ſponte quotidie reſponderit, & interdum per aliquot horas dolores plane remiſerint, at quoniam identidem redierunt, & ego animo præſertim eam laborare itidem indicavi, quod quippe ex variis indiciis conſtabat, balneo, quod ego diſſuaſeram, uti cœpit, quod ego videns, eidem valedixi; at quanto cum damno balneum adhibuerit, paulo poſt experta fuit, dum non ſolum indies magis vires defecere, ſed & alvi fluxus nimius acceſſit, cui ſupervenientes convulſiones eandem vita privarunt: Uti vero nullum eſt dubium in hac animi mœrorem, undecunque quoque originem duxerit, malum quamplurimum foviſſe, ita quam parum proſint tam ſæpe inſtitutæ tum medicorum tum medicamentorum mutationes præter plures hic caſus confirmat.

DXLVIII.

Pulſus in Scirrhoſa bonus.

FOEmina quædam triginta & quod excurrit annorum, debilioris judicii & hinc ad paucos labores apta, uti ſedendo fere omnem ſuam vitam conſumſit, ita hinc, quoniam tamen ſimul cibos potumque affatim ingeſſit, paulatim primo quidem obſtructionem hypochondriorum, hinc vero & viſcerum quorundam duritiem contraxit, quæ mala tam diu vix obſervavit, quamdiu nullo dolore fuere moleſta, unde non niſi cum jam ſat altas egiſſent radices, & abdomen multum extenderetur, querelas movere cœpit, quas tandem Sorores ejusdem ad me detulerunt; nec fruſtra eidem martiata præſertim præſcripſi medicamenta, licet, quamprimum eadem levamen quoddam attulerunt, reſtitante licet adhuc duritie lienis inprimis, & hinc me monente, ut diutius continuet, ea ſepoſuerit ante tempus; per biennium tamen & quod excurrit, tam bene Dei gratia ſe habuit, ut pro ſana, quicunque eandem noverunt, habuerint, at elapſo hoc tempore priſtina mala cum fœnore redierunt, adeo ut nunc eandem proſtraverint, unde ego cum jam per aliquot hebdomadas decubuiſſet, denuo vocatus fui, uti vero tum nauſea ægrotæ ab omnibus medicamentis, tum durities lienis atque hepatis manibus patens, tum totius corporis conſumtio convaleſcentiæ ſpem parvam admodum reliquerunt, ita non ita cito morti eandem ſuccubituram, ex pulſu ariolari potui, qui tam naturalis extitit, ut ex eodem ſolo pro ſaniſſima eandem merito habuiſſes; hincque Pilulas, quas ſe ſumturam promiſit, convenientes eidem ordinavi, quæ iterum levamen quoddam attulere, vitamque ſic ſat miſeram per aliquot adhuc hebdomadas protraxit, qua tandem privata fuit: parum tuto itaque ſoli pulſui in morbis etiam graviſſimis fides, iis præſertim, qui ſedem in hypochondriis fixere, quos niſi alia ſigna detexerint, ex illo raro agnoſces, quamdiu etiam Cor tam bene ſe habeat, niſi & cetera viſcera valeant, tandem tamen & illud hinc in munere ſuo impeditur, & ſic fatis cedere cogitur.

DXLIX.

Salvia in tuſſi proficua.

NObiliſſima quædam Matrona aliam in puerperio decumbentem viſitans, cum me præſente audiiſſet filiolum tuſſientem, retulit, ſe hactenus ſuis liberis ſæpius ſummo cum fructu in tuſſi exhibuiſſe Salviam in pulverem redactam cum Saccharo permixtam, nec unquam diu eosdem, in tempore exhibito hoc pulvere tuſſiiſſe, quin & ſuſpectam aliquando tuſſim, quæ nempe prius diu aliis medicamentis non ceſſerat, eodem mediante ſublatam fuiſſe, à quo tempore tam magni nec fruſtra eundem æſtimet; quo ipſo ſicut confirmatur,

matur, quam merito Salvia inter pectoralia referatur, pollens nempe viribus tam incidentibus & ſiccantibus blande, quam travmaticis quoque, quæ in ejuscemodi caſibus vel maxime requiruntur, ita cum talia evporiſta multi præ aliis ament, ſi medicus pueris præſertim talim commendaverit, identidem non parum ſe commendabit, ſique hæc cura uni alterive ſic Salviam in memoriam revocaverit, cujus forſan aliâs non meminiſſet, jam fruſtra ſcripta nominari non merebitur.

D L.

Calculi in pueris infida ſigna.

NE calculo laboret filiolus ſuus nondum bimeſtris metuens Matrona quædam nobilis, & hinc meam ſententiam rogans, ſequentia mihi in memoriam revocavit, quæ hic repetere, haud prorſus abs re futurum, ſpero: Laborare nempe omnino & in hac tenella ætate conſtitutos ſæpiuſcule calculis, ſed æque in his ac in ætate provectioribus incerta eſſe eorundem ſigna, quin ſæpius ac in his ipſis fallere nos poſſe, nec omnes, qui pro calculoſis habiti fuerunt, ſemper revera calculo laboraſſe; ſic ipſemet memini beatam meam Matrem aliquoties mihi narraſſe, me nondum biennem aliquando Iſchuria correptum fuiſſe, & per pluſculas horas nec unicam quidem urinæ guttam excreviſſe, hocque tum beatum meum Parentem itidem calculo adſcripſiſſe, ſicuti vero tum malo ceſſante nullus calculus inventus fuit, ita Dei gratia in hunc usq; diem ab hoc malo immunis vivo: Curæ meæ creditus fuit olim Puer quidam nobilis, quem a prima infantia, quia ſæpius cum dolore minxit, quin aliquoties ſat diu mingere non potuit, pro calculoſo habuerunt, unde & mater ejusdem ſolicita valde fuit, ne aliquando lithotomo ſit ſubjiciendus, paulatim vero, nec ullo calculo excreto poſt annum fere octavum ſic evanuere hi dolores, ut jam viginti annis major nil quicquam interea conqueſtus ſit, quod vel minimam calculi poſſet injicere ſuſpicionem: Ante quatuor & quod excurrit annos Chirurgus quidam adduxit ad me filiolum ſuum, tum ſeptem annorum puerum, qui urinam jam ſat diu nunquam absque dolore excreverat, unde ipſemet Pater de calculo ſuſpicabatur, & in ſententia ſua magis confirmabatur, quoniam lithotomus quidam peritus idem ſentiebat, utque ſectione puero conſuleret, ipſum inſtigabat; cum vero ego in omnia diligentius inquiſiviſſem, non tam â calculo, quam urinæ acredine dolores dictos originem trahere judicavi, & hinc huic dicata medicamenta quædam commendavi, quæ Dei gratia ſic profuerunt, ut in hunc usque diem omnis calculi evanuerit ſuſpicio: quæ quidem ſicuti hunc in finem non narrantur, (vel forſan repetuntur, cum an non olim etiam unam alteramve harum obſervationum produxerim, adeo certus non ſim, certus tamen, non prorſus fruſtra repeti,) ut ſemper

medentium animis metus â calculo eripiatur, cum ſæpius ac quidem credimus, revera in pueris calculos inveniri, proh! dolor, experientia teſtetur, ita, ſi inde didicerint, antequam certi quid enunciatur in ejuſcemodi caſibus, diu judicium ſuſpendendum eſſe, fruſtra eadem narrata non judicabunt, hiſceque & ſimilibus hiſtoriis aliis metum interdum revera inanem eripere facilius poterunt.

DLI.

Intemperans ab hydrope non facile liberatur.

NOn ignobilis medicus Chryſippi diſcipulus apud Antigonum Regem amicum quendam Ejus, notæ intemperantiæ, mediocriter eo morbo (i. e. hydrope) implicitum, negavit poſſe ſanari; cumque alter Medicus Epirotes Philippus ſe ſanaturum polliceretur, reſpondit, illum ad morbum ægri reſpicere, ſe ad animum, neque eum res fefellit; Ille enim cum ſumma diligentia non medici tantummodo ſed etiam regis cuſtodiretur, tamen malagmata ſua devorando, bibendoque ſuam urinam in exitium ſe præcipitavit; hactenus Celſus: quæ Ejus verba cum plurimum conferant, ſi de hydrope certi quid prædicere voluerit medicus, ut hîc inſerantur, digna judicavi.

DLII.

Arſenicum improvide deguſtans.

HIſce diebus veſpera quedam ad Mercatorem quendam egregium vocatus fui, rogatusque ſimul, ut quantum quidem fieri poſſem, itionem accelerarem, cui petito, quia potui, & ancilla me in via offendit, illico ſatisfeci; vix vero domum ingreſſo occurrit materfamilias cum liberis virgineque adfine, & quod aliquid contigerit, quod non parvam ipſis injiciat ſolicitudinem, vel facie mutata demonſtrant, quod & juſſa virgo hoc modo exponit; rogata â Matrefamilias, ut venenum butyro immiſcere doceam alteram ancillarum, ut ea illud hinc inde pro muribus necandis, in domus angulis collocet, huic quidem petito haud ita lubens ſatisfeci, ipſamet tamen huic mixtioni interfui, dumque ſubigit butyro arſenicum, ego interea chartas uſorias peto, quibus diſcerptis illud illini, & ſic commodius hinc inde dividi poſſet, prius tamen monens ut caute venenum tractet, dum vero redeo, ancilla indicat, ſe venenum deguſtaſſe, nec quicquam deprehendiſſe, quod guſtui adverſaretur, quod ego quidem his verbis excipio, te tam inſanam fuiſſe, vix credam, & illa etiam ſtatim iterum factum pernegat; at vix elapſo horæ quadrante vomitu corripitur, & male ſe habere, inprimisque ſummam in pedibus laſſitudinem notare conqueritur, unde ego quidem, pergit narrando virgo, nulla dubitans venenum eam deguſtaſſe, hoc fratri detexi, qui tum

etiam

etiam accedens hæc ipſa confirmavit, & quia aliquoties hiſce diebus mortem exoptavit hæc ipſa ancilla, ſe vel propterea de veneno ſumto minus dubitare, aſſeruit; utut vero ancilla hoc pernegarit, quia tamen vomitus inſtitit, alvi etiam fluxus acceſſit, nec tormina defuere in prius ſaniſſima, nec ego de eodem deguſtato dubitavi, at deguſtato ſolum, quia nec anxietas magna adfuit, nec in pulſu ullam alterationem notavi, nec ſudor ullus ſupervenit; Potiunculam ergo ex Mithrid. præſertim, & Cryſtall. mont. pp. conſtantem eidem præſcripſi, cumque poſtea abiturientem certiorem feciſſent, ſanguinem immixtum eſſe eis quæ vomitu rejecit, ut eo certius corrigeretur noxa, quam venenum induxerat, hujus ſumti & hoc ſigno certior, poſt trihorium eandem Potiunculam iterare juſſi, unde & omne malum diſcuſſum fuit: Inſanæ vero hæc merito nomine venit, quod venenum deguſtavit, quod in tam parva quantitate cum tales exſerat operationes, quam parum tuto eidem fidetur, ut vel unquam loco medicinæ exhibeatur.

DLIII.

Auditus difficultas in Utero contracta.

DE puero, quem nuper leproſis annumerandum eſſe, judicavi, Parentes tum præſentes narrarunt, quod â nativitate ſurdaſter quoque exiſtat, hocque malum matrem ſemper adſcripſiſſe læſioni cuidam externæ, cum enim gravida adhuc aliquando ipſi obviam venerit currum trahens quidam, hunc improvide in ejusdem ventrem ſic impegiſſe, ut fere eandem proſtraviſſet; ſicuti vero ab illo tempore dolorem quendam in parte læſa ſenſerit, ita in capite hujus pueri vix editi maculam lividam notatam fuiſſe, quam omnes huic caſui adſcripſerint, & auditus gravitatem inde derivandam eſſe, ſe hodienum credere: Uti vero omnino aliquid conferre potuit hæc ipſa læſio, ita quantum debeant habere utero gerentes ſui curam, inde non parum confirmatur, cum alias tum ſibi tum fœtui mirum quantum nocere poſſint.

DLIV.

Morti diu vicina Cancroſa.

BIs terve jam in his curis mentio facta fuit Viduæ nobiliſſimæ quinque annis ſexagenaria majoris, quæ paulatim ex mamma cancroſa contraxit tumorem brachii indies majus ſumentem incrementum; de qua præter jam memorata ſequentia quoque non absque fructu quodam legentur: tumorem nempe æqualem ab humero ad digitos usque extenſum fuiſſe, & hos ipſos non parum extendiſſe, nullibi unquam vel minimum exulcerationis præbuiſſe indicium; quodque inprimis notatu dignum, nullum prorſus dolorem intuliſſe, ſeu jam cataplasmata varia calidiora & ſiccantia inprimis impoſuerit,

rit, ſeu, quod anxie deſideravit decumbens, Emplaſtrum applicarit; cum enim me ſuadente, illud, quod Diapalmæ nomine venit, ultimis hebdomadis adhibuiſſet, illud non ſolum tumorem emollivit, ſed & multum ſeri elicuit, at nec minimum quidem imminuit, quin & hoc ipſum in mamma magis quam ullum aliud profuit; quæ tandem circa papillam quodammodo exulcerata, at nec hæc ullo unquam dolore moleſta extitit: reſpiratio vero difficilis indies augebatur, nec ulli medicamento vel minimum cedebat; unde tandem lectum ſemper tenere coacta fuit, & quotiescunque corpus movebatur, ſuffocationis periculum imminebat, unde appetitu etiam prorſus proſtrato vires ſic imminuebantur, ut undecim ante mortem diebus hanc jamjam inſtare, fere nullus dubitaverim; utut vero hæc ejusdem indicia, pulſus ſcilicet vix digitos feriens, quin tandem per integrum triduum ceſſans, deglutitio fere penitus abolita, reſpiratio, qualis in morti proximis notatur, & quæ ſunt quædam alia, per integrum hoc tempus inſtiterint, non niſi tamen eodem elapſo vitam cum morte commutavit, ſenſibus interim quibusvis integris manentibus, & alvo vel ſuppoſitorio ſolicitata ſtatim officio ſuo reſpondente: ſanguinis nempe motus â particulis quibus ſcatebat peregrinis indies magis impeditus ſymptomata memorata produxit, at quia nihilominus Spiritus animales ſuperfuere, horum ope vita tam diu producta fuit, in cujus fine prædicendo ſi cautiores quosdam reddiderit hic caſus, fruſtra ſcriptus vix nominari poterit.

DLV.

Ophthalmia in morti proxima curata.

NOtari autem itidem meretur, quod in hac ipſa Matrona contigit, quod nempe his ipſis diebus, quibus ſic cum morte conflictata fuit, ophthalmia etiam acceſſit, dextrum inprimis occupans oculum, de qua quidem minime querebatur, at adſtans filia, ut quoddam remedium præſcriberem rogabat, cui petito Aq. Roſarum, cui parum Vitrioli addidi, ſatisfeci, & ecce! hæc quoque aqua deſiderio filiæ ſic ſatisfecit, ut rubedo oculi inde diſparuerit; Et in morti proximis ſymptomatibus quibusdam obviam haud prorſus fruſtra iri, inde diſces.

DLVI.

Sanguinis ſputum in morti vicina curatum.

MOdo deſcripta Nobiliſſima Matrona, tribus fere ante obitum ſuum hebdomadis tuſſi correpta fuit tam vehementi, ut aliquoties per integrum bihorium & quod excurrit eidem vacare opus habuerit, unde vires ſic inſumtæ fuerunt, ut poſt devictam tuſſim aliquamdiu vix verbum proferre potuerit; quæ tamen inſignis licet virium proſtratio tantum eidem metum non in-

jecit,

jecit, ac ſanguis, quem aliquando ſimul rejecit, ne enim hic mali quid portenderet, ne mortem acceleraret valde ſolicita, ut remedium quoddam eidem ſiſtendo dicatum præſcriberem, non parum urſit, nec ego defui ejusdem petito, cum præſertim hoc ſanguinis ſputum inſtaret, & is nunc, tuſſi quoque non inſtante, ſputum ſæpiuſcule tingeret, præſcripſi autem eidem ſequentem Mixturam:

℞: Aq. Tormentill. ℥ij.
Chærefol. ʒvj.
Cinnam. Cydon. ʒij.
Coral. pp. ℈ij
Extr. op. Cydon. gr. j.
Sir. Coral. ʒvj.
M. ad. V.

Sign. Stärckendes Stell-Waſſer/ davon offt zunehmen.

Qua vix bis terve ſumta ſanguinis ſputum penitus ceſſavit, ſicque ipſa & â metu, quem propterea fovit liberata fuit; licet, ſicut heri legiſti reliqua mala tandem eandem vita privaverint, tuſſimque inprimis brevi ante mortem ipſi moleſtiſſimam extitiſſe, interea etiam relatum fuit: Patet autem ex hac cura, deſperatos etiam & morti vicinos non tamen penitus eſſe derelinquendos, licet enim vita ipſis prorogari non poſſit, ſunt tamen quædam ſymptomata, quibus & in ejuscemodi ægrotis haud prorſus fruſtra remedia opponimus, quod ſicut ipſis levamentum quoddam affert, ita adſtantibus præſertim ſolatio eſt, ſi non quævis quæ adhibent, prorſus fruſtra adhibentur: Sat commode vero & aliis in ſanguinis ſputo hæc formula præſcribetur, quam propterea communico.

DLVII.

Febris Ephemera Cauſum minitans.

VIrgo quædam quatuordecim fere annorum, cum jam per aliquot hebdomadas difficilius, quando per ſcalas præſertim aſcenderat, reſpiraſſet, & dolorem quendam pectoris punctorium notaſſet, ſæpiuſcule etiam tuſſiiſſet, hiſce malis plane neglectis tandem ſubito febri correpta fuit, calore præſertim aucto tantum moleſta, ut, ſi hic diutius inſtitiſſet, cauſus nominari potuiſſet, at quia hoc Patrem inprimis perterruit, is me propterea in conſilium vocavit, & ego, uti ſoleo, in principio ſubdubitans, ne maligni quid ſubſit, Potiunculam alexipharmacam eidem præſcripſi, qua bis ſumta Dei gratia febris ſic diſcuſſa fuit, ut ſequenti die ejusdem nec minimum quidem ſuperfuerit indicium, ipſaque de lecto ſana ſurrexerit; At quoniam jam conſtabat, hunc febrilem paroxyſmum ortum ſuum inprimis debere ſanguini menſtruo, qui hactenus

ctenus exitum quidem quæſivit, at nondum invenit, hunc blande promovendum eſſe judicavi, ut tum in poſterum tales acceſſiones arcerentur, tum reliqua etiam mala inhiberentur, præſcripſi ergo martiatum quoddam ſuccino maritatum remedium, quod, ſicut totus ſpero, fruſtra in uſum non ducet: Utut nempe plerumque in hac ætate conſtitutis febres â ſimilibus potius quam aliis cauſis producantur, quia tamen non deſunt exempla, ubi & maligni quid ſubfuit, quod in principio neglectum poſtmodum turbas vix ulterius ſedandas excitat, ſi hujus in principio præſertim rationem quandam habueris, erroris minime argui poteris, cum utut majus malo remedium ſic exhibeas, illud tamen minime nocere, quin interdum minus malum, uti hîc factum fuit, tollere poſſit; at â volatilioribus medicamentis in ejuscemodi caſibus ut abſtineas, moneo, quæ quippe febres ardentiores præſertim magis accendunt, & leviores etiam in graviores facile mutant.

DLVIII.

Partum antecedens ſanguis fruſtra metum injiciens.

MUlier quædam, cum poſt trigeſimum demum ætatis annum conjugium iniiſſet, & ex hoc concepiſſet, partus tempore inſtante, ab hoc non parum ſibi metuit, & hinc ſuam heram, cui olim per plures annos ſervierat, rogavit, ut cum aliis adſtet, quæ de hoc partu ſequentia mihi retulit; quod nempe aquas, quæ alias partum antecedere ſolent, profuderit quidem, at has fœtus non ſtatim ſubſecutus fuerit, unde & obſtetrix difficiliorem prædixerit partum, cum communiter, nec quidem male credatur, quod hæ aquæ viam, per quam egreditur fœtus, lubricam & ſic ad hoc ipſum opus magis aptam reddant, diu itaque ante partum profuſis iisdem hæc denuo exſiccatur, & hinc is tum tam promte tranſire non poteſt; quia tamen nihilominus dolores partus inſtiterunt, ut hos ſecundet, obſtetrix eo magis hortata fuit, utque & aliæ in eadem ad idem perſuadenda ſe juvent, petiit, ſeu vero hi dolores genuini ſeu ſpurii extiterint, dum quantum in ſe fuit, monitis paruit parturiens, tandem ſanguinem purum in non ita exigua quantitate, cum prius is & ê naribus ſtillaſſet, ex utero excrevit, qui adſtanti præſertim Matronæ non ita parvum injecit metum, noſcenti quippe, quod fere in adagium abierit, aut matrem aut fœtum in mortis cedere prædam, ſi ante partum multum ſanguinis mater per uterum perdat, at obſtetrix eo magis urſit, ut partus dolores ſecundarentur, nec male, ſicut enim ſic brevi poſt peperit hæc primipara, ita & ſanguinis fluxus nimius ſponte ceſſavit: Modo ſcilicet partus brevi ſubſequatur, non habemus quod multum nobis metuamus, â ſanguinis fluxu eundem antecedente, at ſi aut nulli adſint dolores, aut & alio modo partus non promoveatur, metus is plerumque haud eſt fruſtraneus,

cum

cum præſertim partum pellentia medicamenta non adeo tuto exhibeantur, quæ nempe tum non tam partum pellunt, quam ſanguinis fluxum adaugent.

DLIX.

Icterus cum alvi fecibus flaveſcentibus.

MErcatoris cujusdam celebris filiolus unicus, cum vix per quatriduum hac luce fruitus fuiſſet, facies ejusdem flavo colore ſic obduci cœpit, ut eum ictero laborare abunde conſtiterit, cum præſertim & reliqua cutis eundem prorſus induiſſet colorem; uti vero hunc morbum infantibus communem vel propterea parvi habuerunt, ita cum is conſueto diutius inſtitiſſet, puerulumque doloribus affici, continui fere ejulatus proderent, me conſuluerunt, ubi, ſicut & huic ex marte paratum medicamentum, Specific. nempe Stomachicum non absque fructu præſcripſi, ita inprimis notatu dignum judicavi, quod utut is per quatuordecim & quod excurrit dies, totus ictericus extiterit, ſemper tamen excrementa alvi naturali colore conſpicua & flaveſcentia depoſuerit, nec unquam alba extiterint: Abundans itaque bilis in hoc puerulo Icterum produxit, quæ dum omnis per alvum excerni non potuit, in ſanguinem redundavit, & hinc cutim flavo obduxit colore: Uti vero tum huic tum aliis in tam tenella ætate conſtitutis, indicantibus ſic requirentibus, me Specif. Stomach. Poter. & ſimilia martiata ſat tuto exhibuiſſe, teſtari poſſum, ita ſi timidiuſculos ut idem tentent, hac hiſtoriola excitavero, jam uſu ſuo non caret.

DLX.

Ophthalmiæ paratu facilia duo remedia.

AD Senatorem quendam, filiæ ventriculi quibusdam malis laborantis ergo vocato inter alios ſermones is mihi retulit, quod â pueris ſæpius ophthalmia laborarit, duo vero paratu facillima remedia ſe hactenus huic malo nunquam fere fruſtra oppoſuiſſe, prout nempe â cauſa vel frigida vel calida illud derivandum eſſe, ſibi fuerit viſum; quando enim illam merito accuſari poſſe crediderit, ſe candelam ſebaceam accendiſſe, & ellychnio longiore facto illam extinxiſſe, hincque propius hoc oculo ſe admoviſſe, atque fumum ſic bis terve eodem excepiſſe, quod quidem ſemper hactenus tantum profuerit, ut nunquam ſe fruſtra adhibuiſſe meminerit; Quando vero rubeant oculi, & quaſi inflammentur, ita ut & color de calore nimio teſtetur, ſe medullam panis ſimilaginei in aqua puteali frigida macerare, & hanc poſtmodum expreſſam oculo dolenti imponere, dimidiaque fere elapſa hora hoc cataplasma ſe iterum removere, ſic vero iterato aliquoties hoc labore, ſe ſemper hactenus inſigne perſenſiſſe levamen: Sicuti vero non omnibus æque prodeſſe hæc ipſa reme-

dia, ipſemet adjecit, ita, cum fumus oculis ſæpius noceat, quam illos juvet, nec frigida ſemper ſat tuto adhibeantur, non tam ut quis imitetur, quam ut pluribus innoteſcant; & medicus eorum notitiam habens melius de iisdem judicare poſſit, ea communico, cum præſertim dentur caſus, ubi ultimum inprimis non omnino rejici meretur.

DLXI.

Ophthalmia aere mutato plane ceſſans.

UTi vero ſibi ipſi profuerint hæc duo remedia, hic ipſe Senator porro retulit, ita filio ſuo Mercatori, qui tum etiam præſens erat, & cujus ergo de hoc malo loqui cœperamus, eadem ophthalmiam nunquam abegiſſe, quæ ſicut eidem puero tam moleſta extiterit, ut & propterea fonticulum ſibi excitari curaverit, ita cum poſtmodum per aliquod temporis ſpatium in Italia commoratus fuerit, ſic omne hoc malum ceſſaſſe, ut & fonticulo ſe ulterius opus non habere judicarit, & hinc illum coaleſcere ſiverit; jam vero dum iterum in Patria degat, priſtinum malum priori cum vehementia rediiſſe, adeo quidem, ut laboribus ſuis vacare non poſſit, licetque propterea fonticulus jam iterum inuſtus fuerit, hunc tamen hactenus nec minimum quidem contuliſſe, unde meum conſilium rogavit, egoque purgante ipſum opus habere judicans, Pilulas huic fini ſatisfacientes eidem præſcripſi, quas nuper quidam eodem malo detentus cum fructu adhibuit: Aeris vero mutationem huic inprimis tantum profuiſſe, notatu dignum eſt, licet & potum non parum contuliſſe ipſemet mecum ſtatuerit, indicans, quamdiu quidem vinum biberit ſe ab hoc malo liberum vixiſſe, quamprimum vero ad cereviſiam redierit, & hoc rediiſſe; licet enim vinum malo præſente merito non concedatur, quin tamen in cauſa corrigenda & hinc malo in poſterum avertendo ſi præſertim Pituita abundet, præ cereviſia commendari mereatur, nullum eſt dubium: In Ophthalmia autem contumaci, qualis ſæpiuſcule eſſe ſolet, ſi & mutationis aeris hæc cura te commonefecerit, jam ſat illa tibi prodeſt.

DLXII.

Morbi ſponte ceſſantis diu reſtitantia indicia.

RUſticus quidam juvenis ætate quidem, dum hujus ſeptendecim numerat annos, at ſtatura vix puerum æquans, cum anno ætatis ſexto, morbo neſcio quo gravi laboraſſet, & ab hoc non tam medicamentorum convenientium uſu quam ſponte liberatus fuiſſet, ab illo quidem tempore ſemper male ſe habuit, nec tam alacrem ſe, ac alii in hac ætate conſtituti ſolent, præbuit, unde non ſolum, ſicut quidem Pater non ita male judicaverat, majorem ſtaturam non acquiſiverat, verum & fere ſemper difficilius reſpiraverat, quod malum

malum jam tantum auctum fuit, ut ope medica ipſum opus habere Pater ſtatuerit, qui & propterea me adiit, utque conſilium quoddam ſuggeram, rogavit, ſimul referens, ægrum etiam ſubinde tuſſire, & toto corpore conſumi, quod pulmonum læſorum mihi ſuſpicionem fecit; unde Decoctum quoddam travmatico-pectorale eidem præſcripſi: ſimul vero ex hoc ipſo caſu didici, quam multum interſit, ut in principio ſtatim morbis quibusvis rite obviam eatur, utut enim non raro contingat, quod vel graviſſimi morbi ſponte ceſſare videntur, non tamen ſic ceſſant, quin quædam ſuperſint reliquiæ, quarum ſi poſtmodum etiam nulla aut parva admodum habeatur ratio, paulatim humores ſemper magis magisque depravantur, hinc inde ſtagnant, & tandem viſcera aggrediuntur, unde mala ſuccedunt, quibus curandis ars medica vix ſufficit: non itaque tam audiendi ſunt illi, qui talibus ſponte ſanatorum caſibus commoti artem medicam contemnunt, quam diligentius in eventum inquirendum, qui rariſſime bonus eſſe poterit, dum ceſſare ejuscemodi mala potius videntur, quam revera ceſſant.

DLXIII.

Urina in febre continua ſemper bona.

MErcatoris cujusdam non ex infimis filiolus quatuor annorum, cum aliquoties cibi nimium ingeſſiſſet, inde male ſe habere cœpit, & inprimis calor p. n. tantus in eodem notatus fuit, ut febrim ſubeſſe Parentes nulli dubitaverint, unde me propterea conſuluerunt, egoque accedens puerum acute febricitantem inveni, certus tamen, non niſi â corruptis ciborum non digeſtorum reliquiis hanc febrem originem trahere, purgans medicamentum eidem præſcripſi, quod tum ſedes tum vomitus aliquot movit, calorem vero febrilem nec minimum quidem imminuit, unde ea adhuc veſpera, qua purgans ſumſerat, ſudoriferam Potiunculam eidem exhibui, quam tamen vomitu rejecit, unde Pater in Tinctura Bezoartica auxilium quæſivit, quæ in ventriculo retenta non parum profuiſſe viſa fuit; at ſequenti die calores nimii eadem cum vehementia rediere, & ſic per integrum quatriduum inſtitere, unde & ego medicamentis convenientibus inſtiti, quæ Dei gratia tandem febrim penitus extinxerunt; notatu vero dignum erat, quod hæc febris urinæ colorem plane non mutavit, hanc enim ſicut in principio morbi, ita per totum illius decurſum tam naturalem excrevit, ut ex ea ſola pro ſaniſſimo habuiſſes decumbentem, quod rarius contingere ſolet, nam licet nonnulli febricitantes urinam naturalem interdum exhibeant, ea tamen non ſemper talis exiſtit, ſed identidem mutatur, & poſtmodum morbum abunde prodit: ex hac ergo etiam cura in poſterum urinæ ſoli ſemper minus fidere diſces.

DLXIV.

Ventriculi ambuſtio curata.

JUvenis quidam Mercator, cum properanter nimis cibum adhuc ferventem in Itinere ingeſſiſſet, inde ſtatim pejus ſe habuit, & dolorem moleſtum circa os ventriculi ſiniſtrum perſenſit, qui nec potu frigido, nec cibis aliis ſuperingeſtis vel minimum mitigatus fuit, quin eum ſic torſit, ut & faciei colorem aliâs ſat vividum in tam pallidum mutaverit, ut hic mihi anſam præbuerit ipſum aliâs notum interrogandi, quæ ſubſit hujus mutationis cauſa? ubi quidem ipſum fere puduit eam proferre, & de cibis coctu difficilibus comeſtis quædam attulit, at cum vomitum hac de cauſa commendaſſem, hunc malum potius exaſperaturum haud ita male credens, quæ modo memoraveram, detexit, egoque memor, quod olim beatus Parens meus in ſimili fere affectu lac calidiuſculum hauriendum commendaverit, hujus uſum ipſi quoque commendavi, ad quem inſtans ſemper dolor & appetitus ſimul non parum imminutus ipſum quaſi coegerunt, nec tamen facti eundem pœnituit, poſtquam enim bis terve lac calidiuſculum bibiſſet, omnis dolor ceſſavit, priſtinusque faciei rediit color, unde pro communicato hoc remedio, quod prius parvifecerat, nunc gratias mihi egit: Non in quovis nempe malo magno ſemper remediorum apparatu opus habemus, ſed interdum vel ſimpliciſſimis rebus præſtatur, quod ab illo fruſtra expectamus, demulcent vero & deliniunt partes lactis butyroſæ & oleoſæ ventriculi partes â nimio calore læſas, unde non poſſunt non in ſimili caſu prodeſſe.

DLXV.

Aurium tinnitus ab hernia prolapſa.

MAtrona quædam honeſta, quinquagenaria, jam per pluſculos annos hernia inteſtinali laborans, cum ejus ſubinde minorem, ac quidem decet, geſſiſſet curam, â magis prolapſis inde inteſtinis non ſemel in mala ſic ſat gravia incidit, inprimisque ante annum & quod excurrit, doloribus intenſiſſimis ſucceſſit etiam vomitus, quo non tam quæ in primis ſolum contenta fuere viis, ſed & ea, quæ has jam transgreſſa fuerant, rejecta fuiſſe, vel fœtor excretorum abunde probavit, unde & ſudor frigidus aliaque mortis inſtantis indicia ſupervenere, cui tamen quomodo tum Dei gratia obicem poſuerim, alibi narravi; utut vero tum ſic convaluerit, ut ab illo tempore negotiis ſuis ut olim præeſſe potuerit, & nuper admodum filiorum ergo ipſamet me adierit, vix tamen devicto malo, tinnitu aurium affici cœpit non parum moleſto, tum ſono perpetuo iisdem obverſante, tum quia auditum quodammodo impedit; huic licet tum ipſamet varia remedia hactenus oppo-

ſuerit,

ſuerit, tum à me commendata in uſum duxerit, nil quicquam tamen iisdem profecit, ſed eum continuo inſtare, cum me adiiſſet, itidem conqueſta fuit: quibusvis ſcilicet humoribus in graviſſimo illo malo in motu ſuo interturbatis, auditus organum quidam peregrini occuparunt, qui altius infixi difficillime nunc diſſipantur.

DLXVI.

Cachexia ab hepate letalis.

AUrifaber quidam tribus annnis ſexagenario major, bonæ conſtitutionis rariusque morbis obnoxius, cum per plures jam annos tantum non quotidie ſic genio indulſiſſet, ut ſemper inter prandium & cœnam primo quidem vinum hinc cereviſiam quam fuſcam nominant, interdumque in debito majori quantitate, interdum etiam cum cibis minus convenientibus ingeſſerit, inde quidem nunquam ſe male ſe habere credidit, licetque per aliquot jam annos ſiccitatem oris minus conſuetam, manuumque tremorem notarit, hunc tamen â labore, quem olim in deaurandis vaſis argenteis ſæpius inſumſit, derivavit, illi vero crebriore potu ſic conſuluit, vel potius illius inde oblitus fuit, ut nihilominus ſibi ipſi ſaniſſimus viſus fuerit, quamdiu præſertim alvum quotidie bis terve apertam habuit; at cum ante quinque fere menſes caſeum in nimia quantitate comediſſet, & hinc lac ebutyratum ſuperingeſſiſſet, hujusque potum repetiiſſet, tormina inde ſuborta fuere, alvusque ſimul obſtructa ipſum commovit, ut me propterea conſuluerit, ubi ſtatim hæc tam facile ac olim aperiri non potuit, dum Potiunculam Laxantem, & Rhabarb. c. Crem. ♀r, quod aliâs in hoc caſu ſumme profuerat, nunc plane fruſtra ſumſit, nec niſi Clyſtere mediante ſcopum hunc aſſequi potuimus, utut vero poſtmodum purgante quoque pulvere exhibito dolores ceſſaverint, urina tamen multum tincta, & appetitus proſtratus cum colore faciei & reliquarum partium flavo ſat prodiderunt, bilem in motu ſuo eſſe interturbatam & extra limites vagari, unde martiata inprimis medicamenta comendavi, quæ quoddam quidem levamentum attulerunt, at alvus obſtructa ſemper fol. ſen. Infuſo, quod præ reliquis proderat, officii ſui memor reddenda erat, & accedebat ardor ventriculi ſumme moleſtus, quem oris ſiccitas major quam unquam antea comitabatur, ſitique ſedandæ nullus omnino potus ſatisfaciebat, nullus arridebat, unde tandem Acidulas Bruzenſes commendavi, quas ſicuti non absque quadam delectatione ita & tanto cum fructu bibit, ut jam iterum urina priſtinum acquiſiverit colorem, & in publicum prodire denuo potuerit, at ſimul redeunti appetitui nimium ſatisfecit, dum cibos coctu difficiores ingeſſit, unde urina poſt acidulas potas ut prius non ſucceſſit, licetque jam Egranas etiam biberit, nec hæ tamen vel urinam vel alvum moverunt, quin urina potius

priſtinum induit colorem & bis frigore minus conſueto correptus fuit, licetque â doloribus plane immunis vixerit, ardor ventriculi omnino deſierit, ſiccitasque oris poſt in uſum ductam Gelatin C. C. remiſerit, appetitus tamen jam ſic proſtratus fuit, ut quosvis cibos ſumme abhorruerit, nec niſi parum admodum ſumma cum nauſea ingeſſerit, quin & potus præter aquam nullus eidem gratus extabat, & inſuper vomitu quævis ingeſta quotidie fere rejiciebat, unde non potuit non inde viribus indies magis deficere; licet ex pulſu hoc notari non potuerit, nec facies etiam multum mutata fuerit, quæ me decepere, ut mortem tam cito inſtantem prædicere non potuerim, quæ placida antecedente frigore quodam intenſo, integris ad ultimum usque habitum fere ſenſibus nec mutata facie ſucceſſit: Sic vero nullus eſt, qui non tandem intemperantiæ pœnas lueret, ſub qua paulatim mors irrepit, nunc hiſce nunc aliis morbis præviis, inprimis vero huic hepar quoque male affectum fuiſſe, exinde patuit, quia non niſi lateri dextro incumbere potuit, quamprimum vero in ſiniſtrum ſe vertere voluit, vomituriit.

DLXVII.

Pilulæ in parva doſi laxantes.

AUrifaber, cujus caſum heri demum dedi, quoniam quamdiu morbo quem deſcripſi, detentus fuit, alvum nunquam ſponte apertam habuit, utut, ſicut memoravi, infuſum foliorum ſenn. ad illam laxandam nunquam fruſtra ſumſerit, ſed ſemper hoc ſufficienter eandem moverit, quoniam tamen & ab illo abhorrere cœpit, & cum acidulas præſertim biberet, tempus conveniens illud ſumendi non ſuppeteret, hac ipſa de cauſa de alio medicamento me ſolicitum reddidit, præſcripſi ergo Pilul. ex ♀rear. Schr. ℈ijß. & Extr. Helleb. n. ℈ß. N. Lx. formandas, harumque decem numero antequam cœnaret, ſumere eundem juſſi, quod cum feciſſet, inde alvus ſic mota fuit, ut de viribus quoque inde magis imminutis conqueſtus fuerit, unde nunc quinque Pilulas ſuffecturas ſcopo noſtro judicavi, qua de cauſa ſecundo & tertio plures non ſumſit, at & has nimium alvum moviſſe, conqueſtus fuit, unde aliquando iterum ad Rhabarbarum rediit, ſed hoc iterum fruſtra ſumſit, Pilulas itaque cetera non ingratas iteravit, & harum tres ſolum deglutiit, quæ jam tam blande & quidem ſemper ferme bis alvum ſubduxerunt, ut eas alternis diebus lubentiſſime ſumſerit, quæ & vel die mortualem antecedente idem quod hactenus ſemper præſtiterunt: Sicuti vero tales Pilulas in Lineis medicis tq. hypochondriacas me commendaſſe memini, ita & in pertinacioribus alvi obſtructionibus, ſi in aliis in tam parca doſi idem quod in hoc præſtiterint, commodius tutiusque remedium vix invenies; tu vero ut ego â pluribus, â paucioribus initium facere poteris, quibus non ſufficientibus tuto aſcendes; in hoc enim

ſubjecto ego nunquam ſperaſſem, tum parca doſi me vel minimum profectu-rum, hincque â ſcrupulo dimidio inchoavi, in poſterum autem idem, quod modo ſuaſi, tentaturo, quomodo ſucceſſerit, ſtatim communicabo.

DLXVIII.

Herniæ remedium Sympatheticum.

VIr quidam Illuſtris hiſce diebus ad me quæſtionem detulit, quid mihi videatur de remedio jamjam deſcribendo, an nempe tuto & absque ſuperſtitione in uſum duci poſſit? Linteum nempe, cui involutus fuerit mortuus ê ſepulchro (in quo tarde admodum corrumpatur, adeo ut duo cadavera citius quam tale linteum conſumantur) erui, in vino rubro coqui, & herniam hoc foveri, quam certo inde curari nonnemo coram ſe affirmaverit, & experientiam teſtem adduxerit; Sicuti vero tutum omnino eſſe hoc remedium, nemo facile negaverit, cum quomodo homini nocere poſſet, nullum prorſus ſubſit indicium, ita, modo ſicuti deſcriptum fuit, adhibeatur, nec quædam circumſtantiæ ſuperſtitionem redolentes acceſſerint, cur ſuperſtitioſum nominari poſſit? non video, cum plura alia quoque â mortuis absque ſuperſtitione petantur remedia, quæ nonnulli aliis longe præferre non verentur; ſic tumores in collo, ſi recte memini, applicata iiſdem manu mortui, & frictione eadem mediante inſtituta brevi diſſipari, teſtis fide digniſſimus eſt Illuſtris Wedelius, nec ipſe fruſtra hoc remedium olim Virgini cuidam commendavi: licetque quibusdam ejuscemodi curæ ſordeant, quin in dubium vocentur, merito tamen me judice prorſus rejici non poterunt, cum vel horror, quem tantum non omnes â mortuis habemus, mutationem in corpore excitet, quæ interdum non poteſt non prodeſſe, modo in tempore, & in malis, ubi prodeſſe poteſt, in ſubſidium vocetur: Er paulo poſt, is ipſe qui hæc narravit, eum cujus ergo quæſtionem moverit, hoc remedio mediante ab hernia feliciter liberatum fuiſſe, ſerio teſtatus eſt.

DLXIX.

Maxillæ oſſis laxatio à ſalivatione.

JUvenis quidam viginti annis major, cum aliquamdiu ſcabie laboraſſet, â quibusdam quidem pro leproſo haberi voluit, unde & mater ejusdem, ut ego quoque una cum Dn. Collega meo eundem annumerem iisdem, petiit, quia vero nullam unquam inſtituerat prius curam, & hinc malum pro inſanabili haberi minime poterat, aliaque ſcabiei tam perverſæ, quæ ut leproſis quem annumeremus, nos permovet, deerant ſigna, prius curam inſtituendam, & num ea mediante priſtinæ reſtitui poſſit ſanitati? tentandum eſſe, judicavimus; Cura itaque haud ita diu poſt inſtituitur, præſcio quidem medi-

co, at negotium Chirurgo committente, qui neſcio, an præmiſſo univerſali medicamento, illum unguento mercuriali ad promovendam ſalivationem in hiſce caſibus non rejiciendo, inungi curat, quod & tam brevi operationem ſuam exſeruit, ut, cum vix dimidiam unguenti partem, qua alii opus habent, abſumſiſſet, jam non ſolum caput totum mirum quantum intumuerit, verum & ſalivæ fluxus per aliquot hebdomadas continuo inſtans ſucceſſerit, nec unquam, ut hic magis promoveretur, opus fuerit; nec ullo etiam alio medicamento ipſum opus habere Chirurgus adſtans credidit, donec diarrhœa ſuperveniens ipſum permovit, ut medicum, ut præſcribat adſtringentem medicinam, rogaverit, quæ brevi, quod deſiderabatur, præſtitit, jamque ſalivatio itidem remiſit, & baculo ſuffultus incedere iterum cœpit æger; at quoniam os ut olim aperire non potuit, & hinc tum cibum minus commode ſumſit, tum non niſi difficulter animi ſenſa loquendo explicavit, hocque jam ſoli ſalivationi tribui poſſe, ipſe Chirurgus dubitavit, in hujus mali cauſam diligentius inquirere cœpit, & ecce! maxillæ eam partem, cui ſub ſalivatione continuo incubuit, extrorſum ſic luxatam invenit, ut non niſi difficillime ſedi ſuæ os reſtitui poſſe, ipſemet judicaverit; omnia tamen tentavit, & tum emollientia prius applicavit, tum poſtmodum manum quoque admovit, at fruſtra, diutius enim jam inſtiterat malum â ligamentis per continuum humorum affluxum primum relaxatis nunc vero induratis originem trahens, unde jam, ut ſaltem commodius cibum ingerere poſſet, dentes quidam effracti fuerunt, quam miſere vero nunc vivat, ipſemet judicare poteris: Hæc ſicuti ex ore ipſius Chirurgi hîc narravi, ita inde diſcamus, mercurii pro diverſitate ſubjectorum diverſam admodum eſſe operationem, & eum nunc citius & facilius, nunc tardius ſalivam movere, quod & ex pluribus meis obſervationibus conſtat, hincque dum adhibetur, ſicuti tutiſſimum eſt, ſi in principio tutiſſimis ex eodem paratis medicamentis utamur, ita in operationem diligentiſſime indagandum eſt, ne ſi ſaliva jam in debita quantitate profluit, medicamenta mercurialia continuentur, quæ quippe non poſſunt non tum eam nimiam movere: Quemadmodum vero oris & vicinarum partium diligentem eſſe habendam rationem, omnes, qui ſalivationem commendant, tradidere, ita hoc modo luxatio aut impediri aut in tempore curari potuiſſet, ſi nempe diligenter os quotidie inſpexiſſent ii, quorum intererat, nam quod illud aperire non poſſit, non potuiſſet non patere: Omnia ergo in cura per ſalivationem inſtituenda caute aggredere, & in quævis eadem inſtituta diligenter inquire, niſi loco laudis, quam ex illa reportare cupis, te proſtituere malueris.

DLXX.

Variolæ læſam â virgis partem præſertim occupantes.

PUer quidam ſeptem fere annorum, â matre caſtigatus & virgis cæſus in dextra præſertim natium parte ſic læſus fuit, ut ea hinc inde excoriata fuerit, alacris prius ab illo tempore minus talem ſe præbuit, & de lecto ſurgere noluit, non ſolum de dolore partis læſæ, ſed et, quod cetera quoque non ita bene ſe habeat, conqueſtus; quod tamen mater petulantiæ cuidam adſcribens in principio minus curavit, & ut de lecto ſurgeret puerulum coegit, qui vero extra illud degens ſtatim expalluit, & hinc matrem magis ſolicitam reddidit, cum præſertim calorem etiam p. n. in eodem notaret, unde medicum ſuum ordinarium in conſilium vocavit, qui ex quibusdam ſignis ſtatim collegit, variolas ſubeſſe, & hinc tum ea, quæ aliâs febri has puſtulas comitanti opponi ſolent, tum quæ earum eruptionem promovere creduntur, ordinavit, quæ & haud absque fructu in uſum ducta fuere, dum paulo poſt hinc inde maculæ paulatim in variolas matureſcentes comparuere, notatuque inprimis dignum erat, quod harum puſtularum longe plures partem à virga læſam occuparunt, quam reliquum totum corpus, adeo, ut in hac omnes quaſi puſtulæ in unam abierint, & ſic eam totam quaſi obduxerint, nihilominus autem integræ ſanitati reſtitutus in hunc usque diem Dei gratia eadem optima fruitur: Sine dubio vero tum ira tum dolores non parum contulere in hoc puero, ut hoc tempore variolis laborare cœperit, à quibus aliâs forſan aliquamdiu adhuc immunis vixiſſet; quod autem partem præſertim læſam occuparunt, confirmat regulam, qua ubi dolor eſt ibi affluxum eſſe, communiter dicitur, nec inde quoque argumentum pro Veſicatoriis in hiſce morbis, ubi exanthemata præſertim tardius erumpunt, petitum, invalidum nominari poterit.

DLXXI.

Icterus in gravida marte curatus.

ANte menſem & quod excurrit ad Aurifabri cujusdam Uxorem vocatus fui, gravidam & cetera quidem ſanam, at à laſſitudine totius, & urina præſertim ſic tincta, ut cerevißiam fuſcam colore repræſentarit, ut morbo cuidam igruenti obviam in tempore eat, quaſi monitam, cum calorem quendam febrilem ſubeſſe inprimis metueret; accedenti vero, flavus in ſpuma urinæ conſpicuus color ſtatim ſuſpicionem Icteri injecit, cum cetera non adeo male ſe haberet, appetitu adhuc valeret, & laboribus ſuis domeſticis ſic ſat præeſſe poſſet; hinc eam ad lucem deduxi,. colorque flavus qui oculos præſer-

tim infecerat, in ſententia mea me certiorem reddidit; quod cum illi denunciaſſem, jam metuere cœpit, ne morbus hic in ſe gravida curari non poſſit, & hinc ad tempus partus usque altiores ſit acturus radices; ſed ego hunc metum ejusdem animo exemi, & medicamenta pleraque averſanti Eſſent. mart. Ludovici præſcripſi, quæ Dei gratia tantum profuit, ut paulo poſt eandem ſanam & nullo peregrino colore defœdatam in platea offenderim; vanus itaque eſt metus quem nonnulli in pectore alunt â medicamentis gravidis exhibendis, quod ſicut alibi jam probavi ita hac cura confirmatur; inprimis vero non habent quod vel à martiatis ſibi metuant, quæ ſæpius jam cum fructu meiisdem exhibuiſſe, nunquam vero vel minimam inde noxam ſenſiſſe, ſancte teſtor.

DLXXII.

Balſamum Copaivæ Opobalſamo commode ſubſtitutum.

MUlier quædam honeſta triginta octo annorum, cum jam ſæpius gravida ſemper tum præſertim temporis â fluore albo non parum moleſtiæ pateretur, in hoc quidem malo egregium levamen percepit, quando aliquoties Opobalſamum, quod ſub veri nomine venditur, ſumſit, quod tamen, quia hac ipſa de cauſa in non exiguo pretio divenditur, nimis pretioſum ipſi videbatur, unde me, ut remedium quod cum hoc viribus quidem reſpondeat, at paucioribus nummis comparari poſſit, rogavit; & ego Spiritum Terebinthinæ commendavi, quem idem plane præſtitiſſe, aliquoties tum hæc teſtatâ fuit, tum aliæ plures notarunt; accidit vero forte fortuna, quod dono accepit Spiritum talem ex Tirolenſi Comitatu allatum, quem cum nuper denuo gravida priori malo non parum vexaretur, aliquoties in uſum duxit; licet autem denuo etiam ſcopum ſuum obtinuerit, quod nempe fluor albus plane inhibitus fuit, ſucceſſit tamen malum hoc ipſo magis moleſtum, dum nempe vix tertio menſe gravida tantum non continuò ad urinam excernendam ſtimulata fuit, & ejusdem etiam majorem ac aliâs quantitatem excrevit, unde jam omnis hic ſpiritus eidem ſuſpectus eſſe cœpit, & redeunte fluore albo annon aliud ſubſtitui poſſit Balſamum minoris pretii? me interrogavit, commodeque mihi in mentem venit Balſamum, quod de Copaiba nominant, hoc enim iisdem pollere viribus variis de cauſis non habebam, quod vel minimum dubitarem, unde hoc eidem præſcripſi, nec ſpe mea vel minimum falſus fui, ſicut enim idem omnino quod olim opobalſamum præſtitit, ita urina illud nimium non moviſſe, nuper, cum hujus rei mentio fieret, gaudens retulit: Balſamum de Copaiba vero ex certis plantis in Braſilia naſcentibus nomine Copaibæ venientibus, inciſo cortice illarum colligi, teſtis eſt Joannes Bauhinus in Hiſt. Plantar.

tar. Univerſali, pretioque venditur, quo & illi, quibus res haud adeo ampla domi eſt, comparare illud poſſunt.

DLXXIII.

Raparum ſuccus Urinam movens.

ADſtans hiſce diebus puerulo cuidam difficulter urinam reddenti, uti quidem fieri ſolet, de variis etiam â variis ſuggeſtis remediis interrogatus fui, inprimis vero quædam quæſtionem movit, quid mihi de ſucco Raparum recenti videretur? ubi, cum ego hunc quidem non omnino rejiciendum eſſe, & inter diuretica omnino locum habere reſpondiſſem, at me vereri, ne minus locum habeat in puerulo hoc vix bimeſtri, cujus ventriculus eidem ferendo minus ſit idoneus, illa ulterius retulit, ſe ante aliquod temporis ſpatium hunc ipſum ſuccum in urinæ obſtructione jam per pluſculas horas inſtante militi cuidam in non ita magna quantitate exhibuiſſe, & hunc brevi poſt urinam ut olim reddidiſſe, nec huic ſolum ſed & aliis ſimili plane modo profuiſſe, quo quidem me, ut huic puerulo quoq; exhibere eundem juſſerim, non commovit, dum alia magis convenientia eidem præſcripſi medicamenta, fidem tamen eidem eſſe adhibendam nullus dubito, cum vel comeſtæ & coctæ rapæ Urinam etiam moveant: Cumque hoc remedium inter facile parabilia locum non ultimum inveniat, hisque vix ullus medicus carere poſſit, ſi hæc obſervatio memoriam ejusdem vel uni refricaverit, jam uſu ſuo non carebit.

DLXXIV.

Puerperæ extrema adhibita remedia.

EMpiricus quidam audaculus nec ullis medicinæ fundamentis imbutus, vocatus ad cognatam puerperam poſt partum brevi ob impeditum lochiorum fluxum minus bene ſe habentem, & quantum quidem ex relatione ejusdem colligere potui, febricitantem, uti morbum non cognovit, ita puerperii nec minimam quidem rationem habens eidem ſtatim vomitorium exhibuit, quo plures quidem vomitus & ſeceſſus movente, at morbum nec minimum imminuente, ſed difficili præſertim reſpiratione inſtante, venam ipſemet ſecuit, & ſanguinis, quantum quidem ſibi conſultum videbatur, ſubtraxit; at nec poſt Venæſectionem melius ſe habuit puerpera, unde jam in alexipharmacis quoque opem quæſivit, & pulverem Pannon. r. cum quibusdam aquis ſudoriferis eidem ſæpius exhibuit, at in tam parva doſi, ut vix prodeſſe potuerit; quæ cum ad me detuliſſet, methodum hanc tractandi puerperam miratus fui & improbavi, operam tamen meam, quam proxime requiſituros decumbentis amicos, dixit, addixi, at quoniam poſtmodum nemo me convenit, eam ad plures abiiſſe, totus credidi; faventiorem autem habuiſſe

eandem fortunam elapſis fere tribus hebdomadis ipſe empiricus iterum retulit, cum nempe ad eum denuo filium miſiſſet; is conſilii inops forte fortuna conſpicit vitrum mixtura ex Rhabarb. Rad. Jal. reſ. n. Mann. Cremor. ♀. & neſcio quibus liquoribus jam ante triennium parata repletum, hincque guſtu exploratæ, nec pro corrupta habitæ Rhabarbari adhuc aliquantum addit, & puero cum talibus fere verbis tradit: niſi hoc juverit matrem tuam, mihi nil ulterius conſilii supereſt, affert puer, ſpeque plena ægrota Potiunculam bibit, purgat hæc eam ſæpiſſime, & plurimum ſeri deturbat, nec ſine levamento, ex illo enim tempore melius ſe habuit, & jam laboribus ſuis ruſticis denuo præeſt: Hanc vero maxime ineptam curam non ideo deſcripſi, quod illam vel minimum approbarem, & hinc alias quoque hoc modo tractari poſſe judicarem, quod quantum â me abſit, ex modo, quo hactenus me Puerperas tractaſſe, legiſti, abunde colliges, ſed ut conſtet, quantum vel tales fœminæ ferre ſubinde poſſint, ne nimium ſubinde nobis metuamus, ſed indicantibus jubentibus vel & puerperis generoſa remedia adhibere decenti methodo non vereamur.

DLXXV.

Salivationem movens Aqua mercurialis.

IDem hic hic empiricus, qui chirurgum præſertim agit, & ſat audaciter quosvis caſus aggreditur, nec me moderatore unum alterumve infeliciter aggreſſus fuit, mihi recenſuit, quod nuper tractarit quendam Canonicum ulceribus pedum laborantem, cui inter alia aquam viribus mercurii ſublimati imprægnatam aliquoties applicarit, at quoties hac ipſa aqua uſus fuerit, hanc ſic ſalivam moviſſe, ut ſi eam continuaſſet, ſine dubio ſalivatio nimia ſucceſſiſſet, cui tamen ferendæ ægrum inparem habens aquam ſepoſuerit & alia medicamenta in uſum duxerit: Adeo vero mercurius quocunque modo applicitus operationem ſuam exſerit, ſemperque ſi de ſalivæ nimia excretione querantur ægri, habet medicus quod de eodem interroget, ſi præſertim iisdem & externa adhiberi medicamenta noverit.

DLXXVI.

Convulſiones Gravidæ inſtantes Venæſectione depulſæ.

CErevisiarii cujusdam Uxor juvencula, ſecundò gravida, cum quinto fere menſe utero gerens linteis ſiccandis ſub ſole operam navaſſet, dolore capitis tam intenſo corripitur, ut & in lectum propterea ſe conferre opus habuerit, in quo decumbenti motus quidam convulſivi ſupervenerunt, qui maritum non parum perterruerunt, noſcentem quippe, quam graviter ſponſa adhuc hiſce motibus concuſſa fuerit, & quam periculoſe tum decubuerit, no-

ćte

cte igitur jam ingruente me in conſilium vocat, & ut graviora mala, quantum fieri poſſit, avertam, ſumme rogat; ubi utut hos motus tantos ac olim non deprehenderim, quia tamen pauca & quidem delira quædam verba protulit, ne incrementum ſumant metuens, Mixturam cephalicam præſcripſi, ejusque tertiam partem ſtatim, reliquæ vero cochlearia duo poſt ſingulas horas exhibere juſſi, ſimul tamen ſine dubio Venæſectione eam opus habituram judicavi; ſumta mixtura noctem quidem non adeo inquietam duxit, at mane coram me redeunte de inſigni cordis anxietate conqueſta fuit, cetera meliuſcule ſe habens, unde jam Venæſectionem inſtituiſſem, niſi ab ea mirum quantum ſibi metuiſſet, & ut medicamentis, quicquid mali reſtitaret, depellere tentarem, rogaſſet; præſcripſi itaque pulverem ex Specif. Cach. Ludov. & Cinnab. nat. pp. conſtantem, at ſub veſperam priora fere mala redierunt, quæ jam metum â Venæſectione ſic expulerunt, ut eam tertio à morbi invaſione die ſic ſat lubens admiſerit, licetque ſine dubio ob metum, quem in pectore alebat, vix ſubtracto ſanguine animi deliquium imminuerit, hoc tamen ceſſante, reliqua Dei gratia ſtatim melius ſe habuit, unde lectum reliquit, quin iterum in publicum prodiit, niſique de dolore quodam capitis reſtitante nil ulterius conqueſta fuit, cui Specif. Cephalicum D. Mich. inprimis gravidis in hoc malo proficuum oppoſui; Conſtat vero ex dictis, quantum Venæſectione ſubinde opus habeant gravidæ, qua diutius dilata hæc ſine dubio vel ſub uſu præſtantiſſimorum aliorum remediorum in longe graviora incidiſſet mala; ſicut autem non quævis eadem opus habent, unde recte nonnullis diſſuadetur, ita in opus habentibus gravidis præſertim eam plus fere quam in aliis præſtare, hactenus aliquoties obſervavi.

DLXXVII.

Reſpiratio difficilis diu inſtans ſubito necans.

Pictoris cujusdam vidua quinquagenaria major, parvæ ſtaturæ licet & teneræ conſtitutionis, tam difficulter tamen jam per plures annos reſpiravit, ut aliquoties â ſuffocatione ſibi non parum metuerit, licetque non unum ſolum remedium huic malo oppoſuerit, & inprimis ſæpius juſcula herbis convenientibus recentibus alterata aliquoties ſic ſat diu in uſum duxerit, nunquam tamen malum integre ceſſavit, unde tandem eidem quaſi aſſueta, cum cetera ſic ſat bene valeret, nullum ulterius oppoſuit remedium, ſed æquo animo tulit, quod mutari non poſſe ipſamet credidit, non parum præſertim â quibusvis ê pharmacopolio allatis medicamentis abhorrens; contigit autem, quod quadam nocte, cum prius ſat hilaris cœnaſſet, & quaſi ſana in lectum ſe contuliſſet, de ſomno evigilans, tam male ſe habuit, ut cum dextræ partis membra ut olim movere non poſſet, mortem inſtare ipſamet crediderit, unde filiam

unicam vocavit, & cantionibus quibusdam ſacris prælectis ad mortem ſe præparavit, quia tamen adhibita ſimul aqua apoplectica meliuſcule ſe habere viſa fuit, filiam atque Generum iterum dimiſit, quibus vix in alium domus partem ſe conferentibus priori malo tam graviter prehenſa fuit, ut antequam rediere, placida morte extincta fuerit: difficilis hujus reſpirationis cauſam ego quidem in polypo cordis quærendam eſſe vel inde quoque magis credidi; quia pulſum ſemper inæqualem habuit, hunc vero in nimiam magnitudinem excretum alios etiam tam ſubito vita privaſſe, ex hiſtoriarum monumentis conſtat.

DLXXVIII.

Sanguinis per alvum fluxum antecedentia & ſequentia mala.

MErcatoris cujusdam Uxor quadragenaria major, cum aliquoties jam per venas hæmorrhoidales multum admodum ſanguinis perdidiſſet, indeque â gravioribus ſubſecuturis malis haud abs re ſibi metueret, eo magis ſedulo obſervavit, quæ hunc fluxum tum antecedere, tum preſſo pede ſequi ſolebant, quorum quædam ſine dubio haud abs re hic repetam: Octiduo vero, antequam ultimò iterum inſtitit hic fluxus, primo circa præcordia male ſe habuit, & ſub iisdem ebullitionem quandam moleſtam perſenſit, quæ poſtmodum per totum corpus ſe diffudit, unde hoc ſic incaluit, ut calor nimius & manus tangentium ferierit, unde tandem tormina leviora ſucceſſere, quæ fluxus hic nimius excepit; ſimul vero omnis ebullitio ceſſavit, jamque calori nimio frigus ſucceſſit illo fere magis incommodans, unde nunc eo diligentius iterum, ea, quæ ſanguinis fluxum jam aliquoties inhibuiſſe noverat, in uſum duxit; utut vero hæc iterum quod olim præſtiterint, nec hac vice tam multum ſanguinis ac olim profuderit, non ſolum tamen frigore modo memorato correpta fuit, ſed & deliquia animi ſubſecuta fuêre, quæ ut averterem, inprimis rogavit, nec ego defui petitis ejusdem, ſed Aquam quandam Confortantem præſcripſi, ſimul vero inprimis martiatorum diligentem uſum eidem commendavi: obſtructis nempe iterum venis hæmorrhoidalibus ſanguinis circulus in iisdem ut olim non perficitur, unde in quibusdam earum ſanguis paulatim colligitur, cujus major quantitas inſequenti ſemper locum ſufficientem cedere non potens, hunc ad majorem incitat motum, cui ebullitio &calor originem debent, venis vero iterum dum â majori ſanguinis quantitate, tum ipſa hac ebullitiore apertis, ſanguineque liberum inveniente exitum, hæc quidem mala ceſſant, at ob ejusdem tam crebram deperditionem, & hinc ſpirituum inſignem imminutionem non poſſunt non reliqua ſuccedere mala: utut vero illa in Venæſectione auxilium quærere voluerit, non

non potui tamen hanc in tanto ſanguinis boni defectu approbare, ſed potius in martiatis opem quærendam eſſe, iterum atque iterum judicavi; quæ niſi hic eandem attulerint, fruſtra alia quævis adhibebuntur.

DLXXIX.

Iſchuriæ cauſa valde latitans.

AUrifaber quidam ejusdem fere cum modo deſcripta Matrona ætatis, quoniam jam aliquoties Iſchuria per aliquot horas inſtante cum ſummis in veſica & partibus vicinis doloribus correptus fuit, & ſimul illa ceſſante ſanguinem cum urina excrevit, non levem tum mihi tum aliis conſultis de calculo latitante injecit ſuſpicionem, cujus rei tamen ut certior fierem, lithotomum quendam ſic ſat peritum aliquando cathetere explorare veſicæ interiora juſſi, qui quam dilgenter quoque hoc præſtiterit, nec calculum tamen nec peregrini quid in veſica ſe inveniſſe, ſancte teſtatus eſt; unde magis de cauſa tanti mali me ſolicitum reddidit; aurifabrum vero permovit, ut nunc non tam ordinaria quadam cura, quam quibusvis hinc inde commendatis remediis fuerit uſus, & ultimo quidem, cum iterum obſtructio tam urinæ tam alvi per plures horas inſtiterit, ſe Rhabarbarum, ſtercus anſerinum, Ol. Lini expreſſ. fumum nicotianæ & quæ ſunt plura alia adhibuiſſe hincque tandem iterum excernere excernenda cœpiſſe, retulit: Uti vero in hoc vera hujus mali cauſa forſan ſemper latebit, niſi olim ſectione indagetur & detegatur, ita vel peritiſſimus medicus quæ remedia ipſi ſint commendanda, ſubinde hærebit, hincque illum lubens ſibi ipſi relinquet.

DLXXX.

Scabies fœda lapſum graviorem ſubſequens.

VIr quidam ſeptuagenario major cetera ſanus & robuſtus, laboribusque ſuis gravioribus hactenus non ita difficulter vacans, cum ante annum fere in terram procidiſſet, ſurgens iterum ſtatim dolorem circa os Iſchion perſenſit tantum, ut non niſi difficillime incedere potuerit, quin tandem pedis uſu per aliquot menſes plane deſtitutus fuerit, unde chirurgum conſuluit, qui utut ſede ſua motum dictum os non eſſe, ſancte teſtatus fuerit, & alium quoque chirurgum conſentientem habuerit, quæcunque tamen emplaſtra aliaque remedia diu fruſtra plane adhibuit, adeo ut non niſi quinto demum menſe inſiſtere pedi ſenex denuo potuerit, vix tamen incedere: unde præter ſuam conſuetudinem quieti nimium vacans paulatim pruritum in toto corpore contraxit tantum, ut integras noctes inde inſomnes contraxerit, quod Uxorem ejusdem permovit, ut me propterea conſuluerit, ubi utut tum lenioribus purgantibus ſerum ſalſum ſubducere, tum corrigere illud ipſum medicamen-

tis

tis balſamicis tentaverim, tantum tamen abeſt, ut ſcopum meum attigiſſem, ut potius paulatim pruritus in ſcabiem abierit, quam ob cruſtas majores hinc inde cutim defœdantes fœdam nominare nullus dubito; ſicuti vero dolorem, quem hæ cruſtæ ſubtus purulentæ excitarunt Unguento albo camphorato delinivi, ita ſanguinis peccantes particulas decocto ex Radic. Sarſæparill. & ſimilibus ingredientibus parato ſemper magis magisque correxi, unde ſemper magis ad ſe rediit, & tandem Dei gratia in publicum iterum prodire potuit: quantum vero motus conſuetus conferat, ut particulæ ſanguis acres & ſalſæ paulatim diſſipentur & evacuentur, hic caſus abunde confirmat, hincque quoque ejusdem nos decentem habere rationem quaſi jubet, â motus enim defectu hanc ſcabiem ortum duxiſſe, ego quidem nullus dubito.

DLXXXI.

Canis rabidi percuſſionem nimium metuens.

VIr quidam nobiliſſimus venationi deditus, hinc ſemper fere canem capiendis præſertim avibus deſtinatum alens, cum de hoc relatum fuiſſet, quod cibum atque potum ſumere detrectet, & quosvis adeuntes torvis adſpiciat oculis, ipſemet illum acceſſit, & blandis verbis demulcere tentavit, at is capite ſuo in pedes heri impegit, unde retroceſſit, & dolorem ſtatim in pede percepit, qui quia canis non ita diu poſt aqua frigida perfuſus, cum prius rabiei quædam ſigna edidiſſet, mortuus eſt, tum ipſi tum Uxori maxime ſolicitæ non parvum injecit metum, unde me in conſilium vocarunt, ubi, utut macula cœrulea in pede comparuerit, quia tamen conſtanter edixit, hanc non tam morſui, quam contuſioni ortum debere, morſus etiam nec in tibialibus nec in pede vel minimum notabatur indicium, non tam ferro ignito locum contuſum tractandum, uti quidem Uxor ejusdem urſit, quam metui occurrendum eſſe judicans, pulv. Pannon. r. cum Limat. argenti fini mixtum eidem in liquore conveniente propinavi, quo bis ſumto ſicut metus diſcuſſus fuit, ita jam aliquot menſibus elapſis Dei gratia interea pancratice valet: niſi nempe cutis vulneretur, & ſpuma rabioſi canis vel hoc, vel alio modo ſanguini comunicetur non habere hominem quod â rabie ſibi metuat, ego quidem credo, unde in hoc remedia extrema non conceſſi, â quibus aliâs non abhorrerem.

DLXXXII.

Laſſitudinis ex Itinere remedia.

MErcator quidam, vir ſic ſat robuſtus, cum equis celeribus iter per loca ſalebroſa inſtitiſſet, curru vectus per triduum illud, quo hoc iter duravit, tantum concuſſus fuit, ut cum hoc abſolviſſet, vix erectus incedere potuerit, cervice præſertim non parum dolente, acceſſit etiam appetitus proſtratus, & calor

calor auctior, qui ipſi propemodum morbi ſubſecuturi metum injecerunt, unde pro more hodierno in Decocto Caffee auxilium quæſivit, & poſt exhauſtas aliquot patellas levamentum quidem quoddam invenit, non tamen tantum, quin alio adhuc remedio ſe opus habere crediſſet, unde nunc nicotianæ quoque fumo abigere mala â laſſitudine reſtitantia tentavit, qui & tantum profuit, ut jam optime ſe Dei gratia habuerit: quod quidem is unice modo memoratis remediis adſcripſit, applaudentesque inprimis habebit eos, qui in hiſce & ſimilibus potibus univerſalem fere quærunt medicinam, & hinc tantum non quævis alia medicamenta ſuperflua quin noxia nominare non verentur, quibus niſi alii quam tales ægroti curandi obtigerint, ſemper triumphum canere de his remediis poterunt, cum nullum ſit dubium quin ſponte quoque ceſſaſſent hæc mala, quæ non niſi nimiæ corporis concuſſioni originem debuerunt, & hinc non tam aliis remediis quam quiete opus habuerunt; utut, ſi tanquam morboſum tractare hunc quis voluiſſet, & alia remedia commendare, facile morbum inducere potuiſſet, ut adeo, licet vel maxime quibusvis morbis curandis non ſufficiant hi potus, vel hinc tamen commendari mereantur, quod præter alios non ita exiguos uſus, ii qui medicamentis revera opus non habent, opus tamen ſe habere credunt, in iisdem auxilium quærere tuto jubentur.

DLXXXIII.

Hydrops purgantium uſu continuato curatus.

HYdropici cujusdam Uxor cum aliquoties ejusdem ergo me conſuluiſſet, aliquando retulit, quod olim ſervam egerit, apud Virum quendam macie quidem obductum, at quia acidulas biberit, & hæ in corpore reſtiterint, brevi temporis ſpatio tantum intumeſcentem, ut ſella, in qua aliâs alius juxta eum ſedere potuiſſet, vix illi ſoli continendo ſuffecerit, nec hunc in aliis quam purgantibus medicamentis opem inveniſſe, licetque quantum quoque hæc ſeri abundantis evacuaverint, diu ſub veſperam abdomen iterum ſicut prius intumuerit, nihilominus illum eorum uſum continuaſſe, & tandem quoque exoptatum ſcopum obtinuiſſe, dum paulatim omnis tumor evanuerit, & poſt hæc per decem & quod excurrit annos is integerrima uſus fuerit ſanitate: Sedulo nempe, niſi quis gerat rationem, ut, ſi multum præſertim aquæ ingeſſit, ea per urinam aut & alias vias reddatur, facile in hydropem, de eodem nec cogitans quidem incidere poteſt; in quo tamen hydropis genere, ceteris quoque conſentientibus, purgantia inprimis conveniunt, â quorum uſu, utut in principio non ſtatim, quod expectatur præſtent, non tamen ſemper eſſe deſiſtendum, cum hic caſus inprimis confirmet, fruſtra non erit communicatus.

DLXXXIV.

Ophthalmia veſicatorio ſtatim cedens.

FOEmina quædam viginti annorum, cetera quidem ſana, at gibboſa, cum inde menſium fluxum nunquam ordinarium experta fuiſſe, via ſanguini ad inferiores partes quodammodo intercluſa, ex eodem ad ſuperiora regurgitante, variâ mala faciei inprimis inſidiantia patitur, inter quæ bis terve jam ophthalmia præſertim moleſta extitit, quæ nempe oculo dextro tantas inſidias ſtruxit, ut bis terve jam illius uſu per aliquot dies caruerit; utut vero cauſæ præſertim & quidem variis modis obviam iverim, & menſes movere tentaverim, unde martis inprimis uſum aliquoties ſic ſat diu continuavit, aliquoties etiam purgantia convenientia ſumſit, & quædam alia quoque diligenter in uſum duxit, ſicuti tamen ſcopum hunc aſſequi nunquam potui, (nam licet bis terve venæ uterinæ aliquantum apertæ fuerint, ſtatim tamen ſanguinem profundere ulterius iterum deſierunt,) ita ophthalmia cum fœnore rediit, unde aliquando poſt aures veſicas excitare juſſi, & ecce! emplaſtro hunc in finem impoſito vix operationem ſuam exſerente, ſtatim oculi dolor remiſit, inflammatioque omnisque ſic ſublata fuit, ut vix indicium tanti mali ſuperfuerit; cumque poſt aliquot hebdomadas malum rediiſſet, ſponte ad prius remedium rediit, licetque nunc in brachio dextro ſerum peccans ſic elicuerit, quamprimum tamen percepit, emplaſtrum veſicatorium cuticulam aggreſſum fuiſſe, ſummum ſtatim iterum in oculo levamen notavit, qui paulo poſt integre reſtitutus fuit: Licet ergo non deſint caſus, in quibus veſicatoria fruſtra omnino applicata fuiſſe, vel mihi ipſi conſtat, ab illis tamen ne commoveamur, ut hoc remedium in ophthalmia plane proſcribamus, præſens caſus vetat, cui ſimiles plures facile adduci poſſent, quantum autem hactenus notare potui, quibus veſicatoria ſint profutura, quibus vero non, ex certis quibusdam ſignis, ante eadem applicata colligi certo vix poteſt, tuto vero uti quibusvis applicantur, ita aliis quam quibus primo profuerunt, ea ſecundò vix ac ne vix quidem commendabis, qui & vel hac ipſa de cauſa ea lubentius admittent.

DLXXXV.

Aqua fortis innoxie pota.

VIr quidam fide digniſſimus cum me interrogaſſet, qui potus magis ad ſanitatem conſervandam conduceret, frigidus an calidus? conſuetudinique imprimis hic multum eſſe dandum, ex me audiiſſet, retulit, ſibi hoc ipſo in memoriam revocari, quod aliquoties olim medicus quidam Veteranus & experientiſſimus narraverit, ſibi notum fuiſſe ſervum equeſtrem, qui non ſemel ſolum Aquam fortem biberit, nunquam tamen inde vel minimum læ-

ſus

ſus fuerit, quod ipſe quidem etiam conſuetudini tribuit, quam pravam vero quomodo acquiſiverit, referre non potuit; forſan autem & aliæ cauſæ ſubfuerunt; licet enim aquæ fortes, prout communiter parantur, tanta acredine polleant, ut potæ non poſſint non fauces & vias quas tranſeunt, ventriculumque in quem deferuntur, excoriare & lædere, quod & iis, qui forte fortuna tales aquas hauſerunt, contigiſſe, hiſtoriæ teſtantur, ſicuti tamen eas ſic corrigi poſſe, ut tuto in corpus aſſumi queant, Fr. Hoffmannus teſtis eſt, ita hujus hominis humores ſic potuerunt eſſe conſtituti, ut quod ibi ars, hic hi præſtiterint, cum præſertim quosdam alios etiam ſic ſat acria ingeſta non adeo male ferre, identidem notemus, tutius vero ab hiſce talibus abſtinemus, quam periculo utut incerto nos exponimus.

DLXXXVI.

Manuum ſtupor brevi curatus.

MErcator quidam quinquagenarius ferme, tempore auctumnali in vendendis mercibus occupatus, ſubito ſtupore manuum tanto corripitur, ut iisdem nil quicquam perficere valuerit, unde ſiniſtri quoque lateris dolore & difficiliore reſpiratione accedentibus in lectum ſe conferre opus habuit, in quo aliquamdiu decumbenti cum mala hæc non tam imminuerentur, quam magis moleſta fierent, medicum ſuum ordinarium vocavit, qui haud male in ſanguinis motu quodammodo impedito cauſam eorundem quærens Spiritum Sal. Ammoniaci eidem præſcripſit, & poſt hunc ſumtum illum ſudori vacare juſſit, ſubſequentibus etiam ſpiritum hunc ſumtum primo calore corpus non parum urente, hincque ſudore copioſiſſimo, aliquantum melius ſe habuit, Spiritum ergo continuare juſſit medicus, ſimul vero & acidulas recommendavit, unde vix triduo exacto uti priſtinus manuum vigor rediit, ita reliqua quoque mala penitus ceſſarunt: ſicuti vero ipſe mercator ſpiritui in uſum ducto inprimis adſcribit, quod tum cito priſtinam recuperarit ſanitatem, hunc enim ſanguinem in motu ſuo impeditum, eidem potenter reſtituere, dum non ſolum viſcoſos humores incidit, ſed & acidum coagulans corrigit, tum ipſa ratio dictitat, tum quotidiana fere experientia confirmat, ita cur acidulæ quoque comendatæ fuerint quidve hoc in malo tam brevi temporis ſpatio præſtare potuerint, me non capere, lubens fateor, nec ego in tali caſu facile easdem ulli ſuaderem.

DLXXXVII.

Fonticulorum excretionem promovens lamina cuprea.

MAtrona quædam honeſta forte fortuna me apud quendam ſuum cognatum phthiſi decumbentem offendens, me interrogavit, quid mihi de fon-

ticulo quem in pede per ſe exulcerato alat, videatur? dum nempe nil fere materiæ fundat, an hæc promoveri medicamentis poſſit? an vero, quod alii ſuadeant, novus & in alia corporis parte ſit excitandus? quod ſicut omnino conſultum eſſe, judicavi, cum hactenus in parte affecta nil quicquam ipſi conduxerit, ita ſi tamen prius tentare vellet, an moveri poſſit? cum hactenus variis emplaſtris ſe hoc fruſtra tentaſſe retuliſſet, ut aut ex emplaſtro Veſicatorio, aut cera viridi globulos ulceri arte inducto indendos pararet, ſuaſi, hos ultimos enim quibusdam egregie profuiſſe memini; & adſidens adfinis interrogavit, an laminam ex cupro factam quam nuper miſerit, fonticulo ſuperligarit? quod cum ſe feciſſe at fruſtra omnino aſſeruiſſet, mirari ſufficienter non potuit, quod hoc remedium idem in illa, quod in ſe ipſo non præſtiterit, cum enim, ſimul narravit, & meus fonticulus quem in brachio habeo, per aliquod temporis ſpatium nil fere materiæ peccantis fudiſſet, & hac de re me conquerentem audiviſſet quidam amicus, is ſumme commendavit laminam cupream non quidem immediate ulceri at emplaſtro, quo hoc tegitur, impoſitam, quam cum impoſuiſſem brevi temporis ſpatio pus in tanta copia collectum fuit, ut niſi iterum removiſſem, eidem detergendo vix ſuffeciſſem: Sicuti vero laminam hanc comprimendo vaſcula ſanguiveha & hinc ſanguinem in pus poſtmodum mutandum exprimendo hunc effectum edere, mihi probabile videtur, ita, quod huic tantum profuit, ab illa vero fruſtra impoſita fuit, â magis aut minus arcta deligatione derivandum eſſe, ariolor.

DLXXVIII.

Mors à morte viſa.

VIrginis cujuſdam jam ſic ſat diu vivorum numero ſubtractæ coram Illuſtri quadam Matrona mentio injiciebatur, & hæc fatum ejuſdem ſat triſte ſequens narrabat; quod nempe, cum aliquando, ut aut nuptiis, aut alteri cuidam ſolenni actui interſit, veſtibus tum corpus reliquum, tum caput inprimis ornaſſet, & num omnia ſic ſint compoſita ut formam gratiorem reddant, & ſpectatoribus placere poſſint, ſæpiuſcule ſpeculum conſuluiſſet, ſubito in hoc comparuiſſe mortis imaginem, interrogaſſeque num ſat ornata ſibi videatur? unde hæc ſic perterrita fuerit, ut ſtatim convulſiones ſucceſſerint, quibus aliquantum remittentibus ipſamet modo memorata narrarit; tam alte vero impreſſus fuerat menti â viſa morte terror, ut eripi nullo modo eidem potuerit, unde vix triduo exacto redeuntibus aliquoties convulſionibus, in ejus, â qua tantum ſibi metuerat, prædam ceſſerit; ſine dubio vero hæc aut hiſtoriam talem, quales plures extant, legerat, aut paulo ante mortis imaginem, qualis pingi ſolet, attentius inſpexerat, aut & alio modo mentem ſic perturbaverat, ut mortis imaginem ſe in ſpeculo vidiſſe, poſtmodum ſibi

imaginata

imaginata fuerit, mors enim, cum revera qnalis pingitur, non exiſtat, in ſpeculo quoque ſe repræſentare non potuit, at quomodocunque hoc ſucceſſerit, revera ſe vidiſſe mortem, virgo ſine dubio credidit, aliâs enim in tanta mala tam ſubito non incidiſſet, licet alii, diabolum fuiſſe, quem ſe vidiſſe crediderit, ſparſerint: Sicut vero, quantum terror in producendis vel graviſſimis malis valeat, hac etiam cura confirmatur, ita ne nimiæ ſint puellæ in ſe comendis, ſpeculoque conſulendo ſi ejuscemodi exemplis didicerint, fruſtra eadem non enarrantur.

DLXXXIX.

Vomitus à cibis concoctu difficilibus.

MAtrona quædam quadragenaria cum jam diu haud adeo bene ſe habuiſſet, imprimisque ob perditum plurimum ſanguinem Ventriculum nacta fuiſſet, munus ſuum ſicut olim non obeuntem, quamdiu quidem cibos concoctu faciles comedit, & vinum bibit, hoc vix notavit, at cum jam ſe vires ſufficientes collegiſſe crederet, & hinc duriora ingerere denuo inciperet, inprimisque nuper farcimen ex carne bubula & lardo ſuillo paratum comediſſet, poſteaque ova etiam in butyro frixa ingeſſiſſet, noctu cubitum itura de dolore capitis conqueſta fuit, quem autem ſomno diſcuſſum iri ſperavit, at fruſtra, cum enim vix per horam dormiiſſet evigilans non ſolum hunc ipſum dolorem majorem & auctum ſenſit, ſed & vomitu quæcunque ingeſta rejecit, quin vomitus per totam noctem ſic inſtitit, ut mane ſequenti peſſime ſe habuerit, unde maritus ejusdem me in conſilium vocavit, ego vero reſtitare adhuc materiam peccantem in primis viis nullus dubitans purgantes pilulas eidem præſcripſi, quæ quater alvum & ſub veſperam vomitum moverunt, cum inſtante capitis dolore, cui mitigando alias Pilulas ex Theriaca Cœleſti & Extract. Lign. aloet. ordinavi, quibus ſumtis noctem Dei gratia quietam duxit, & priſtinam recuperavit valetudinem; peſſime nempe ſibi ipſis conſulunt, qui ventriculum habentes cibis digerendis minus parem, eum nihilominus iis & quidem durioribus infarciunt, ſic enim varia mala contrahunt, â quibus immunes vivere poſſent, ſi non tam talia, quam qualibus digerendis ipſum ſufficere norunt, ingererent.

DXC.

Convulſiones gravidam brevi perimentes.

MUlier quædam triginta & quod excurrit annorum, cum prius fidam egiſſet ancillam, ſervitii vero tempore aliquoties tum acerbis dentium doloribus, tum gravi ophthalmia laboraſſet, in conjugio vivens Dei gratia non adeo male ſe habuit, quin non ita longo temporis ſpatio elapſo concepit, &

per ſeptem menſes domui ſuæ ut prius ſere præeſſe potuit, negotiaque quævis ut olim curavit, at cum octavi etiam menſis dimidia parte finita aliquando de lecto ſurrexiſſet, paulo poſt de dolore capitis queri cœpit, quod maritum, qui feſto, quo hoc contigit, concionem frequentare volebat, commovit, ut ſe domi manſurum, ſi expetat, obtulerit, quod vero illa non conceſſit, ſed malum ſponte ceſſaturum interſerens, ut eam frequentet urſit, qui quoque paruit, ſed cum domum reverteretur, non ſine ſummo dolore ipſam proſtratam & convulſionibus graviſſimis detentam invenit; licet vero ſtatim quantum quidem in ſe fuit, huic malo obviam iverit, medicamenta etiam in uſum ducta tantum profuerint, ut quædam interdum verba proferre potuerit, mentem tamen ſuam exprimere ulterius nunquam potuit, licetque & Venæſectio in ſubſidium vocata fuerit, nec hæc tamen impedire potuit, quin convulſiones ſæpiuſcule redierint, quæ & eadem adhuc nocte illam vivorum numero ſubtraxerunt: An humores, qui olim mala ſupra memorata excitarunt, ad interiora delati hanc tragœdiam excitarint, an vero â fœtu ſubito mortuo, hujus enim motum, quamdiu convulſionibus detenta fuit, percipi nunquam potuiſſe, ſimul referebatur, originem traxerit? aliis dijudicandum relinquo.

DXCI.

Balneum fluentibus menſibus tuto ingreſſa.

INterrogavit me aliquoties quædam mihi ignota per aliam, quibus medicamentis opus haberet, ut in conjugio jam per quinque & quod excurrit, annos ſterili tandem concipiat, cumque ego in cauſas hujus ſterilitatis indagaſſem, cum his non cognitis illa nunquam curari poſſit, per hanc ipſam mihi retulit, quod menſes rite fluant, & cetera omnia bene Dei gratia ſe habeat, at quando rem ſecum habeat maritus, ſemen ejus emiſſum illico iterum ex arvo genitali profluere, & hinc ſe hactenus concipere non potuiſſe, credere itaque nimis humidas laxasque eſſe has partes, & ut tum exſiccentur, tum roborentur, ſi aſſequi ſcopum exoptatum velit, requiri, unde ego ſicut tragæam hiſce indicationibus ſatisfacientem præſcripſi, ita balneum præſertim ex Lapide Krumbacenſi & Herbis idoneis parandum commendavi: Hoc cum per aliquot dies uſa fuiſſet, menſes ſupervenerunt, unde iterum quid factu opus ſit, per eam quam hactenus miſerat, interrogavit, & ego per biduum balneum quidem ſeponere, at poſtmodum vel fluentibus illis continuare juſſi, quod & ſic præſtitit; tantum vero abeſt, ut inde pejus ſe habuiſſet, ut potius ſic multum admodum materiæ peccantis, per uterum evacuatum fuiſſe obſervarit, & jam optima quævis ſperet: Ego vero hæc eum præſertim in finem communico, ut conſtet magis, vel menſibus fluentibus balnea ſemel inſtituta

ſtituta continuari tuto poſſe, modo ſub primum impetum ſeponantur, poſtmodumque nec nimis calida nec etiam frigida adhibeantur, quod & in Thermis ſic obſervari novi.

DXCII.

Seri fluxus menſes antecedens.

Virgo quædam viginti & quod excurrit annorum, per aliquot quidem annos tributum lunare ſic ſolvit, ut nunquam inde vel minimum moleſtiæ perceperit, at cum ante biennium & quod excurrit, dentibus laborare cœpiſſet, hique non parum ſubinde dolerent, ab illo tempore ſingulis quidem menſibus ut olim hi fluxêre, at per primum biduum non niſi ſerum plane non tinctum per uterum excrevit, & quidem in tanta quantitate, ut vires inde imminui, aliquoties notarit, ſucceſſit quidem poſtea ſanguis at paucus, isque niger & grumoſus, quæ vero tanti non habuiſſet virgo, niſi ſimul melancholia quædam acceſſiſſet; quæ mentem ejusdem prius ſat hilarem ſic pervertit, ut nunc ſemper ſolitudinem quæſiverit, & interdum per aliquot hebdomadas vix perſuaderi potuerit, ut publicum frequentarit; quod ut me conſuluerit, hortante inprimis matre, ipſam adegit, ubi varia quidem eidem præſcripſi medicamenta, Vinum medicatum nempe, pulveres martiatos, & tandem etiam acidulas, quibus melancholia quidem deliniebatur, at ſeroſus hic fluxus in hunc usque diem inſtat, nec unquam menſes niſi hoc præcedente, fluunt, dentium etiam dolore nunquam plane ceſſante: Allicit ſcilicet hic dolor ſerum ad partem primo affectam, hinc vero in motu ſuo interturbatum in aliis etiam partibus citius ac in majori quantitate ac olim deponitur, huicque inprimis per uterum excernitur, in quo aliâs quoque licet non in tanta quantitate deponitur, ſic vero ſanguis eodem nimium ſpoliatus craſſior evadit, unde melancholia originem traxit, quæ identidem recurret, niſi ſerum priores ſervet vias.

DXCIII.

Cancros comeſtos Inſomnium de cancris ſubſequens.

Curæ olim meæ creditus fuit Juvenis quidam doctus, morbo diuturno decumbens, & quorumvis quæ contigere, accurratam gerens rationem, huic cum aliquando in prandio cancri etiam appoſiti fuiſſent, is eos quidem non absque quadam delectatione comedit, at cum non ita diu poſt obdormiiſſet, inſomnium habuit, de cancris poſt januam nempe cubiculi pendentibus, & hinc non ſolum, ne claudi hæc potuerit, impedientibus, verum &, dum ſibi invicem allidi videbantur, hoc ipſo ſonum dormienti moleſtum excitantibus, unde & de ſomno evigilans tam certo credidit pendere poſt januam cancros, ut eos removere juſſerit; donec magis ad ſe rediens inſomnium fuiſſe

fuiſſe notavit, quod & paulo poſt acedenti mihi narravit: qui delectationi, qua ſumma comedit cancros hic juvenis, hoc ſomnium adſcribere voluerit, minime propterea vapulabit, cum res gratæ diutius memoriæ inhæreant, ex qua poſtmodum phantaſia inſomnia depromit, & menti offert; qui vero illius originem certis ideis ab ipſis cancris comeſtis emanantibus tribuerit, eos, qui ejuscemodi quid â dente Apri remedii loco ſumti contigiſſe, obſervarunt, minime diſſentientes habebit.

DXCIV.

Bilis ab ira ſede ſua mota.

MAtrona quædam adfinitate mihi conjuncta, cum aliquoties ad iram commota fuiſſet, tandem laſſitudinem perſenſit tantam, ut vix pedem movere ulterius potuerit, proſtratus etiam fuit appetitus, & quæcunque ingeſſit, amara paruere, quin continua amarities os occupavit, quæ omnia tamen eam non permoviſſent, ut meum propterea conſilium rogaſſet, niſi ſimul urinam excreviſſet conſueta longe tinctiorem; hac enim conſpecta ne calor periculoſus ſubſit, metuere cœpit, & hinc mihi, ut quid de ea videretur, judicarem, miſit, ubi cum ſimul modo memorata retuliſſet ancilla, ab ira bilem motam fines ſuos exceſſiſſe, & hinc quævis hæc mala excitaſſe, inprimisque urinam quoque tinxiſſe, nullus dubitavi; unde eandem blande evacuans medicamentum præſcripſi, quod ſumtum præter meum ſcopum vomitum movit, ſimul vero per alvum quinquies tantum materiæ peccantis deturbavit, ut illa qua ſumſerat, adhuc veſpera melius ſe habuerit, quin ab eo tempore ſic ſe collegerit, ut alio medicamento non opus habuerit, quod ipſamet brevi poſt ſoſtrum afferens, & ſimul pro dato conſilio gratias agens narravit; Non poteſt vero non bilis finibus ſuis nimium excedens varia producere mala, quæ, niſi diutius jam inſtiterint, felicius non curantur, quam ſi illa, quamprimum fieri poteſt, corpore exturbetur.

DXCV.

Pulli Gallinacei Ventriculus coctu difficilis.

ALia quædam Matrona, quæ jam diu cum variis conflictatur malis, cachexiæ non inanem metum injicientibus, cum nuper ad hanc inhibendam pulverem ex analeptico frig. & Limatur. ♂ conſtantem ſumſiſſet, ſtatim poſt minus bene ſe habuit, & hinc in decubitu opem quæſivit, at quia nec hic contulit, iterum de lecto ſurrexit, & bihorio poſt pulverem ſumtum exacto, vomitu illum cum non exigua ſeri quantitate rejecit, quod nigro colore tinctum quem marti nempe debuit, matrem adſtantem permovit, ut inquiſiverit, num forſan aliud quid itidem vomitu rejecerit? & ecce! invenit particulas ventri-

triculi pulli Gallinacei, quem in cœna ante duodecim horas ingeſſerat, plane non conſumtas, quod poſtmodum, inprimis quidem de colore nigro ſolicita ad me detulit; ſicuti vero de colore hoc â marte proficiſcente minime ſolicitam eſſe juſſi, ita exinde didici, quod vel tam tenellorum pullorum ventriculi concoctu ſint difficiles, adeoque iis, quibus tales cibi minus conveniunt, non concedendi, peccareque hinc mulierculas noſtrates. quod vel ex Gallinarum ventriculis cibos pro ægrotantibus & convaleſcentibus frequenter parant, quas & alios cibos pro coctu facilibus habere, qui tamen minime tales exiſtunt, identidem experior, qui cum non raro curam non parum impediant, quo magis innotuerint, eo magis â medicis prohiberi poterunt, licet multos ægrotos non ita uti decet parentes experiantur, unde merito derivatur, quod tam multi morbi non niſi difficillime curantur.

DXCVI,

Menſium dolorifica excretio.

FOEmina quædam nondum triginta annorum, cum virgo adhuc menſes ſemper ſic ſolviſſet, ut nunquam de iisdem queri vel minimum opus habuerit, poſtquam conjugium iniit, non quidem, uti ſperaverat, concepit, at menſes primum inordinatos habuit, hinc vero eosdem nunquam niſi cum dolore admodum moleſto depoſuit, unde tum ut ſpem ſuam aſſequeretur, tum inprimis, ut dolores hi pellerentur, miſſa urina conſilium meum expetiit, ubi cum hæc nil quicquam mali indicaſſet, uterum præſertim eſſe affectum judicavi; ut itaque tum humores vitioſi hunc ipſum obſidentes, tum alii ab his infecti evacuarentur, Vinum medicatum conveniens præſcripſi, non ſolum nempe ex Herbis utero præſertim dicatis ſed & ex purgantibus quibusdam conſtans, quibus ſpeciebus, uti multoties ſoleo præter Vinum Aquam quoque Meliſſæ affundere juſſi; hoc cum, ſicuti iuſſa fuerat, bibiſſet, ſtatim non parum profuiſſe, notavit, cum enim paulo poſt menſes ſubſequerentur, hac vice hos absque ullo dolore & in paulo maiori ac hactenus quantitate excrevit, quod paulo poſt mihi iterum denunciavit, ubi, ut & in poſterum hoc beneficio frueretur, nunc Eſſ. martis Ludovici eidem præſcripſi, quæ forſan & alteri ejusdem voto ſatisfaciet: Summe vero ſubinde opus habent nonnullæ fœminæ, ſi utero laborant, ut humores peccantes per vices evacuentur, & tunc Vina inprimis medicata plurimum conferre, hactenus ſæpius obſervavi, utque hæc hinc magis commendentur, hanc obſervationem communicare nullus dubitavi, fruſtra enim quis in corrigendis variis uteri morbis ſat diu operam inſumet, niſi ea aut aliis medicamentis præmittat, aut & interponat.

DXCVII.

Luis Venereæ ſuſpicionem moventia mala.

ALia quædam fœmina, quæ haud ita pridem aurifabro cuidam nupſerat, licet viri appetentiſſima prius viſa fuerit, haud ita diu tamen in conjugio vivens, de doloribus in coitu præſertim moleſtis queri cœpit, quos fluor albus accedens acris magis alio quoque tempore moleſtos reddebat, & cum ſuccus Citri â marito commendatus vulvæ inſperſus nil quicquam juvaſſet, tumorque inſuper inguina occuparet, matri malum detexit, quæ me propterea conſuluit, cum prius aliorum conſilia fruſtra ſecuta fuiſſet, & inprimis Venæſectio malum exaſperaſſet potius, quàm deliniiſſet, unde ego ne lue olim venerea laboraverit maritus ſubmetuens, huic inprimis medicamenta opponenda eſſe judicavi, & hinc Pilul. ex ☿rio dulci inprimis conſtantes ordinavi, ſimulque aliquoties Opobalſamum verum ſumere eandem juſſi, quæ quidem levamen quoddam attulerunt, at quia de parte affecta inprimis ſolicita Balneatorem etiam conſuluit, hic neſcio quam aquam dedit, eaque illinere eandem juſſit, nec fruſtra ſe illa uſam fuiſſe credidit, dum tumor ſubſedit, & fluor albus itidem remiſit; at vix ſepoſita hac aqua malum cum fœnore rediit, unde, cum jam balneator interna quoque ſuggeſſiſſet, eidem quâ hæc merito non fidens, me iterum adiit; ſicuti vero totus credo, hanc curatum non iri, niſi maritus etiam curæ decenti ſe ſubjiciat, ita ſæpius hac de cauſa mulieres variis malis nulli fere remedio cedentibus affici, & vix ac ne vix quidem curari poſſe, niſi mariti quoque anteactæ vitæ quandam rationem reddant, & â malis, quibus olim laborarunt, penitus liberentur, quod autem quia rariſſime contingit, ne mireris, quando ſubinde easdem de tam diu jam fruſtra aggreſſis ſuis morbis conquerentes audis.

DXCVIII.

Ventriculi dolor gravativus purgante curatus.

AUrifaber quidam prope ſexagenarius, cum varias ærumnas perpeſſus fuiſſet, quæ prius mentem ſolum affecerunt, paulatim & corpori inſidias ſtruere cœperunt, adeo quidem ut non ſolum laſſitudinem inconſuetam in ſe notarit, ſed & poſt quoscunque cibos etiam in parca quantitate ingeſtos dolorem ventriculum multum gravantem perſenſerit, juxtaque difficulter quoque reſpirare cœperit; ubi cum urina allata uxor ejusdem conſilium meum deſideraret, bilemque tum abundare, tum extra ſedes ſuas vagari per varia indicia conſtaret, hanc exturbans medicamentum præſcripſi, ſimulque Eſſ. martis Ludovici aliquamdiu in uſum ducere juſſi, ubi, cum aliquot diebus elapſis, ut ſe viſitarem, me rogaſſet, accedenti narravit, quod poſt ſumtum

purgans

purgans non adeo male Dei gratia ſe habuerit, at, utut ſedulo continuet Eſſent. ♂tis, priora tamen mala ſic redire, ut, niſi iis obviam eatur, ſine dubio graviora ſint ſubſecutura; Ex juvante itaque medicamento ariolatus, reſtare adhuc in corpore humores peccantes paulatim expellendos, ſequentem pulverem eidem perſcripſi:

℞. Limat. ♂ puriſſ.
Rhabarbar. opt. aa ℥iij.
Diagryd. ♀r. ℥ß.
M. ad Scatul.

Sign. Pulver/davon deß Morgens zwey Meſſer-Spitz zunehmen.

Simulque ſub veſperam Specif. Cach. Ludovici ℈j. aliquoties eundem ſumere juſſi, & ecce! cum vix per aliquot dies continuaſſet horum pulverum uſum, jam longe melius Dei gratia ſe habuit, nec poſt ingeſtos cibos quicquam mali perſenſit, quod cum pulvere modo deſcripto nondum plane abſumto mihi narraſſet, ut illum abſumeret, ſuaſi, ſic enim reliquias etiam eductum iri, ſimulque ſanitatem magis conſtantem ſperari poſſe; ſubnectens: Sicuti vero hæc obſervatio iterum confirmat, quantum animi affectus valeant in humorum & præcipuæ bilis motu interturbando, unde non poſſunt non varii morbi produci, ita ex eadem etiam conſtat, quam difficulter curare poſſimus ſine purgantibus, quæ quippe in multis morbis tantum non omnem abſolvunt paginam, modo caute & aliis medicamentis tum admixtis tum interpoſitis adhibeantur, longeque omnino facilius eſt, eadem improbare, & quantum obeſſe poſſint corpori humano, multis verborum ambagibus deducere, quam absque iisdem unum alterumve morbum curare.

DXCIX.

Attagenarum Ventriculi Antinephritici.

ARcanorum cum nuper coram quodam meo Patrono mentio injiceretur, is ſe non poſſe non communicare quoddam, quod tanquam ſummum certiſſimumque arcanum haud ita pridem ſibi communicatum fuerit, interſeruit, & hoc in calculo renum præcipuum quendam Virum juviſſe, ſe non ſolum ex ipſo narrante audiviſſe, ſed & hunc in ſua præſentia ei, qui medicamentum ſuggeſſerit, duodecim ducatos aureos dono dediſſe; eſt autem ſequens: Sclopeto trajiciatur Attagen, avis, quem in vernacula Haſelhun nominamus, & quamprimum ſic trajectus fuit, ventriculus corpori eximatur, treſque tales ventriculi hoc ipſo modo collecti cum quibusvis contentis debito modo exſiccentur, & in pulverem redacti per triduum ſingulis diebus unus ſumatur; hoc ſumto calculos renum non ſolum comminui verum & paulatim ſic educi, ut poſtmo-

dum diu nullam ulterius moleſtiam cauſentur, jam per plurium annorum experientiam ſibi certo conſtare, eum qui hoc medicamentum laudavit, ſancte teſtatum fuiſſe: ſicuti vero ego hanc vim ventriculum harum avium inde forſan poſſidere, quia inſtar plurium avium lapillos ingeſtos ſine dubio digerant, judicavi, ita cum poſtmodum aliquot auctores de hac ave conſuluiſſem, ſicuti omnes uno ore carnem ejusdem mirum quantum dilaudant, ita vel huic Galenum jam vim antinephriticam adſcripſiſſe ex iisdem didici, tuto itaque hoc medicamentum in calculo renum & aliis commendabitur.

DC.

Fiſtula ad os Ischii usque penetrans.

PUer quidam ruſticus cum ante biennium fere ab equo in oſſe femoris vehementer percuſſus fuiſſet, primo quidem ſic domum rediit, ut nil quicquam mali inde ſubſecuturum, ſperaverit; at ſicuti ab illo tempore pars læſa doluit, ita & indies magis claudicavit, osque hoc ſede ſua quodammodo motum fuiſſe, facile notare potuiſſent, ſi artis periti hac de cauſa conſulti fuiſſent; verum enim vero penitus malum tantum neglexit, donec femur exulceratum fuit, tum demum enim non vero tam Chirurgum quendam quam ruſticum, quem nonnulli magni facere cœperunt, conſuluit, qui quidem diu varia emplaſtra at fruſtra omnino impoſuit, ulcere ſemper antiquum obtinente, quin profundiores ſemper ſinus excavante, unde tandem quendam, qui magnam artis chirurgicæ experientiam ſe acquiſiviſſe, ſibi imaginatur, adiit, qui, ſicut hoc hominum genus ſolet, ſe certo ulcus curaturum promiſit; ut tamen & ego propterea conſulerer, ipſemet petiit, unde acceſſi, & quamdiu quidem ſtylo altius penetrare non potui, quam tantum, ut, ſi ibi os læſum fiſtulæ cauſa extitiſſet, cura adhuc tuto tentari potuiſſet, conceſſi, ut bis terve ſectione fiſtulam dilatarit, at cum tandem conſtaret, ad oſſis iſchii acetabulum usque ſe extendere fiſtulam, ulteriorem ſectionem non permiſi, cum hæc non niſi cum vitæ periculo inſtitui poſſet, quia vero nec medicamentis ad mali usque principium penetrare potuimus, ut potius cura palliativa inſtituatur, quam vera promittatur, ſuaſi, quis enim oſſis tam profunde ſiti cariem abigere poterit? unde & Paræus jam ut prognoſtico relinquantur ejuscemodi ægri, conſultum duxit; Conſtat vero ex hac obſervatione, os Iſchii ſuo loco moveri poſſe, ita ut nihilominus incedere poſſit is, cui hoc contigit, quod nonnulli Chirurgi pertinaciter negantes, hincque de luxatione ejusdem dubitantes, quin illam hinc pernegantes, propterea in tempore non aggrediuntur; unde poſtmodum non niſi difficillime, aut & plane non reſtituuntur, cujus rei plura ſat triſtia proſtant exempla; quomodo autem in ejuscemodi

modi fiſtulis gerere te debeas, itidem ex hac obſervatione quodammodo diſces.

DCI.

Globuli phthiſico noxii.

JUvenis quidam jam diu phthiſicus, quia tamen interdum levamentum quoddam habuit, & medicamenta quædam prodeſſe videbantur, vitæ prorogandæ cupidiſſimus ea ſat ſedulo in uſum duxit, at, ut ſimul diætam, quæ requiritur, ſervaret, nullo fere modo perſuaderi potuit, unde aliquando & globulos ex farina & carne bubula minutim inciſa paratos comedit, unde quævis mala ſic increvere, inprimisque febris tantum augmentum ſumſit, ut mortem jam inſtare crediderint adſtantes, quod vero peſſime medicamento, quod tum ſumſerat, adſcripſere; unde ego, tum ne hæc hoc modo manibus excutiantur, malumque indies augeatur, eo magis nunc diætam iterum commendavi: Hic vero hæc produco, quia noſtrates vix ſibi perſuaderi patiuntur, globulos hos merito inter coctu difficiles cibos numerari, unde eosdem & aliis ægrotis exhibent, at nunquam niſi ſummo cum damno, unde cui ægrotorum ſuorum ſalus revera curæ cordique eſt, eosdem nunquam concedet.

DCII.

Veritas & medico odium pariens.

MUlier quædam quadragenaria, cum aliquamdiu ſe gravidam crediſſet, nec tempore conſueto tamen fœtus ſe moveret, nec menſibus pluribus quam novem elapſis partus ſubſequeretur, ſolicita eſſe cœpit, ne mali quid ſubſit, & hinc varios tum medicos, tum medicaſtros, tum mulierculas conſulere; hincque aliquando ad me quoque venit, ubi ego, cum in omnia diligenter inquiſiviſſem, & inprimis duritiem in inferiore ventre inveniſſem valde ſuſpectam, radicitus malum hoc tolli non poſſe, judicavi, hincque ſi medicamenta adhibeantur, quibus id, quod intus latitet, expellere quis conetur, illud exaſperatum iri, ſi vero talia in uſum ducantur, quæ quantum fieri poteſt, ejusdem incrementum impediant, & graviora mala avertant, ſervari adhuc ipſam per quoddam temporis ſpatium poſſe, judicavi; quod vero judicium adeo eidem diſplicuit, ut ſtatim alium conſuluerit, ubi quamdiu quidem medicos nacta fuit, qui ejusdem mecum fuere ſententiæ, longe melius ſe habuit, quam quando aures magis attentas præbuit jactatoribus, qui brevi ſe omne malum ſublaturos audacter promiſerunt, qui quippe exhibitis vehementioribus medicamentis ejusdem vires ſic exhauſerunt, ut tandem in mortis prædam ceſſerit.

Sub illud ipſum fere tempus ad Senatorem quendam vocatus fui, qui intemperantia, cui hactenus ſe dederat, ulcus pulmonum contraxerat, cui, quia non tam medicamenta convenientia oppoſuerat, quam potius bilem, à qua tuſſim ſuam derivabat, ſubducere ſæpius tentaverat, paulatim hydropicus pedum tumor ſucceſſit, qui illum permovit, ut me propterea conſuluerit, cum vero quæcunque remedia præſcripta ſic fruſtra ſumſiſſet, ut indies certiora mortis indicia ſe exſeruerint, hoc, tum ut ad beatam mortem ſe præparet, tum ne fruſtra plura medicamenta ſumendo fatiget, indicavi; tam parvam vero inde reportavi gratiam, ut illico me dimiſerit, & alteri cuidam ſpem convaleſcentiæ facienti aures præbuerit, quam vero mors vix quatriduo exacto ſubſequens refutavit.

Idem fere contigit apud aurifabrum quendam, olim amicum meum, cui, cum fideliter indicaſſem, ipſum morbo inſanibili laborare, utut & chirurgus non imperitus mecum conſenſerit, & ex ſignis ſat evidentibus hoc conſtiterit, quia tamen medicaſterculus quidam aliis longe cauſis, quam quæ revera excitaverant, malum ejusdem adſcripſit, & ſat audacter curam promiſit, me, qui ultra viginti annos illi adſtiteram, dimiſit, & huic aures præbuit, poſtmodumque alteri cuidam, qui non tam, quod res eſt, edixit, quam ambiguis ſuis verbis ſpe vaniſſima ipſum lactavit, tandem enim, cum malum indies augumentum ſumſiſſet, uti prædixeram, in mortis prædam ceſſit: ſic vero & medico veritas odium parit, longeque lubentius illis aures præbentur, qui vaniſſimis pollicitationibus ſpem ægrorum etiam deſperatorum erigunt, quam qui, quod res eſt, dicunt, quod tamen me nunquam permovebit, ut â veritatis tramite deflectam, ſuper quo hactenus ſat tuto inceſſi.

DCIII.

Furunculi ſolam cervicem occupantes.

VIrgo quædam viginti & quod excurrit annorum, colore vultus roſeo prædita, cum cetera non ita male ſe haberet, ſubito horrore correpta cum dolore cervicis, propterea meum conſilium exquirit, cum præſertim mater ejusdem vidiſſet, partem dolentem hinc inde tuberculis conſperſam eſſe, eam itaque viſitans ſicuti ex pulſu celeriore febrem ſubeſſe, deprehendi, & tubercula inſpiciens, ea commodiore quam furunculorum nomine inſigniri non poſſe judicavi, non ſolum enim rubebant, ſed & pus continere viſui patebat, vel hac de cauſa vero ſingularia, quod hanc ſolum partem, reliquis quibusvis plane intactis occuparunt; quia vero tum ad tubercula hæc diſcutienda, tum febrem pellendam diaphoretica inprimis prodeſſe poſſe, nullus dubitavi, pulverem talem poſt ſingulas ſex horas exhibendum præſcripſi, quo diligenter

diligenter ſumto, ſcopum meum brevi Dei gratia obtinui, dum primo febris ceſſavit, hinc vero & furunculi primo quidem dolorem atque ruborem depoſuerunt, hinc vero paulatim exaruerunt, nec ulterius ſe extenderunt: Hi ipſi vero furunculi eodem plane modo eodem tempore incommodaverunt Tinctoris cujusdam filiolum ſeptem fere annorum, cujus parentes propterea me vocarunt, cui etiamdiaphoretica commendavi, quæ ſimiliter profuere: ſic nempe ſanguis particulis impurioribus repletus has non una ſolum in parte deponit, quas ſi ſic ad cutim detruſerit, non tam repellentibus impedienda, quam potius diaphoreticis quovis modo promovenda erit hæc excretio.

DCIV.

Eſſentia Abietis cum Spiritu Terebinthinæ male miſcetur.

MAtrona quædam nobilis, cum pruritu totius diu ſic laboraſſet, ut præ hoc ſomnum etiam capere non potuerit, cum neſcio quæ medicamenta per plures hebdomadas fruſtra plane in uſum duxiſſet, me tandem rogavit, ut conſilio ſalubri adeſſem, & inter ea medicamenta, quæ me ſuadente ſumſit, Eſſent. abiet. tantum ſibi profuiſſe notavit, ut, cum poſtmodum bis terve, poſtquam prius per aliquot menſes intermiſerat, pruritus hic rediiſſet, hanc me non conſulto & quidem ſemper priori cum effectu in uſum revocaverit; contigit autem poſt annum & quod excurrit, elapſum, quod præter pruritum dolore quoque renum præſertim regionem occupante correpta fuit, & urinam cruentam reddidit, unde iterum vocatus, Eſſentiæ modo laudatæ partibus tribus unam partem Spiritus Terebinthinæ addere juſſi, at paulo poſt me iterum vocarunt, & cur Eſſentiæ loco mixtura tam craſſa ex pharmacopolio allata fuerit? interrogarunt, ubi propius aſpiciens, particulas Terebinthinæ ſubtiliores in viſcidioribus abietis veſtem quaſi antiquam quæſiviſſe atque inveniſſe, ſicque malagma hoc conſtituiſſe, vidi, & hinc ſeorſim Terebinthinam, ſeorſim vero Eſſentiam præſcripſi, quæ ſic in uſum ducta votis ſatisfecere: Sicut ergo alia plura medicamenta non ſemper connubium inter ſe invicem ineunt, ita & hæc illorum numero inſerenda eſſe, hæc obſervatio docet, cui ſi quis fidem adhibuerit, uti quidem eſt veriſſima, non facile hæc duo medicamenta inter ſe invicem miſcere jubebit.

DCV.

Partus per viginti quatuor horas difficilis.

PIctoris cujusdam Uxor, cum quadragenaria ferme conjugium iniiſſet, primum ſtatim partum tam difficilem experta fuit, ut fere tum in mortis prædam ceſſiſſet, licetq; ſecundum fœtum quodammodo felicius ediderit, cum tamen tertio iterum laborem hunc aggredi opus habuiſſet, menſibus novem quidem

quidem elapſis quodam mane aquas, quæ partum antecedere ſolent profudit, at nullis ſubſequentibus doloribus, qui aliâs ſubſequi debent, ſtatim tum ipſamet perterrita fuit, tam adſtantibus metum injecit, ne partus iterum difficilis ſit ſubſecuturus; obſtetricem ergo vocavit, quæ partum nihilominus ſecundandum eſſe male judicans, ipſam ad labores ſolitos adegit, ubi, cum quantum in ſe fuit partum promovere tentaſſet miſera, quibusvis ſuis laboribus nil tamen profecit, quam quod tandem brachiolum prorupit, ſicque adſtantium metus non parum auctus fuit; unde & me per ancillam rogarunt, ut Potiunculam partum promoventem præſcriberem; nec ego defui illorum petito, ſed talem præſcripſi, qualem huic ſcopo ſatisfacturam communiter creditur, (nam plus tribui his medicamentis, quam quidem revera præſtare poſſunt, ego quidem hactenus ſemper ſtatui,) at nec minimum quidem profuiſſe, poſtmodum obſtetrix retulit, ſimilique prorſus fortuna & plurima alia remedia, inter quæ ipſa & Spiritualia nominavit, in uſum ducta fuiſſe, ſubjunxit; at elapſis viginti quatuor horis uti jam dolores ſucceſſerunt ad hoc opus neceſſarii, ita & fœtum debilem quidem & vix S. Baptiſmo tinctum in morbis prædam cedentem, at ipſa matre ſuperſtite, & nunc Dei gratia ſic ſat bene valente peperit: Raro nempe boni quid denotat, ſi aquæ ex Utero profluant, nec partus ſtatim ſubſequatur, ad eum tamen minime adigendæ ſunt mulierculæ, niſi & alia indicia idem juſſerint, cum eum ſæpiuſcule ſic ſat diu demum ſuccedere per experientiam conſtet, ut adeo tutius ſit expectate, quam minus opportuno tempore partum urgere: Licetque non ſemper elapſis viginti quatuor horis ejuscemodi quid contingat, tam ſæpe tamen jam contigit; ut mulierculæ noſtrates non parum huic temporis ſpatio tribuant: Confirmatur autem hac obſervatione, quod eæ, quæ tardius conjugium ineunt, plerumque difficulter pariant.

DCVI.

Convulſiones Clamoſæ.

TAm ſæpe hîc loci convulſionum clamoſarum fit mentio, totque Infantes illis laborare creduntur, ut & ſæpius de S. ſuggeſtu pro iisdem hoc malo decumbentibus preces publicæ fundantur, ut earum aliquando & in hiſce meis curis meminiſſe, haud prorſus omni fructu cariturum ſperem: Sicuti vero vix ullus infans morbo corripitur, quem non convulſionibus laborare plurimæ ſtatim crederent, ut adeo, ſi vel omnia alia horum perverſorum motuum deſint indicia, tacitis convulſionibus quosdam decumbere dicant, ita quamprimum infans, diutius quam par ipſis videtur, clamitat & ejulat, convulſiones clamoſas adeſſe ſtatuunt; verum enim vero quemadmodum hi clamores â doloribus qui miſeros hos parvulos torquent, moventur, ita non raro quidem

dem convulſiones poſt ſe trahunt, rariuſcule tamen ipſi convulſionum nomen merentur, quod merito iisdem imponi non poſſe, ego quidem credo, niſi pateat, illos non eſſe voluntarios, quod inde inprimis conſtat, quando, ſi ut taceant & clamare deſinant, nullo modo conſequi poſſumus, quales quidem pauciſſimos ego hactenus vidi, ſi vero ſeu exhibitis dulcibus, ſeu geſtati, ſeu applicatis medicamentis clamare deſierint, non eſt, cur hos clamores convulſivos nomines, & ſic mulierculas in perverſa ſua ſententia confirmes, ſi ſtrenue potius cauſæ dolorum obviam iveris, quando præſertim hæc vera tibi innotuit, uti hos mitigabis, ſic clamores etiam inhibebis,

DCVII.

Epilepſia capiti vitulino majori comeſto adſcripta.

OBſonator quidam, quinquaginta fere annorum, cum olim aliquando multum admodum ſanguinis per alvum profudiſſet, ab illo malo Dei gratia liberatus, non ita diu poſt caput ſe male habere cœpit, & aliquoties aliquandiu ſubito omnium ſenſuum uſu deſtitui; quoniam vero in principio malum nunquam diu inſtitit, & non niſi poſt ſic ſat longa intervalla rediit, illud plane neglexit, donec tandem bis terve in platea eodem correptus, & hinc conſilium quærere coactus fuit; ubi cum me adiiſſet, ex quibusvis indiciis collegi, epileptici quid ſubeſſe, & hinc huic malo dicata remedia eidem præſcripſi, dum vero is ſingula narravit, quæ ad affectum hunc inducendum aliquid conferre potuiſſe credidit, inter cetera inprimis culpam rejiciendam eſſe in comeſtum caput Vitulinum majuſculum, nonnullos ſibi perſuadere voluiſſe, retulit, & quæ mea ſit de hoc ſententia rogavit; at ego minime juſte hoc accuſari poſſe judicavi, cum tot alii talia capita absque ulla noxa comedant, & revera inter cibos ſalubres haud abs re numerentur; ſanguini itaque â craſi ſua per enormem illam profuſionem, & alios majores diætæ errores, (dum nempe tum cereviſiæ nimium ſæpiuſcule ingurgitavit, tum non raro ſpiritu frumenti vinique ſe delectavit,) deflectenti potius hoc tribui, hincque ut in poſterum juxta diligentem medicamentorum uſum ſedulo hos errores vitet, ſerio monui.

DCVIII.

Tormina ab hernia producta.

ACceſſi hoc ipſo die Artificem, quinque annis quadragenario majorem, qui, quia totam fere vitam ſedendo conſumat, ſe malum hypochondriacum contraxiſſe, & per integros quatuor annos multum ab eodem divexari, conqueſtus fuit, cui, cum & facies reſponderet, fere ſtatim fidem adhibuiſſem; at cum poſtmodum retuliſſet, ſymptoma quod præcipue moleſtum ſit, eſſe

tormina, quæ circa umbilicum initium ſumant, hinc vero totum abdomen & dorſum pervagentur, Vinum Chalybeatum ſe absque ullo fructu in uſum duxiſſe, & hinc acidulas etiam potas magis ſibi non profuiſſe, alvum quidem interdum obſtrui, at facile & leniſſimis medicamentis reſerari, prædicti quidem mali aliquid ſubeſſe nullus dubitavi, at an hoc ſolum accuſandum ſit? dubius hæſi; & hinc ſemper alias atque alias quæſtiones propoſui, donec tandem fateri cœpit, ſe quoque hernia inteſtinali, & quidem ſcrotum jam occupante laborare, hincque tormina præſertim poſt motum corporis vehementiorem augeri, unde ego jam hæc inde præcipue derivanda eſſe, judicavi, & ut quantocyus curet, ut non ſolum inteſtina ſedi ſuæ priſtinæ reſtituantur, verum & in eadem mediante conveniente ſubligaculo detineantur, ſummopere commendavi; licetque quædam etiam medicamenta præſcripſerim, ſi tamen hoc modo ſibi conſuluerit, quin quamplurimum ſit profecturus, nullus dubito: Peſſime vero ſibi ipſis conſulunt, hernia laborantes, ſi hoc malum ſuum medicis ſuis non revelant, qui quippe ejusdem neſcii medicamenta etiam noxia facile præſcribere poſſunt, uti quidem hic ipſe non quidem â medico, ſed â pharmacopœo pene vita privatus fuiſſet, dum is vomitorium ſat vehemens eidem exhibuit; patet vero ex hac obſervatione, quando & in herniam inquirere debeat medicus, uti, ſi tormina ſæpiuſcule ægrotum incommodent, & medicamentis illis, quibus malum cui adſcribuntur, aliâs non ita difficulter curatur, minime cedant, quæſtionem de eadem motam nemo ipſi vitio vertere poterit, & ſi vel pernegent nonnulli, ſe hoc malo laborare, ſemper tamen fidem iisdem non eſſe adhibendum, quotidiana teſtatur experientia.

DCIX.

Colici dolores anginæ ſuccedentes.

VIr quidam in non ita exigua dignitate conſtitutus, parentibus partim arthriticis, partim ad iram maxime pronis editus, triginta annis major, & tenerioris conſtitutionis, ante aliquot annos aliquoties angina correptus, ab hoc malo alibi non niſi bis terve iterata ſanguinis ſubtractione liberatus fuit; ſicuti vero ſanguis ſic particulis ſuis balſamicis & ſpirituoſis non poterat non ſpoliari, ita hiſce viſcidas, acres, ſalinas ſucceſſiſſe, varia poſtmodum mala docuere, dum non ſolum de ventriculo minus bene ſe habente fere ſemper conquerebatur, ſed & pruritu in partibus extremis multum moleſto vexabatur, quin, cum per annum & quod excurrit, angina quidem nunquam rediiſſet, ejus loco tamen aliquoties dolores colici ipſum tantum incommodarunt, ut & in lectum proſtraverint; cum ergo huc veniſſet, ad eluendas peregrinas ſanguinis particulas acidulas Bruzenſens bibit, & quidem in principio tam exoptato cum affectu, ut easdem non ſolum brevi temporis ſpatio tum per uri-

nam

nam tum per alvum reddiderit, verum & optime ſe inde habuerit; accidit autem, cum per quatuordecim fere dies iisdem uſus fuiſſet, quod negotiis diſtrictus operationem illarum ſicut antecedentibus diebus promovere motu non potuit, ſed ſedendo tempus extraxit, & ecce! primo quidem Ventriculo male ſe habuit, hinc vero brevi poſt denuo ſucceſſere dolores colici tam intenſi, ut & â clamoribus ſe continere non potuerit, ubi ſub veſperam illico Clyſterem præſcripſi, & hinc Potiunculam ſtomachico-anodynam ſubjunxi, unde quidem aliquantum melius ſe habuit, & dolores ſedati fuerunt, at alvum nondum ſic ſicut exoptet apertam eſſe, & urinam etiam tardius fluere, retulit, ſimulque, num Mannam aliâs proficuam ſumere liceat, interrogavit, hujusque in Vino ſolutæ cum me concedente ℥iij. ſumſiſſet, magna materiæ peccantis quantitate per plures ſedes evacuata, Dei gratia convaluit, ſimulque acidularum potui finem impoſuit: Salinas vero præcipue particulas in hoc ſubjecto abundare, & tum olim Anginam, tum nunc dolores colicos excitaſſe, exinde ſtatui, quia nempe tum de pruritu non parum moleſto cetera etiam bene ſe habens conqueritur, tum nullum potum Aqua ſimplici ſibi melius conferre, teſtatur, adeo quidem, ut, cum aliquando dolores colici in Itinere conſtitutum proſtraviſſent, hac ſola in magna quantitate ingeſta eosdem ſuſtulerit; pruritum enim ſalibus originem ſuam debere, nemo dubitat, & aquam ſalinas inprimis particulas imbibere, ſic ſat certo conſtat; Teſtatur inſuper de harum præſentia, & quod merito accuſentur, vagus earum motus, dum jam huic jam illi parti moleſtias creant, ubi eas præſertim abundare, hactenus non ſemel vidi; ſicuti vero alibi jam Eſſentiam abietis in hiſce domandis proficuam expertus fui, ita hic etiam eam non abſque fructu in uſum ducet.

DCX.

Coccygis oſſis dolores Ung. de cynogloſſa ſopiti.

CORrepta fuit haud ita pridem Matrona quædam nobilis poſt partum doloribus dorſi & quidem juxta os coccygis præſertim moleſtis tam intenſis, ut præ iisdem ſomnum capere non potuerit, hinc vero illis varia quoque remedia oppoſuit, at nec Cerato Diapalmæ â me commendato, nec variis Cataplasmatibus inpoſitis, & oleis inunctis vel minimum quidem profecit, unde tandem neſcio qua ſuadente & Unguento de Cynogloſſa uſa fuit, quod Dei gratia illico dolores ſic ſopivit, ut ab illo tempore ab iisdem immunis vivat: Sicut nempe jam dudum conſtat, anodynas huic unguento tribui vires, ita hæ hac obſervatione confirmantur, quæ, niſi ut ſuadeas illud, tibi perſuadeat, ſi ut concedas interdum, te permoveat, jam uſu ſuo non caret.

DCXI.

Apoplexia levis ab ira.

MErcatoris cujusdam Uxor quinquagenaria major, parvæ quidem ſtaturæ,at ad iram maximè prona, cum prius capitis dolore laboraſſet, eo ipſo die, quo hic maxime intendebatur, ira iterum efferveſcens huic perverſo affectui tantum indulſit, ut, cum aliquantum ſe collegiſſet, toto corpore tremuerit; licet vero per bihorium & quod excurrit poſt hæc adhuc inceſſerit, & negotia domeſtica curaverit, hoc tamen tempore elapſo ſubito in lectum ſe proſternere opus habuit, quia dextram corporis partem movere ulterius non potuit, & nec pes nec manus ut paulo ante muneri ſuo præfuerunt; quia vero hæc paulo ante mediam noctem ſic contigerunt, licet maxime perterrita inde fuerit, non niſi ſub diluculum tamen me in conſilium vocavit, ubi, cum de motus memoratarum modo partium defectu conqueſta fuiſſet, & loquelam itidem quodammodo impeditam notarem, nullus dubitans, ab affectu illo vehementiore humores in motu ſuo non ſolum interturbatos, verum & quosdam finibus ſuis exturbatos fuiſſe, ut hi evacuentur, omnino opus eſſe judicavi, & hinc Potiunc. ex Specif. Cach. Lud. ℈j. Cholag. ſ. & Rad. Jal. reſ. n. aa.gr. Vij. liquoribusque convenientibus conſtantem præſcripſi,quæ blande octo ſedes movit, ſimulque decumbenti ſic profuit, ut manum pedemq; movere denuo potuerit, cum veſperi iterum acceſſiſſem; de ſumma vero harum partium debilitate ſimul conquerebatur, unde non ſolum externe adhibendam Aquam, ſed & Mixturam & cum hac ⊖. Vol. Oleoſ. ore ſumendam præſcripſi, haud abs re ſperans, hæc medicamenta, quicquid adhuc mali latitet, ablatura; quam noxia vero ſit ira ſicut hac obſervatione non parum confirmatur, ita niſi humoribus ab eadem commotis & ſede ſua emotis in principio ſtatim educendis operam naves, morbos inde inductos nec tam cito nec tam feliciter curabis; nota vero non tam vehementibus quam lenibus purgantibus hic opus eſſe, cum illis facile hypercatharſis induci poſſet.

DCXII.

Urinæ difficultas in infante lactante curata.

PUerulus quidam recens natus, cum præter varia alia mala difficulter etiam urinam redderet, & non ſolum quando illam reddebat, magis ac aliâs clamaret, verum & identidem per pluſculas horas eam reddere non poſſet, cum varia medicamenta fruſtra ſumſiſſet, & nec oculi cancri, nec Balſ. Peruv. ſicc. nec pulv. Diuret. D. Volk. nec Aq. fragorum ipſi vel minimum profuiſſent, ei, quæ mammas præbet, tum Cereviſiam Bacc. Juniperi alteratam, tum cibos cum Petroſelino coctos exhibere juſſi, quibus itidem ſcopum noſtrum

ſtrum nondum attigimus; at cum poſtmodum hæc proprio motu Rob Juniperinum ſumſiſſet, hoc Dei gratia tantum profuit, ut puerulus ab illo tempore & urinam rite reddere cœperit, unde in hunc usque diem, quando prius hoc malum reditionem minatur, ad hoc ipſum remedium & quidem ſemper cum fructu recurrit; Sicuti vero jamdudum lactantibus medicamenta exhibita fuerunt, quando lactentes ægrotarunt, ita quodnam inprimis in urinæ difficultate profuerit, ex hac cura legis.

DCXIII.

Ira commota febris brevi trucidans.

DE ira plura diſſerendi obſervatio penultima ab hac occaſionem ſuggeſſerat, cum enim maritus ejus fœminæ hinc amice eandem monuiſſet, ut in poſterum iram temperet, ne graviora ſibi conſciſcat mala, ut magis ipſam moveret, ſequentia etiam ſubjunxit; heri demum litteras accepi Francofurto allatas, in quibus certior factus fui, quod ibi amicus quidam meus, qui quantum ego quidem novi, nondum trigeſimum ætatis annum attigit, & florido faciei colore ſpem uti ſaniſſimæ conſtitutionis ita diuturnioris vitæ fecerat, cum præſertim vix ante ſemeſtre Uxorem duxiſſet, fatis ceſſerit, hanc ſuam Uxorem gravidam poſt ſe relinquens; dum vero, pergit mercator narrando, avide in litteris in cauſas tam ſubitæ & inopinæ mortis inquiro, eæ indicant, quod puer, quem tanquam diſcipulum aluerat, neſcio quibus transgreſſionibus tantum ipſum ad iram commoverit, ut ſtatim poſt male ſe habere & febricitare cœperit, & ſexto die extinctus fuerit; quæ quidem ſicut omnino quemvis commovere debent, ut iræ ſuæ, quantum fieri poteſt, obices ponat, ita me confirmarunt, pro temperamenti diverſitate & aliarum quoque circumſtantiarum differentia varios etiam morbos iram producere, quo magis vero corrupti ſunt, aut & agiles humores, quos in corpore movet, eo periculoſiores ſunt morbi, qui ſubſequuntur; licetque febris quæ iram auctorem agnoſcit aliâs haud ita diu inſtet, & hinc plerumque periculo vacet, eam tamen ſubinde diutius etiam inſtare poſſe, & hinc magis periculoſam reddi, modo legiſti, licet nullus dubitem in hoc malignas quasdam cauſas delituiſſe, quæ vero forſan diu adhuc quaſi dormiiſſent, niſi ab ira excitatæ fuiſſent.

DCXIV.

Arthritidis præludia purganti cedentia.

JUvenis quidam Helvetus, octodecim fere annoruum, cum non ſolum quotidie multum cibi ingereret, ſed & identidem plus etiam ac quidem Ventriculus ferre poterat, biberet, tandem inde dolores primo artuum, hic inde vagantes ſenſit, hinc vero & cervicem occupantes & appetitum proſternentes,

 quod

quod ipſum non parum perterruit, unde & meum conſilium expetiit, tumque urinam ſuam multum tinctam mihi monſtravit, cum vero ex reliquis ſignis nullum calorem p. n. deprehendere potuiſſem, & in conſueta quantitate eam ſe excernere, retuliſſet, ſalibus peregrinis ſcatere ſanguinem judicans, hiſce educendis dicatum medicamentum præſcripſi, Pilulas nempe ex Mag. Jalapp. & Scammon. atque ☿ dulci conſtantes; has cum ſumſiſſet, ſicut dolores ceſſarunt, ita & urina ad priorem & naturalem rediit colorem, unde jam ſe convaluiſſe credidit; ego vero, ſicuti ſtatui, nihilominus adhuc latere quædam ſalia corrigenda, ita ut hunc obtinerem ſcopum, Eſſ. Abietis & accuratiorem diætam illi commendavi: In tempore nempe exhibita purgantia præſtant, quod ab aliis vel laudatiſſimis medicamentis fruſtra expectatur, non itaque tam his quam aut intempeſtivo aut minus moderato eorum uſui noxæ adſcribendæ ſunt, ob quas â quibusdam nimium accuſantur.

DCXV.

Cephalalgia graviorum malorum metum injiciens.

Vir quidam præclarus, quinquaginta quinque annorum, temperamenti, quod veteres ſanguineo pituitoſum nominaſſent, non ita exactam diætam ſervans, & inprimis cereviſiæ interdum nimium bibens, cum & Uxori phthiſicæ per plures noctes diligenter adſtitiſſet, hincque ſic ſat diu ſomnum rite non cepiſſet, & poſtmodum caput ſoli aliquamdiu exponere opus habuiſſet, & pulverem nicotianæ, quem aliâs in non exigua quantitate naribus attrahere ſolebat, ſuaſu amicorum quorundam fere penitus ſepoſuiſſet, paulatim capitis dolorem contraxit, qui eum ad quasvis actiones perficiendas ſemper magis ineptum reddidit, quin tandem proſtravit; unde ex conſilio medici ſui ordinarii, primo quidem venam ſecari curavit, hinc vero & cucurbitulas cum cutis inciſione applicari curavit, hisque remediis, cum præſertim eo die, quo Venæſectionem inſtituit, non parum cereviſiæ bibiſſet, nil omnino juvantibus, purgans etiam ſat acre ſumſit, quod tamen vix ſemel alvum movit; unde jam dolori inprimis obviam ivit medicus, & quibusvis fere medicamentis opiata addidit, quin externe narcotica adhibere juſſit, at indies malum auctum fuit, adeo, ut jam continua quoque ſomnolentia acceſſerit, & interdum verba quædam delira protulerit, vixque per momentum temporis extra lectum degere potuerit, unde amici me quoque in conſilium vocarunt; ubi accedens pulſum tam debilem, juxtaque inæqualem & interdum intermittentem inveni, ut, cum præſertim urinam etiam multum tinctam excerneret, graviora imminere pericula metuerim, quem metum mecum & medicus ordinarius fovit; exinde vero â ſanguine præſertim in motu ſuo impedito, quin in capitis quibusdam partibus ſtagnante hæc mala produci judicans, volatilia inprimis in

in uſum ducenda eſſe, ſtatui; hincque Sal. Volatil. Oleoſum S. & ad dolores demulcendos Specif. Cephalic. D. Mich. commendavi, unde levamentum quidem quoddam percepit, at pulſus antiquum obtinuit, nec ſtupor multum ſe remiſit, Veſicatoria ergo etiam applicata fuere, Clyſterque acrior injectus; inprimis autem in caſtoreo opem quærens, hujus cum Specif. Cephal & Extr. Lign. aloet. convenientem doſin primo quidem poſt ſingulas quatuor, hinc ſex, deinde octo horas & tandem mane & veſperi exhibui, hincque Dei gratia indies melius ſe habuit, urinaque meliorem quidem acquiſivit colorem, ad naturalem vero non rediit; unde de naribus obſtructis etiam conquerenti Pilulæ ex ☿ dulc. & Magiſt. Jalapp. inprimis conſtantes præſcriptæ fuere, poſt quas primo ſumtas, urinam optimam excrevit, continuato ergo die interpoſito pulvere modo laudato, tertio has Pilul. iteravit, quæ Dei gratia ſic profuere, ut valedicere nos medici eidem potuerimus, cum prius Eſſ. Caſtorei eidem commendaſſemus: Non in quovis nempe dolore opiata cum fructu exhibentur, inprimisque, ubi humorum ſtagnantium juſtus ſubeſt metus, volatilibus potius quam illis pugnandum eſt, inter quæ caſtoreum tam diu jam laudem meruit, ut mea commendatione vix opus habeat, cum & vel antiquos illud ſumme commendaſſe conſtet, & experientia illorum effata qua hoc medicamentum ſemper magis confirmet.

DCXVI.

Eryſipelas panno ſanguine leporino tincto cedens.

VIr ille Illuſtris, cujus haud adeo pridem mentionem feci, quod nempe brevi temporis ſpatio Eryſipelate bis correptus fuerit, cum tumori reſtitanti tandem Ceratum Diapalmæ non prorſus fruſtra oppoſuiſſet, ceteraque Dei gratia ſic valeret, ut jam, ſe prorſus non habere, quod ab ullo alio malo ſibi metuat, crediderit, ad iram tamen licet juſtam commotus, cum huic non tam indulſiſſet, quam eam ſuppreſſiſſet, inde brevi poſt iterum pejus ſe habere cœpit, & nunc quidem de frigore inprimis moleſto conqueſtus fuit; quod, quia nihilominus arduo ſuo muneri præfuit, ſic invaluit, ut tandem vix verbum ulterius proferre potuerit, jamque vel ideo majorem injecit metum, quia pes nec minimum quidem doluit, & hinc aliud ſubeſſe malum ſuſpicabatur; ego vero nunc Tincturam Bezoarticam inprimis commendavi, cum & pulſus ſanguinis motum quodammodo impeditum prodiderit; ut tamen, an pes ab omni prorſus malo ſit immunis? reſciſcerem, ut inſpectionem concederet, rogavi, & ecce! hac inſtituta eryſipelate hunc denuo tinctum deprehendi, ſicut ergo febre tantum ut prius non efferveſcente, Tincturam modo laudatam inprimis continuare juſſi, ita de alio remedio externo, cum primo commendata minime nocuiſſe quidem, at tardius juviſſe, obſervaſ-

ſem

ſem, ſolicito, commode in mentem venit ſanguis leporinus menſe Martio panno linteo exceptus, quem quippe & alios ſummé commendare noveram, & jam quoque aderant, qui, ut hic in uſum ducatur, urgebant; licet vero alius haberi non potuerit, quam ante triennium hoc modo collectus, hic tamen mediante illo linteo impoſitus Dei gratia tantum profuit, ut non ſolum brevi temporis ſpatio omnis rubor diſparuerit, ſed & tantum ut olim nunc pes non intumuerit, nec ullus unquam dolor acceſſerit, unde & alio medicamento opus non habuit, & hac vice, cum vix biduum ſoli quieti dediſſet, ad labores ſuos conſuetos rediit: an vero huic remedio adſcribi poſſit, quod nunc tam brevi ceſſit malum, an, cum nuper eodem, tam brevi temporis ſpatio bis decubuerit, tam multum materiæ peccantis diſſipatum fuerit, ut jam per ſe tam moleſtum eſſe non potuerit, merito me dubitare, nullus dubito; tutum interea remedium, & hinc aliis illud multum commendantibus tuto concedi poterit.

DCXVII.

Sanguis ore rejectus non ſemper terribilis.

SAnguinis ex ore profluvium quin & aliud ex toto nullum nocere, quod in corpore robuſto neque nimium ſit, neque tuſſim aut calorem moveat, Celſus optime ſtatuit; licet itaque nulla fere re magis terreatur vulgus, quam, ſi ſanguis ore rejiciatur, ſi tamen medicus conſultus ſemper hujus regulæ fuerit memor, non facile tantum terrebitur, & facilius aliorum etiam menti terrorem eximere poterit, quod ego quidem heri demum præſtiti, dum is, cujus cephalalgiam deſcripſi, per ancillam interrogavit, quid mihi, de ſanguine, quem absque ulla moleſtia atque tuſſi ſputo rejiciat, videatur? minime enim nocere poſſe, reſpondi, & cum effato eventus reſpondit, aliud enim malum non fuit ſubſecutum.

DCXVIII.

Mali hypochondriaci indicium & remedium.

VIdua quædam fere quinquagenaria, cum hactenus ſemper fere in nimia quantitate menſes habuiſſet, inde quidem virium quandam imminutionem percepit, at eam tam parvi habuit, ut medicamentis propterea ſe opus habere minime crediderit; at cum ante trimeſtre & quod excurrit, hic menſium fluxus omnino deſiiſſet, ipſamet quidem naturaliter hoc ſibi ſic contingere, nulla dubitavit, & hinc nullo modo, ut is revocaretur, ſolicita fuit, at cum ab illo tempore, non ſolum caloribus, quos volaticos nominant, continuo fere vexaretur, ſed & dolor præſertim cervicis accederet, laſſitudo inſuper membrorum, inconſueta gravitas, & vigiliæ ferme continuæ non parum

moleſtiæ

moleſtiæ crearent, appetitus proſtratus eſſet, & hypochondria inflarentur, me propterea in conſilium vocavit, dum vero ſimul urinam monſtravit arenulis ſubtilioribus ſic repletam, ut & vaſis parietibus hæ hinc inde affixæ fuerint, non tam à menſibus nunc obſtructis, quam malo hypochondriaco quævis hæc mala originem trahere judicavi, & hinc Eſſ. Trifol. fibr. inprimis eidem præſcripſi, quam talibus ſignis præſentibus hactenus vix unquam fruſtra commendavi: Sicut nempe tales arenulæ mali hypochondriaci ſic ſat certum indicium præbent, ita hæc Eſſentia tum amaris tum volatilioribus particulis ſuis non poteſt non ſanguini â nativa ſua bonitate deflectenti prodeſſe.

DCXIX.

Cydoniorum lanugo ſanguinem ſiſtens.

NObiliſſima quædam Matrona, cum neſcio quid cultro dividere voluiſſet, hoc â ſcopo præfixo deflectente digitum pollicem ſiniſtræ manus ſic læſit, ut eum pene in duas partes diviſiſſet, perterruit vero eam inprimis hæmorrhagia ſubſequens, quæ variis applicitis remediis, inter quæ telas aranearum inprimis nominavit, nec minimum quidem ſupprimi potuit, adeo ut jam me propterea vocare voluerit, niſi commode in mentem veniſſet Cydoniorum lanugo, hanc enim cum vix vulneri impoſuiſſet, illico ſanguinis profluvium ſic inhibitum fuit, ut nec gutta quidem ulterius profluxerit; ſicuti vero ipſa hanc lanuginem propterea non parvis extulit laudibus, ita cum aliâs quoque idem eandem præſtitiſſe noverim, ut hoc pluribus in mentem revocetur, obſervationem hanc communico.

DCXX.

Pulmonibus illapſus Pulvis.

EAdem hæc cum haud ita diu ante interfuiſſet ſæpiuſcule labori, quo plumæ â ſe invicem ſeparantur & pro conficiendis lectis in ordinem rediguntur, indeque multum pulveris ore naribusque attraxiſſet, pondus quoddam in pectore minus conſuetum percepit, & hinc, ut purgans præſcribam, deſideravit, cui petito quidem ſatisfeci, at ſimul dubitavi, an ſic ſcopum ſuum ſit aſſecutura? cum hic pulvis non tam in primis viis, quàm organis reſpirationi dicatis hæreat; nec fruſtra me dubitaſſe paulo poſt conſtitit, nam, licet purgans novem moverit ſedes, pectoris gravitas nihilominus reſtitit, unde nunc, ut mucilaginem Cydoniorum delingeret ſuaſi, quæ aliquantum prodeſſe poterit; medicamentum enim appropriatum, quod pulverem ſemel ad pulmones delatum evacuaret iterum, ego adhuc deſidero, nec alibi hactenus deſcriptum inveni, licet, modo non nimium ſic pulmonibus communicatum fuerit, ſponte mala inde ſuborta cedere, hactenus notaverim.

DCXXI.

Genæ tumor Variolas ſubſequens letalis.

FIguli cujuſdam, qui per plures annos ſæpius, tam atrocibus dentium doloribus correptus fuit, ut præ iisdem nec labori ſuo præeſſe, nec extra lectum degere potuerit, filiolus quinque fere annorum, cum prius parulide laboraſſet, in variolas tum graſſantes incidit, quas quidem mater uti parvi habuit, ita pueri, quamdiu iisdem decubuit, parvam admodum curam geſſit, unde tandem exaruere quidem paulatim, at reſtitit tumor durus genam ſiniſtram attollens, quem dolentem admodum extitiſſe, vel inde conſtitit, quia puer tacto eodem clamorem edidit, qui, cum ſimul toto corpore conſumeretur, & quotidie vires magis imminuerentur, matrem permovit, ut me propterea conſuluerit; ubi accedens puerum refractarium inveni, dum vix aſpici nedum tangi ſe permiſit, in omnia tamen ſedulo inquiſivi, & maxillam præſertim affectam eſſe judicavi, medicamenta hinc, quæ convenire credidi, præſcripſi, & Chirurgum vocare juſſi, ſicuti vero puer nullo modo adigi potuit, ut medicamentum ſumſiſſet, ita non niſi malâ exulceratâ Chirurgus acceſſit, quæ parum quidem puris fudit, at tam corrupta fuit, ut præ fœtore vix tractare puerulum potuerit, licetque hic applicato Spiritu Vini viribus myrrhæ & aloes impprægnato remiſiſſe viſus fuerit, corruptio tamen, quia mater, ut reſecentur partes corruptæ nullo modo concedere voluit, indies latius ſe extendit, adeo, ut cum ego denuo cum alio Chirurgo vocatus acceſſiſſem, totam genam ſic corruptam quin conſumtam invenerimus, ut absque ullo dolore reſectis quibusdam particulis putreſcentibus oris interiora conſpectui patuerint, uti vero vel dentes ſponte elapſi maxillam corruptam ſufficienter prodiderunt, ita eadem talis hunc conſpici potuit, tumorque adhuc reſtitans oculum hujus partis ſic clauſit, ut eum nullo modo aperire potuerit; licet vero, quomodo in poſterum tractandus ſit hic miſer, Chirurgo ordinario indicaverimus, nullam tamen convaleſcentiæ ſpem ſupereſſe unanimiter ſtatuimus; cum præſertim cancroſi quid ſubeſſe haud inepte crediderit Chirurgus mecum vocatus; Sicut autem ſummis nec injuſtis votis expetitum fuit, ut mors tantis ærumnis finem imponat, ita poſt decem fere dies poſt inſtitutam hanc inſpectionem horum damnabantur, puerulusque vivere in hoc mundo deſiit: Hæreditarii quid hîc ſubfuiſſe, & ubi ejuscemodi quid ſubeſt majorem ac aliâs variolarum curam eſſe gerendam, ſi hæc obſervatio docuerit, fruſtra eandem non legiſti.

DCXXII.

Sagittula ferrea deglutita.

AMici cujusdam mei primarii filiolus duodecim fere annorum, cum neſcio quomodo ſagittula, quales pueri per arundines explodere aut alio modo jaculari ſolent, ludendo illam deglutiiſſet, inde Parentibus non parvum terrorem injecit, qui quidem quodammodo ceſſavit, cum is nil prorſus mali ſe perſentire, teſtaretur, at quamdiu adhuc in corpore reſtitit, non potuere non eſſe ſoliciti, unde & rem ad me detulit Pater, cui, ut ſæpius oleum & butyrum puero exhibeat, ſuaſi, qui poſtmodum talem ſagittulam ex clavo ferreo & diſcerpto linteo conſtantem miſit, ſimulque per litteras indicavit, quod per alvum iterum exiiſſe deglutitam exiſtimet, quia filius, aliquando in egerendis fecibus inſignem dolorem punctionemque ſe ſenſiſſe retulerit, quia verò non tam in loco certo alvum depoſuerit, quam communi, ſagittula inveniri non potuerit: Felix, quod alia mala non concitavit, cui tamen alia, quam quæ ego commendavi, medicamenta vix ſuaderi potuiſſent.

DCXXIII.

Hydrops in puero poſt aliquot annos rediens.

TInctoris cujusdam filiolus decem & quod excurrit annorum, cum ante quatuor fere annos medicamentis idoneis ab hydrope, quo tum graviter decubuit, liberatus fuiſſet, interea quidem Dei gratia ſic ſat bene ſe habuit, nec de ullo unquam malo conqueſtus fuit, at ante bimeſtre fere, primo quidem laſſitudinem minus conſuetam notavit, hinc vero difficulter admodum reſpiravit, quod matrem permovit, ut diligentius in cetera quoque inquiſiverit, cumque abdomen iterum tumidum pedesque itidem debito majores inveniſſet, ne hydrops redeat, haud injuſte ſibi metuit, & hinc ancillam, ut me propterea conſulat, miſit; quæ neſcio quo errore alium quendam adiit, qui urina inſpecta, metum ab hydrope omnino juſtum nominavit, & diuretica quædam medicamenta præſcripſit, quæ, quia ancilla ſtatim etiam parari curavit, mater puero aliquamdiu exhibuit; at utut urinam promoverint, nec minimum tamen mala, de quibus conqueſtus fuerat, remiſerunt, ſed tumor inprimis indies augmentum ſumſit, unde tandem me vocavit, & cum modo narrata recenſuiſſet, puerum quoque ad me deduxit, quem abdomine tumidum & facie pallidum inveni, duritiem etiam quandam in hypochondrio dextro deprehendi, unde purgante præmiſſo Electuarium chalybeatum præſcripſi bis quotidie in uſum ducendum, quod Dei gratia tantum profuit, ut puer indies magis detumuerit & ſcholam denuo frequentare potuerit, quod mater læta nuper retulit, & ego Electuarium nihilominus adhuc aliquamdiu conti-

nuare juſſi,ſub cujus uſu primo quidem achores caput occuparunt,hinc vero ſcabioſus evaſit, cetera tamen ſat bene ſe habuit, unde hiſce malis non tam externis quam internis medicamentis obviam ivi, & præmiſſo purgante Eſſ. Purific. Cl. commendavi: Serum in hoc prius in corpore corruptum ſic exitum inveniens, tum internas partes in poſterum minus læſit, tum de eorum robore teſtatum fuit, unde hæc mala non tam noxia quam proficua judicavi.

DCXXIV.

Menſes chorea inhibiti.

MAtrona quædam nobilis, cum nuper de alvo inprimis obſtructa conqueſta fuiſſet, quomodo menſes ſe habeant? mihi interroganti reſpondit, quod eosdem, quamdiu quidem vivat ordinarios habuerit, nec niſi ſemel ſolum virgini adhuc ſubſtiterint, quod tamen malum ipſamet ſibi conſciverit, cum enim tum eo die,quo menſes inſtiterint,& jamjam fluere inceperint nuptias frequentaverit, & ſaltando non parum ſe delectaverit, illico hunc fluxum ceſſaſſe, & poſt trimeſtre demum in uſum ductis aliquot remediis rediiſſe; quod quidem ego notatu dignum judico, cum aliâs nimio motu non tam tardentur, quam magis moveantur menſes, in hoc vero ſubjecto ſine dubio, dum motus ſudorem movit, ſicque ſanguis ſero quodammodo ſpoliatus majorem craſſitiem acquiſivit, is per vaſa ſanguiveha minora uteri penetrare non potuit: ſeu vero hoc modo noceant choreæ, ſeu & ſanguinem nimium moveant, melius ſibi conſulere fœminas ſi menſibus fluentibus ab iisdem deſiſtant, quam illis ſe delectando, nemo ſpero in dubium vocabit.

DCXXV.

Fabæ S. Ignatii.

UTut vel quælibet Tellus tanta in abundantia & medicamenta proferat, ut vel quædam illorum nomina nedum vires hodienum multæ lateant, nec diligentibus indagatoribus unquam defutura ſit materia, in qua & hac in parte diligentiam ſuam, modo voluerint, exercere poterunt, adeo tamen peregrinis etiam ſubinde opus habemus, ut iis omnino commode nos carere non poſſe, hodie vix ullus inveniatur, qui non ſponte fateretur; ſicuti vero non tam in medicamenta quam aurum argentum gemmas aliasque opes peregrinarum terrarum Inventores inquiſiverunt, ita illorum plurima nos adhuc latere, nullum eſt dubium; laudemque hinc præſertim merentur illi, qui quamprimum talia medicamenta ad nos deferuntur, in ea diligentius inquirunt, & quæcunque ſedulitate ſua explorarunt, cum aliis ingenue communicant, inter quos inprimis eminet Michael Bernhardus Valentini, qui ſicut unum alterumve talium ſimplicium exotericorum in peculiaribus diſſertationibus deſcripta edidit,

dit, ita nuperrime has collectas publico non invidit, ex quibus quæ de fabis S. Ignatii, hactenus ſub hoc nomine apud nos minime notis, excerpſi, hic forſan lubens leges: Sicuti vero pauca admodum diligentiſſimo huic Auctori ab aliis de iisdem communicata fuêre, ita modum vegetationis illarum communicare non potuit; ſtatuit autem ſicut Caffee ita has fabas cum reliquis fabis minime convenire, cum non ſolum corneam & talem ſubſtantiam, quæ difficulter admodum in pulverem vertitur, poſſideant, ſed & ſicut fabæ communes flatus omnibus conſentientibus generent, ita hæ eosdem potius diſcutiant, quin tanta virtute carminativa gaudeant, ut vix ſumtæ murmura & mugitus excitent; ex quonam in ſpecie loco afferantur, nondum conſtat, Luſitanos tamen primum ex India Orientali eaſdem nobis communicaſſe, nullum eſt dubium: ſubſtantia extus ſtriata, intus vero cornea, uti modo legiſti, & ungulis haud abſimilis exiſtit, adeo, ut non tam commode terendo quam limando in pulverem redigantur; referunt pleræque forma Corculum Gallinarum, nec nucem Moſchatam minorem magnitudine excedunt, coloris ſunt ſpadicei & ex atro fuſci, odoris grati & quodammodo moſchati, ſaporis gratè amari; particulis præditæ non ſolum terreſtribus & hamatis, verum volatilibus oleoſis quoque, tam exaltatis, ut in nimia doſi ſumtam Eſſent. ex iisdem paratam convulſiones excitaſſe notatum fuerit; produnt vero hæ ipſæ particulæ vires quas fabæ hæ poſſident, quod nimirum ſtomachicæ præſertim nominari mereantur, adeoque in iis inprimis ventriculi affectibus, quos frigidos Veteres nominarunt, ſummo cum fructu exhibeantur, in inteſtinorum hinc morbis itidem utiles, unde in Colica quoque & Ileo cum aqua præſertim Menthæ exhibitæ commendantur, quin alvi etiam fluxus â cruditate præcipue ſubortos ſiſtere perhibentur; & ſi humores in primis viis ſtatim corrupti alias quoque partes incommodant, catarrhos, odontalgiam, vertiginem, epilepſiam inducunt, fruſtra in his fabis auxilium non quæritur; quæ & febrifugæ ſunt, dum non ſolum laudatiſſimi Auctoris filiolum â febre tertiana duplici liberarunt, verum & Illuſtrem Wedelium eas in febre continua cum fructu cuidam exhibuiſſe, ex epiſtola ad Schelhaſiumâ ſummo hoc Viro exarata eidem innotuit: externus quoque earum uſus laudandus venit, dum in oleo coctæ ſcabiem ſanare, & parti ſanguinem fundenti pulvis earum inſperſus hujus fluxum inhibere creditur; Sicuti vero Centaurium minus commode his fabis ſubſtitui poſſe Auctor, cui quævis hactenus allata debeo, addidit, ita ex præſcriptis formulis fere omnibus notavi, cum has fabas vix ſolas præſcripſiſſe, qua in re, qui illum in præſcribendis talibus exoticis in principio præſertim imitatus fuerit, tum ſibi tum ægrotis ſuis non parum conſulet: In doſi ℈ß. quando in ſubſtantia exhibentur fabæ, non eſſe excedendum, ſed ad pauciora etiam grana ab eo plerumq; præſcriptas fuiſſe, ex diſſertatione conſtat,

 pulvis

pulvis enim, quem integer ejusdem ſcrupulus ingreditur, ſine dubio in aliquot partes dividendus fuit.

DCXXVI.

Fœtus mortuus unco feliciter extractus.

COqui cujusdam publici Uxor quinquagenaria ſucci plena & robuſta cum decimò quartò tempus quidem partus rite attigiſſet, hic tamen ſicut bis terve prius ita nunc quoque minus felix ſucceſſit; cum enim aquæ quidem, quæ partum antecedere ſolent, non abſque dolore profluxiſſent, hic tamen iisdem profuſis denuo ceſſavit, nec niſi aliquot horis elapſis rediit, quem deinde utut omnibus viribus ſecundaverit, nil quicquam tamen profecit, niſi quod tandem brachiolum eruperit, eoque ipſo, quam difficilis inſtet partus, ſat innotuerit, promovere tamen hunc quovis modo tentarunt, & hunc in finem non ſolum plura eidem medicamenta exhibuerunt, ſed & ipſam, ut quantum in ſe eſt, præſtare pergat, ſedulo hortatæ fuerunt adſtantes, quarum monitis utut ſtrenue ſemper paruerit, nec minimum tamen partus promotus fuit; unde jam viribus quoque imminutis me in conſilium vocarunt, ubi omnibus probe perpenſis, dum obſtetricem extractioni fœtus per omnia ſigna mortui vix ſufficientem inveni, vires vero ſic ſat adhuc conſtabant, ut antequam hæ magis dificiant, illa per chirurgum inſtituatur conſultum duxi; nec diſplicuit tum parturienti, tum ejusdem marito conſilium; unde Chirurgum hujus præſertim operationis peritum J. Davidem Freitagium me ſuadente vocarunt, qui & illico acceſſit, & iuſtrumentis uncis præſertim aquæ calidæ immiſſis, parturiente luci expoſita, atque manibus oleo inunctis extractionem fortiter aggreſſus fuit, & poſtquam uncum fœtui mortuo ſupra papillam ſiniſtram infixit, ſocio quem ſecum adduxit hunc trahendum tradidit, ipſe vero fœtum ſic manibus rexit, ut brevi temporis ſpatio feliciſſime eundem extraxerit, totum nec ulla parte prius mutilatum, nec in ſitu tam perverſo mutatum, quod pari felicitate ſibi hactenus ſemper ſucceſſiſſe teſtatus eſt; an vero ſemper ſuccedat, ferme dubito, tentare tamen ſi in principio voluerit hunc modum expertus Chirurgus, longe citius ſuccedet operatio ſic inſtituta quam præmiſſa fœtus mutilatione atque evacuatione, niſique vim nimiam adhibuerit, non habet quod à minus felici eventu ſibi metuat: Utinam vero interdum citius hæc extractio inſtitueretur, ſic enim plures matres facile ſervari poſſent.

DCXXVII.

Febris infantis peracuta.

VIri cujusdam eleganter docti filiolus novimeſtris & hactenus Dei gratia ſanitate ſic ſat integra gaviſus, cum unus alterve dens abſque ulla fere

moleſtia

moleſtia illi erupiſſet, ſubito febri tam acuta correptus fuit, ut cum hæc non ſolum difficillimam reſpirationem & appetitum penitus proſtratum induxiſſet, caloreque intenſo tangentium manus perureret, verum & faciem pene Hippocraticam reddidiſſet, ego vocatus parvam admodum convaleſcentiæ ſpem ſupereſſe crediderim, cum præſertim & medicamentum primo præſcriptum poſt ſingulas fere horas exhibitum nec minimum quidem malum imminuiſſet, cum autem poſtmodum pulverem ex Pannonico rubro & Lap. Bez. orient. conſtantem aliquoties ſumſiſſet, paulatim mala ſic ſe remiſerunt, ut puerulus Dei gratia convaluerit: Sicut vero in puerorum morbis vel optima quæque promittentibus nunquam nimium fidendum eſt, ita peſſimis quibusque pejorum metum injicientibus non ſemper deſperandum eſſe, hæc obſervatio confirmat.

DCXXVIII.

Alvi obſtructio per quinque dies inſtans.

VIrgo quædam Ratisbonenſis filis aureis argenteisque ducendis operam navans, & diætam non ita convenientem ſervans, ſed acetariis inprimis ſe delectans, inde nuper in alvi obſtructionem incidit, quæ per integros quinque dies inſtans & Pilulis quibusdam fruſtra ſumtis tandem eandem proſtravit, tamque difficilem eidem reddidit reſpirationem, ut & â ſuffocatione ſibi metuerit; unde per quandam ſuam ſociam meum conſilium rogavit, ubi Potiunculam alvo reſerandæ inprimis dicatam eidem præſcripſi, quiaque novi, in tam pertinacibus alvi obſtructionibus identidem aut fruſtra ſumi has Potiones, aut & vomitu ſubinde rejeci, Fol. Sen. ℥ij. Aq. Mulſæ q. ſ. ſimul infundere juſſi, ut nempe ſi ejuscemodi quid contingat, ſub veſperam hoc infuſum ſumat, nec fruſtranea fuit hæc mea ſolicitudo, cum enim Potiunculam præſcriptam vix ſumſiſſet, eam vomitu rejecit, unde huic jam modo laudatum infuſum ſubjunxit, quod & ad votum operationem ſuam exſeruit, dum non ſolum bis alvum movit, ſed & mala ab hac obſtructione producta removit: Omnino vero ſimpliciſſimum hoc infuſum vel iterata commendatione dignum eſt, cum ſæpius præſtet, quod ab aliis medicamentis purgantibus fruſtra expectatur.

DCXXIX.

Ophthalmia Pilulis Francofurtenſibus curata.

PUella quædam octo annorum, cum una cum ſorore ſæpius ophthalmia laborante in uno lecto decumberet, cetera ſana nec catarrhis aliâs obnoxia, ſubito etiam hoc malum & quidem tam vehemens contraxit, ut per integrum diem oculos nec aperire quidem potuerit, qui quippe inde non tam rubuêre, quam

quam multum intumuerunt, conſultus ego propterea bis terve eidem Pilul. Francofurtenſes exhibere juſſi, quæ Dei gratia tantum profuêre, ut tertio die vix opthalmiæ quædam veſtigia ſuperfuerint, licet nullum omnino remedium externum adhibuerit; ubi contra cum hiſce diebus alia quædam virgo ſacculos in vino coctos oculis eodem modo affectis admoviſſet ea malum inde non tam mitigatum quam auctum ſenſit, unde & huic has Pilulas commendavi; quæ quippe licet non non omnem opthalmiam ſanent, in ea tamen quæ vel radices egit, nec cauſas ſingulares agnoſcit plerumque ſummo cum fructu ſumuntur.

DCXXX.

Veſiculæ felleæ calculi aquæ ſupernatantes.

DUm hiſce diebus Celeberrimi Valentini diſſertationes de Polychreſtis quibusdam exoticis evolvi, inter cetera occurrit, quod in illa quam de lapide porcino, uti quidem nomine latino inſigniri poteſt, collegit, ex Reverhoſtio meminit, quod is ſtatuat, illos calculos qui in Veſicula fellea inveniuntur, aquæ injectos eidem ſupernatare, in quo tamen experientiam hunc Virum non ſemper faventem habere, ipſemet propria experientia contrarium edoctus poſtmodum ſubjungit; unde lubido me inceſſit, circa calculos quos ante pluſcnlos annos in præſentia Magnifici Dn. Schrökii ê Veſicula fellea cujusdam Vetulæ exemtos poſſideo, quomodo hi in aqua ſe habeant? experiendi; Sicut autem ſeptem hi calculi ſunt angulati, læve, colore fuſci, & ex pluribus ſibi invicem ſuperſtratis quaſi laminis conſtant, ita aquæ injecti omnes illi ſupernatarunt; Operæ itaque omnino pretium erit, ut ſæpius circa hos calculos inſtituantur experimenta, ut tandem certi quid determinari poſſit.

DCXXXI.

Hemicrania per viginti annos inſtans.

VIr quidam in informanda Juventute tempus jam per plures annos terens, conſtitutionis teneræ, & temperamenti, quod haud abs re melancholicum nominares, inde malum hypochondriacum contraxit, quod ſicut in aliis alia ſymptomata comitari ſolent, ita huic hemicrania præſertim moleſtum fuit, dum dolorem in dextro latere ſyncipitis ſubinde tam vehementem concitavit, ut aliquoties aliquamdiu vix mentis compos extiterit; ſicut autem variis modis ipſum torſit, ita aliquoties ſibi viſum fuiſſe, & adhuc interdum videri, ac ſi vir parvus girgillum ignitum (einen glüenden Haſpel) pro viribus in hac capitis parte celerrime circumvolveret, & eo ipſo tempore tantum lymphæ ex ore atque oculis profluere, ut unice huic excernendæ quoddam

temporis ſpatium tribuere opus habeat, retulit; ſicuti vero varia remedia hactenus huic malo jam per viginti fere annos inſtanti oppoſuit; & tum medicos tum medicaſtros conſuluit, ita, utut aliquando levamentum quoddam attuliſſe viſa fuerint quædam medicamenta, nunquam tamen diuturnum hoc fuit, ſed brevi identidem & quidem aliquoties cum fœmore rediere dolores; venit hinc tandem & ad me, ubi ego quidẽ primò de Salivatione mercuriali cogitavi, at quia nec minima quidem luis venereæ ſuſpiciò hîc ſubfuit, qua cauſa non præſente aliquoties hanc ſalivationem infeliciter adhibitam fuiſſe doctiſſimus Williſius notavit, & ſimul ſubjecti teneritudo me abſterruit, malum hoc non tam integrè curari poſſe, quam quantum quidem fieri poſſit, deliniendum eſſe, judicavi, & hinc ſequentium Pilularum diligentem uſum ipſi commendavi:

℞. Extract. Trifol. fibr. ℈ij.
Lign. Aloet. ℈ß.
Cinnab. nat.
Caſtor. el. aa. gr. xxv.
C. ſir. de Pœon. q. s. f. Pilul. N. cv.
Conſp. pulv. Liquir.

Sign. Pilulen/ davon Morgens und Nachts 7. zunehmen.

Quas malum mitigaturas, ſi inprimis diligenter easdem continuet, totus ſpero; licet in ejuscemodi inveteratis malis plerumque oleum & operum perdamus: ut ergo ſemper prognoſtico ſe muniat medicus prudens, memor erit.

DCXXXII.

Sanguis leporinus antidyſentericus.

QUantum profuerit ſanguis leporinus in Eryſipelate curando cum hiſce diebus coram Illuſtri Dn. D. Georg. Tobia Dürrio narraſſem, id non ſolum & ſibi experientiam aliquoties confirmaſſe, reſpondit, verum & addidit, antidyſentericum quoque ſuggerere remedium hunc ipſum ſanguinem, quo milites præſertim inſigni cum fructu utantur, ordinisque Teutonici quendam Equitem olim ſibi retuliſſe, quod menſe Martio ex occiſis aliquot leporibus ſanguis colligatur, & ex farina eodem probe imbuta globuli formentur, qui in furno exſiccentur, & poſtmodum in hunc ipſum uſum ſerventur, quamprimumque quis cruento alvi fluxu corripiatur, huic cum potu talis globi in pulverem redacti partem exhiberi, hincque quam plurimos ſanatos fuiſſe; Hujus vero remedii ſicut ex Minderero Celeberrimus Paulini quoque in egre-

gio ſuo de Leporibus tractatu meminit, ita quin inter tuta evporiſta referri mereatur, nullum eſt dubium.

DCXXXIII.

Variolas retropellens frigus.

Tinctoris cujusdam filiolus trium annorum, prius anxietate quadam correptus, cum bis terve Alexipharmaca quædam in uſum duxiſſet, variolis erumpentibus Dei gratia aliquantum melius ſe habuit, jamque omni periculo ipſum defunctum eſſe, mater credidit; at cum ſequenti die, ut alvum deponeret, veſtibus minus munitus aliquamdiu extra lectum ſediſſet, ſubito male ſe habere cœpit, utque in lectum iterum deponatur, ipſemet petiit, cui petito mater, quia ſimul expalluit, eo citius ſatisfecit, non parum perterrita tamen, cum poſtmodum, maculas quasvis, quæ copioſæ jam eruperant, retroceſſiſſe notaſſet; ſicut ergo à frigore incautius admiſſo non ita male hoc malum derivavit, ita in calore præſertim auxilium quæſivit, & hypocauſto magis calefacto, puerulum etiam lecto ſedulo obtexit, unde paulatim rediere maculæ, puerulusque, Dei gratia, iterum melius ſe habuit: Utut nempe merito nimius calor, quando tractantur Variolis decumbentes, ſuſpectus ſit, qui quippe hos identidem non tam juvat, quam fere ſuffocat, non tamen facile frigori ſunt exponendi, quod in principio præſertim variolas non poteſt non retropellere, quæ poſtmodum non ſemper eadem facilitate iterum expelluntur.

DCXXXIV.

Sudores frigidi quibusdam naturales.

De hoc ipſo puero cum, poſtquam hæc ſic contigiſſent, ipſum viſitaſſem, mater ejusdem retulit, quod, quamdiu decumbat ſemper fere ſudet, omnis vero ſudor tam frigidus exiſtat, ut prope hic quoque metum ſibi injeciſſet, niſi tum hoc inſtante cetera, uti ipſemet videam, is ſic ſat bene Dei gratia ſe haberet, tum noſſet, quod quotiescunque ipſa ſudet, ſeu jam ſudor ſponte ſuccedat, ſeu â morbo ſeu medicamentis moveatur, hic ſemper etiam tantum ſtatim frigeſcat, ut & hoc ipſo moleſtiam quandam creet, nunquam tamen hactenus inde pejus ſe habuiſſe, hincque totam ſe ſperare, nec filiolo ſuo illum nociturum: Quo ipſo ſicuti confirmantur, quæ tertio anno Linearum medicarum de ſudore frigido non ſemper metuendo adduxi, ita eundem quibusdam etiam naturalem exiſtere, ſi memorata Tibi perſuaſerint, me vix diſſentientem habebis.

DCXXXV.

DCXXXV.

Lactumina purgante curata.

VIri cujusdam Generoſi filiolus, duobus annis major, utut per totam ſuam vitam non tam lacte quam aqua ſitim ſedaverit, ante aliquot tamen menſes malo illo, quod nonnulli recentiorum ſub cruſtæ lacteæ ſeu lactuminum nomine deſcribunt, & Germani Den Vres nominant, correptus fuit, puſtulis nempe faciem & in hac mentum præſertim plane obducentibus, quibus ſcalpendo ſubinde remotis ſanguis ſuccedens faciem non parum defœdavit, unde meum conſilium deſideratum fuit; ubi ego quidem præſertim â dentitione hoc malum derivans, uti puero plane non nociturum fidenter edixi, ita ne externa adhiberentur remedia, ſerio commendavi, præſcripſi vero Eſſ. Purif. Clauderi, quam aliis quin hujus ipſius fratri in hoc malo non parum profuiſſe memini, at ut hic vel guttam ejusdem deglutiiſſet, nullo modo commoveri potuit, quia, quod citius clamoribus convulſiones concitaſſet, quam hanc Eſſentiam ſumſiſſet, nobiliſſima ejusdem Mater ſerio teſtata fuit; unde cum & alia medicamenta quævis reſpueret, ut Rotulas purgantes præſcripſerim, permotus fui, quas ex Diagr. ♆rat. gr. iv. & Rad Jal. reſ. n gr. iij. c. Sacch. in Aq. fl. Sambuc. ſol. q. s. paratas numero ſeptem lubens deglutiit, cumque aliquoties alvum ſolviſſent, paulo poſt Dei gratia integre convaluit: adeo quidem purgantia plerumque in his malis conducunt, ut non raro ſola juviſſe, vel alii quoque teſtentur.

DCXXXVI.

Paralyſis ſolis externis medicamentis non cedens.

COnſuluit me haud ita pridem Mulier quædam, quadraginta & quod excurrit annorum, quæ ante annum fere in Paralyſin incidit, qua dextrum ejusdem latus ſic motu deſtitui cœpit, ut nec pedi inſiſtere, nec manu vel quicquam perficere valuerit, adhibuit hæc hinc varia & plura remedia, non tam interna vero quam externa, unde licet ſæpiſſime partem affectam vel pretioſiſſimis liquoribus perfricarit, licet varia fomenta applicarit, nil quicquam tamen vel ſane parum admodum ſe iisdem profeciſſe, conqueſta fuit, cum ego eandem viſitaſſem, quod ego tamen minime miratus fui, quia interrogata qualibus medicamentis internis hactenus malo obviam iverit? jam ſat diu plane nullum ſe ſumſiſſe, reſpondit; quoniam enim malum hoc non tam externas quam internas agnoſcit cauſas, internis fere magis quam externis medicamentis opus habent, qui eodem corripiuntur, quin niſi utraque prudenter conjungantur, identidem multum agendo parum admodum proficies; ut ergo tum via ſpiritibus intercluſa aperiretur, tum hi, quantum quidem fieri

 poteſt

poteſt augerentur, Salis Volatilis Oleoſi Sylv. uſum eidem præſcripſi, & hunc juxta medicamenta externa ſedulo in uſum ducere eandem juſſi: mirum enim quantum hic liquor ſpiritibus in hoc malo edomando confert, modo diu continuetur, & modo conveniente in uſum ducatur; ubi ego quidem aliis Mixturis additum tantum non conferre, quam ſi ſeorſim & guttatim ſumatur, hactenus obſervavi; vas etiam in quo continetur, probe muniendum eſt, cum aliâs volatiles particulæ brevi avolent, in eo præſertim, qui diligenter & ſecundum artis regulas præparatus fuit, qui & omnino aliis eſt anteferendus.

DCXXXVII.

Veſicæ arthritico proficuæ.

VIr quidam Dei gratia hactenus ſanitate ſat integra gaviſus, quia vero ut tantum hoc bonum rite conſervet, non tam ſolicitus fuit, quam variis in diæta non ita exiguis erroribus eidem ſummas ſtruxit inſidias, tandem quidem particulis peregrinis in ſanguinis maſſa collectis eliminandis conſuetis viis ulterius non ſufficientibus, eæ in digitis exitum invenerunt, è quibus ſingulis fere annis ſeri ſalſi & tam acris, ut digitos eroſerit, non ita exiguam quantitatem profudit, & ſic, quamdiu quidem hoc ſic contigit, cetera Dei gratia ſat bene ſe habuit: at cum ante biennium fere, ſex vel ſeptem annis quinquagenario maior Uxorem elegantem duxiſſet, & hinc ſine dubio veneri nimium indulſiſſet, hic quoque ſeri exitus neſcio cur intercluderetur, doloribus arthriticis correptus fuit, quorum vehementia ipſum permovit, ut non ſolum cataplasma ſic ſat calidum pedi dolenti aliquoties impoſuerit, verum & Spiritum Vini Camphoratum hunc ipſum in finem & quidem cum calente Cataplasmate adhibuerit; unde ipſo nil minus cogitante veſicæ aliquot excitatæ fuerunt, quæ apertæ ſerum acerrimum fuderunt, dolor vero omnis ſic ceſſavit, ut niſi veſicæ impediviſſent, ſicut olim pedibus iterum uti potuiſſet; dum nempe ſerum ſalſum acre iterum exitum invenit, non potuere non dolores remittere, qui vero in aliis magis ſedem fixerunt, quam ut vel veſicatoriis propterea applicatis cederent.

DCXXXVIII.

Alaudarum eſum ſubſequens Aphonia.

AUrifabri cujusdam Uxor triginta annis major, habitus corporis plenioris & obeſa, cum maritus ejusdem duodecim alaudas jam deplumatas ſecum domum tuliſſet, earum aſſarum decem ſub noctem comedit, & vinum ſuperbibit, hincque nil minus, quam quod noxa quædam ſit metuenda, cogitavit, at minus quietam ſtatim noctem duxit, & pondus quoddam minus con-

fuetum in Ventriculo perſenſit, cui, cum de lecto ſurrexiſſet, juſculo occurrere ſategit, ſed nec poſt hujus eſum melius ſe habuit, quin difficilius quoque reſpirare cœpit, dolorqne ſic ſat vehemens dorſum atque brachia occupavit, & deliquio animi etiam ſuperveniente, filiolam, quam in ulnis geſtabat, alii tradere & in lectum properare opus habuit, ubi ſicut omnem linguæ uſum amiſit, ut nec verbum quidem proferre potuerit, eoque ipſo adſtantes ſic perterruit, ut maritum abſentem & me celerrime vocaverint; ita ferme ſimul accedentes ipſam aliquantum ſe collegiſſe invenimus, & vox iterum ſic rediit, ut, quam male ſe habuerit, narrare nobis potuerit, cumque cetera non adeo male ſe haberet, nec pulſum vel minimum mutatum deprehenderem, alaudis in nimia copia, & quidem cum oſſiculis comeſtis hoc unicè tribuendum eſſe judicavi, & hinc ad conſumendum tam noxias reliquias Mixturam ex Aq. Menth. Elix. Vit. Matth. inc. El. Aperit. Clauder. lapid. ♋ pp. & Sir. Cort. Aur. conſtantem eidem præſcripſi, quæ ſicut aliis in ſimili caſu profuit, ita & huic profuturam nullus dubito: ſicuti vero jam in lineis medicis, quantum cuidam nocuerit alaudarum eſus, exemplo probavi, ita hoc commode eidem ſubnecti poterit, quam noxam qui evitare voluerit, tum in minori quantitate has aviculas comedat, tum oſſicula diligenter removeat, quibus inprimis hæc mala adſcribenda eſſe, ego quidem credo.

DCXXXIX.

Diarrhoeam ſponte ceſſantem ſequentia mala.

MErcatoris cujusdam non infimi nuper beate defuncti filius quatuordecim annorum, cum hoſpitium mutaſſet, & Præceptori cuidam traditus fuiſſet, vix per aliquot dies apud hunc degens torminibus primo hinc diarrhoea correptus fuit, quæ tamen, utut nullum eidem oppoſitum fuerit medicamentum, ſponte ceſſavit, non tamen ſic & tormina, quibus tum laſſitudo minus conſueta, tum capitis dolor ſe junxêre, quod quidem hoſpitem ejusdem novum permovit, ut hoc matri ejusdem detexerit, quæ me vocare juſſit; ubi accedens de dictis quidem malis querentem, at cum pulſu minime mutato inveni, unde ab humoribus vitioſis in motu conſtitutis quidem, ſed exitum non invenientibus illa derivans purgans eidem præſcripſi, quod binas ſolum ſedes movit, cumque ſumto licet Elixirio Aperit. Clauderi nihilominus tertio die de anxietate quadam conquereretur, me abſente Pharmacopœum conſuluerunt, qui neſcio qualem pulverem ſuggeſſit, quo ſumto, quicquid mali reſtiterat, Dei gratia ceſſavit, ut adeo poſtmodum ego quoque iterum accedens, alio medicamento quam Elixirii memorati continuatione ipſum vix opus habere judicaverim: Colliguntur nempe in corpore humano ſubinde humores peccantes in majori quantitate, quam quod conſueto modo omnes ex-

 cerne-

cernerentur, unde tandem tum copia ſua, tum partibus corruptis partem in qua continentur, ſtimulant, nec parum juvat hominem, ſi quantum ſufficit, evacuentur, ſi vero quacunque de cauſa diutius quam par eſt, in corpore detineantur, non poſſunt non varias movere turbas, hincque ſemper ê re ægrorum magis eſt, quando ejuscemodi alvi fluxus in principio præſertim magis promoventur, quam inhibentur.

DCXL.

Mercurius in decocto ſalivationem movens.

VIr quidam nobiliſſimus, ætate jam provectus, & cetera quidem Dei gratia ſanitate ſic ſat integra fruens, quoniam tamen per bene longum temporis ſpatium dolore iſchiadico per totum pedem ſiniſtrum ſe extendente multum vexatus fuit, varia huic dolori oppoſuit remedia, quæ empirici præſertim, quorum plures conſuluit, ſuggeſſerunt, utut nimirum veſicæ excitatæ fuerint, pedique quamplurima tum unguenta tum emplaſtra tum fomenta applicarit, tantum tamen abeſt, ut quibusvis hiſce vel minimum profeciſſet, ut potius, cum prius adhuc incedere ſic ſat commode potuiſſet, jam pedum uſu fere penitus deſtituatur, unde tandem & meo conſilio uti cœpit, & ego hodie ſic ſat celebre illud decoctum ex Mercurio vivo & Antimon. crudo ac Radic. Salſæparill. paratum illi commendavi, quo quidem per integrum & quod excurrit menſem absque ullo incommodo uſus fuit, quin aliquoties levamen quoddam ſe inde perſentire, credidit, at quoniam tantum tamen quantum quidem optavit, dolorem non ſuſtulit, tandem & ab hujus uſu deſtitit, cum præſertim mercurius tandem gingivis & dentibus inſidiari cœpiſſet, dum illis ſalivam eliciebat, quam horum dolor comitabatur: Ex quo cum conſtet, quocunque etiam modo adhibitum mercurium tandem ſalivam movere, ut, niſi movere eandem velimus, cautos nos in ejusdem uſu geramus, docemur.

DCXLI.

Secundinæ poſt abortum arctius utero adhærentes.

CUm olim Illuſtriſſima quædam Matrona, varia cum quibus olim conflictata fuerat, mala mihi narraſſet, inter cetera mentionem etiam fecit abortus, quem aliquando, poſtquam quinque fere menſibus antea conceperit, fecerit, cum inde longe pejus ſe habuerit, quam quando fœtum tempore conſueto ediderit, inprimis enim ſecundinas tam pertinaciter utero adhæſiſſe, ut non niſi difficillime & cum inſigni ſanguinis deperditione ab eodem ſeparatæ fuerint; quod & pluribus aliis ſic contigiſſe ſicut illa tum ſubjecit, ita & ego memini, nec deeſt cauſa, cum in principio arctius cum utero conjunctæ

ſint

ſint ſecundinæ, quam ſub finem, ubi in pleriſque jam ſic ſunt comparatæ, ut facillime ſeparentur, nullum quippe ulterius uſum fœtui præſtantes, nec matri neceſſariæ; ut ergo in abortu diligens ſecundinarum geratur cura, omnino opus eſt, niſi enim in tempore excernantur, & mortem quibusdam intuliſſe, exemplis facile probari poſſet.

DCXLII.

Anſerina odontalgica.

IS, cui mercurium dentium quoque dolorem concitaſſe, modo retuli, interrogatus, quo remedio hunc ipſum dolorem abegerit, reſpondit, ſe aliud non adhibuiſſe, quam anſerinam herbam, hac enim genis impoſita illum illico ceſſaſſe, & tumorem ſucceſſiſſe; quo nempe ſuccedente plerumque dentium dolor niſi ceſſat, non parum imminuitur: Refertur vero herba hæc inter travmaticas, & cum Schröderus quoque illam in his ipſis doloribus commendet, tantumque non ubique ſit ad manus, ut ejusdem memoria uni alterive refricetur, hæc communico.

DCXLIII.

Febris ⊖ Vol. Ol. S. curata.

MErcatoris cujusdam filiolus, quinque annorum, cui unico tum Parentes tum ancillæ præſertim adſtantes quævis indulgebant, quia hinc identidem non parum cereviſiæ & quidem ejus, quæ fuſcæ nomine venit, atque generoſior exiſtit, ingeſſit, aliquoties jam morbis correptus fuit, inprimisque nuper ſic ſat acute febricitare cœpit, unde ego in conſilium vocatus fui, quoniam vero â Ventriculo præſertim derivandam eſſe hanc febrim judicavi, alvo ſponte jam fere nimium aperta, & Rhabarbaro â matre exhibito, Elix Aper. Clauderi ipſi profuturum ſperavi, & hujus decem guttas ter de die puero exhibere juſſi; ſeu vero jam medicamentum non ſuffecerit, ſeu cereviſia, quam nihilominus continuavit, in cauſa extiterit, malum elixirio hoc bis ſumto non parvum ſumſit incrementum, unde denuo vocatus Potiunculam Cordialem eidem præſcripſi, & ſimul cereviſia plane interdixi, huicque decoctum C. C. ſubſtituere juſſi, quod quidem lubens bibit, at Potiunculam vix ac ne vix quidem deglutiit, unde jam febre inſtante, de medicamento guttatim eidem exhibendo ſolicitus fui, & quoniam Tincturam Bezoarticam ipſum non ſumere, retulerunt, ⊖ Vol. Ol. Sylv. ad gtt. vj. l. vij. poſt ſingulas ſex horas exhibendum præſcripſi, quod cum vix ter quaterve ſumſiſſet, non ſolum nimius calor Dei gratia ſe remiſit, ſed & reliqua ſymptomata plane ceſſarunt: ſicuti autem hic liquor puerulis ſic ſat commode exhibetur, ita pluribus in aliis etiam malis egregie eundem profuiſſe experientia aliquoties me docuit.

DCXLIV.

Hernioſos pecunia emungentes impoſtores.

UNo eodemque die vocatus fui ad duos hernioſos ætate jam provectos, qui uti non tam auxilium verum & certum quæſiverunt, ita ut inprimis de ſubligaculo commodo ſint ſoliciti, eosdem olim jam monueram, quod ambo quidem præſtiterunt, at in manus inciderunt Magiſtrorum, qui non tam pecunia, quam juſte pro parando tali ſubligaculo petere potuiſſent, contenti; quam ut plus lucrentur, avidi, alias etiam curas ſuaſerunt; ubi alter quidem antequam egregia ſua ſcilicet medicamenta attulit, ut pro iis coemendis aliquot floreni ſolvantur, poſtulavit, pro quibus quatuor ſolutis oleum & emplaſtrum attulit, quæ vel totidem baccis, facillime ſe alibi comparare potuiſſe, nullus dubitavit ægrotus; at vel diligentiſſime adhibita nec minimum tamen profuerunt, unde eum jam non tam pro medico quam crumenimulga optime habuit; at hoc nomen magis adhuc meruit, qui alterum tractavit, huic enim tum medicum quendam illuſtrem, tum exercitatiſſimum Chirurgum nominavit, & hos per litteras ſe conſulturum promiſit, aliquotque hebdomadis elapſis medicamenta quædam attulit, quæ inſignem illum medicum miſiſſe, finxit, quæ vero hic niſi me prius conſulto in uſum ducere detrectavit, & ego hac de cauſa vocatus vel ex litteris adjectis tanti viri medicamenta non eſſe, perſpicere potui, cum non ſolum cum litteris ejusdem aliis plane non convenerint, ſed & vel vitiis pluribus orthographicis ab eo plane alienis quaſi ſcatuerint; pro medicamentis ipſis vero, Tragæa nempe, Eſſ. forſan Cort. Aurant., Spir. externe ilinendo, ſale in hoc diſſolvendo, pulvere hinc inſpergendo, & emplaſtro poſtmodum imponendo, quæ in pharmacopolio tribus florenis comparari facile potuiſſent, viginti octo florenos ipſum petere audacter affirmavit, quod vel ſolum dolum detexit, unde una cum ipſo me de hoc minime dubitare edixi, hincque non tam medicamenta hæc in uſum ducere, quam ulterius de ſubligaculo ſolicitum eum eſſe juſſi: ſic vero multi ſunt, qui non tam artem curandi vel minimum morbum, quam fraudibus circumveniendi ægrotos didicerunt, quibus tamen proh dolor! plus fidei adhibetur, quam vel doctiſſimis medicis, in quos vel paucos erogare nummos difficilius quibusdam videtur, quam talibus impoſtoribus plures ſolvere florenos, riſu hinc potius quam commiſeratione, ſi tam miſere decipiuntur, digni.

DCXLV.

Alaudarum oſſicula cum Urina excreta.

ALaudas non quosvis eodem ferre modo in egregio quodam conſeſſu quidem affirmaverat, & hoc primarius una præſens medicus ſequenti hiſtoria confirmavit: ſe nempe aliquando ad matronam quandam vocatum fuiſſe, alias doloribus nephriticis obnoxiam, quæ cum & tum doloribus in regione renum præſertim moleſtis correpta fuiſſet, hincque cum urina ſolida quoque corpuſcula excreviſſet, hæc indubitato pro calculis habuerit, & hinc ſibi monſtraverit, ubi, cum â calculis conſuetis multum differre notaverit, hincque accuratius inſpexerit, oſſicula eſſe, ſe inveniſſe, hincque, quia hæc eo tempore, quo plurimæ capiantur alaudæ, contigerint, num quasdam forſan comederit? ſe interrogaviſſe, quod cum illa affirmarit, ſe in ſententia ſua magis adhuc confirmatum fuiſſe, cum tum ex aliis hiſtoriis conſtet, majora quoque hiſce oſſiculis corpora interdum cum urina excreta fuiſſe, tam hæc ipſa ſubinde in ventriculo non conſumi, ſed cum humoribus aliquamdiu circulari, ex ſenſu circa ſcapulas non paucis moleſto conſtet: Quæ ſicuti nos in judicio de iis, quæ per urinam excernuntur merito cautos & attentos reddere debent, ita confirmant, quæ nuper admodum de non ſemper ita tuta alaudarum comeſtione attuli, nec pro nimium ſolicitis erunt habendi, qui omnibus oſſiculis rejectis non niſi carne alaudarum veſcuntur.

DCXLVI.

Cingulum antinephriticum carum.

NArraveram, quæ mum de emunctis pecunia hernioſis communicavi, coram quibusdam honoratiſſimis meis Dominis Collegis, quibus illico unus ex illis ſequentia ſubjecit; legiſſe nempe ſe ex quadam Scheda, quæ typis expreſſa quibusdam tradita fuerit, quod Aureliani habitet artifex qui cingulum parare noverit, quod corpori circumdatum renum calculum non ſolum reſolvat, verum & tantum non inſenſibiliter expellat, pro tali vero cingulo ter centum florenos eſſe ſolvendos, quot & binos noſtratium pro eodem expendiſſe, alibi relatum fuerit, qui vero ſine dubio fructum, quem ſperarunt, exinde non percipientes, hoc ſedulo ſubticeant: Sic vero mundus vult decipi, & in hoc plures, qui vel inter prudentiores aliâs numerari merentur, qui non tam vel doctiſſimis medicis, de morbis ſuis ex fundamento diſſerentibus, quam ejuscemodi impoſtoribus aures præbent, qui & quo majori pretio remedia ſua divendunt, eo avidiores plerumque emtores reddunt, quibus nummi nunquam magis abundant, quam quando in talia ſunt erogandi, ſumme illorum tenaces, quando medico genuino vel parvum ſoſtrum eſt ſolvendum.

DCXLVII.

Genæ tumor brevi diſcuſſus.

SEnatoris cujusdam filiolus duorum annorum, cum primum vitæ annum tam variis ſubjectus fuiſſet morbis, ut eum diu ſuperfuturum, nunquam ſperaverint Parentes, hoc tamen elapſo Dei gratia tam bene ſe habere cœpit, ut optima quæque ſperare cœperint, cum non ſolum omnem maciem exuerit, & pinguis evaſerit; verum & pedibus inſiſtere, quin tandem incedere cœperit; accidit vero, quod in prædium profectis Parentibus, puerulus hic curæ ancillæ commiſſus male ſe habere cœpit, dum non ſolum ab omni fere cibo abhorruit; & difficilius reſpiravit; quin magis ac aliâs toto corpore incaluit, verum & gena ſiniſtra ſic intumuit, ut oculum hujus lateris aperire non potuerit, unde ancilla meum conſilium anxie deſideravit; ſicuti vero vel tumor prodidit; â dentitione præſertim proficiſci memorata mala; ita ut humores inde in primas vias redundantes evacuarentur, lene purgans eidem præſcripſi, ſimul vero ut in motu ſuo impediti huic reſtituerentur, Sal. Vol. Oleoſ. S. quatuor guttas mane & veſperi exhibere; & parti affectæ Flor Sambuci imponere juſſi; ubi utut ut purgans ſumſiſſet puerulus nullo modo perſuaderi potuerit, quia tamen liquorem volatilem diligenter ſumſit; nec impoſitos flores removit, ſequenti ſtatim die non ſolum reliqua mala remiſerunt; ſed & tumor fere penitus diſparuit; unde non niſi hæc medicamenta continuare juſſi: Egregie nempe hic liquor pueris quoque prodeſt, quorum lympham plerumque viſcidiorem incidit, attenuat, & corrigit, hincque ad motum ſuum continuandum aptiorem reddit, unde ſæpius eundem iisdem præſcribere ſoleo.

DCXLVIII.

Purgans vix alvum movens juvans.

ALius quidam puerulus, ejusdem fere cum hoc ætatis itidem â dentitione calore febrili correptus, quia hic eundem aliâs alacrem & ſemper fere curſitantem ſic proſtravit, ut extra lectum degere vix potuerit, Matrem ſuam hinc permovit, ut me propterea vocaverit; & ego accedens vel ex rubore unam ſolum Genarum occupante judicare potui, dentitionem præſertim eſſe, quæ has moleſtias puerulo creet; cum vero ſimul relatum fuiſſet, puerum fere cibis exſatiari prius non potuiſſe, exinde non potuiſſe non in primis viis varia excrementa colligi, & hinc purgante omnino opus eſſe judicavi; & ex Sirup. Roſ. ſol. aur. ℥jß. pulv. Antim. diaphor. & Rad. Jal. reſ. n. aa gr. vij. Diagr. ♀. gr. iij. conſtantem Mixturam eidem præſcripſi, qua ſumta vix ſemel quidem nec in ita magna quantitate alvum depoſuit, nihilominus vero Dei gratia tam bene ſe habuit; ut ſanis denuo annumerari potuerit: ex quo iterum conſtat,

quod

quod purgantia, utut ſæpiuſcule humores in non ita magna copia exturbent, eosdem tamen corrigendo non paucis proſint, & hinc vel nihil evacuantia fruſtra tamen exhibita nominari non mereantur: Pueris autem illa inprimis non absque fructu exhibentur, quorum morbi longe facilius iisdem præmiſſis, quin & ſubinde continuatis curantur, quam ſi nimium ab illis abhorreamus: Sic ſat bene vero fortiora etiam purgantia ferunt pueri, nec facile in iisdem hypercatharſin excitabunt, ſeu jam acidum abundans in his ſubjectis purgantium vim infringat, ſeu lymphæ copia illa nimium diluat, ſeu viſcidis hujus particulis involvantur, & ſic, ſeu alio quoque modo in operatione ſua impediantur, unde, niſi per certa ſigna conſtat, eſſe facile mobiles pueros, quibus purgans præſcribis, niſi timiditatem nimiam depoſueris, ſæpiuſcule ſcopum tuum vix attinges.

DCXLIX.

Capitis dolor cum delirio.

VIr quidam triginta annis major ſero acri & viſcido abundans, licet rarius contra diætæ regulas peccet, ſubinde tamen aut catarrhis aut & alvi fluxui obnoxius vivit, quibus tamen malis ſi in principio ſtatim obviam eat, raro ea per biduum inſtant, ſed plerumque intra viginti quatuor horas ceſſant; cum nuper per integram fere noctem ob capitis intenſiores dolores ſomnum capere non potuiſſet, nihilominus ſummo mane de lecto ſurrexit, & labores conſuetos aggreſſus eſt, ſub quibus tamen, cum præſertim eosdem non niſi mediantibus prunis ardentibus perficere potuiſſet, dolores capitis tantum ſumſere incrementum, ut ſub veſperam, non ſumto prius cibo in lectum ſe conferre opus habuerit, quod quidem Uxorem ejusdem ſperantem malum ſic mitigatum iri, & ſequenti mane ſanum iterum lectum relicturum maritum, non adeo perterruit, at cum paulo poſt eundem viſitaſſet, & non ſolum de inſtante capitis dolore ac ſuperveniente frigore conquerentem, ſed & delira quædam verba proferentem audiviſſet, ſumme metuere cœpit, ne gravius ſubſit malum, & hinc non ſolum Parentibus ejusdem, quæ hactenus acta fuerint, indicavit, verum & me nocte jam ingruente vocavit; ego vero ſicut minime delirantem ita nec febricitantem eundem inveni, hincque meliora ſperare Uxorem jubens, Potiunculam nihilominus ex Aq. Scorzoner. Flor. Sambuc. Antim. Diaphoret. Tinct. Bezoart. Cinnab. nat. pp. & Sir. Granator. conſtantem eidem præſcripſi, qua ſumta Dei gratia ſtatim levamentum dolorum percepit, maneque me redeunte vix habuit de quo ulterius conquereretur; mala tamen recenſita una mecum prunis quidem ardentibus, at inprimis etiam potui ex Pomis Cydonior. quorum ſuccus jam expreſſus fuit, affuſa aqua & expreſſione denuo inſtituta parato adſcripſit, nec plane nil fermentantes in ejus-

cemodi recens expreſſis ſuccis particulæ contulere: Ut vero diutius ſanitate recuperata frueretur diſcedens ⊖ Vol. Oleoſ. Sylv. uſum eidem recommendavi.

DCL.

Vinum annuum ſine noxia bibitur.

CUm coram Viro quodam, qui in Ducatu Würtembergico habitaverat, mentio Vini ante annum ex uvis expreſſi injiceretur, numque ſalubre nominari mereatur? interrogaretur, is ſubjecit, ſe noſſe olim Medicum quendam in ſumma ſenectute conſtitutum, qui ſingulis annis vix expectare potuerit, donec Vinum feces depoſuerit, ſtatim enim poſtmodum illum illud bibere cœpiſſe, tantum vero abeſſe, ut inde vel minimum percepiſſet damnum, ut potius ſub ſanitate perpetuo integra extremam attigerit ſenectutem; plures vero in illis regionibus non tam vetus quam tale vinum pro potu ordinario eligere, conſtat, quos tamen modò modum ſervent, morbis propterea non magis eſſe obnoxios, quotidiana teſtatur experientia: & quid quæſo de iis dices, qui Vina Tirolenſia aut & Italica bibunt, quæ raro alia quam annua bibuntur, nec tamen propterea pro noxiis habentur: Ut adeo Vinum anno demum præterito natum, ſi præſertim & bonitate ſe commendet, vel præferendum ſit vetuſtiori acidiuſculo & minus ſpirituoſo, tutoque â medicis concedi poſſit.

DCLI.

Capitis dolor aeris inclementia exaſperatus.

VIr quidam Mercator, jam diu hernia laborans, & hinc variis ſubinde malis expoſitus, prout nempe aut inteſtina mediante cingulo aut in ſede ſua retineri potuerunt, aut & ex ea receſſerunt, etiam aer aut blando ſuo calore profuit, aut frigore & humiditate inteſtina irritavit, malis tamen hinc provenientibus paulatim ſic aſſuevit, ut iisdem tortus, medici conſilium vix ulterius petierit; at cum nuper mane quidem caput non ita bene ſe habuiſſet, & nihilominus per integrum diem corpus aeri frigido & humido expoſuiſſet, nec ſequenti die, dolore capitis licet inſtante domi ſe continuiſſet, inde hic tantum auctus fuit, ut eum ſub veſperam proſtraverit, nec accedente frigore minus conſueto, nullum prorſus metum injecerit, dum illa adhuc veſpera meum conſilium deſideravit; ubi cum pulſum minime mutatum inveniſſem, nec alia febris adeſſent indicia, ab humoribus craſſioribus vaſa capitis plus ſolito diſtendentibus dolorem hunc derivans, in his attenuandis me fruſtra operam non inſumturum ſperans, Potiunculam ex ⊖. Vol. Oleoſ. S. & Specif. Ceph. D. M. præcipue conſtantem bis ſumendam præſcripſi, quæ & Dei gratia ſic profuit, ut ſequenti die dolores capitis plane remiſiſſe, retulerit; Conque-

rebatur

rebatur vero nunc de iiſdem latus ſiniſtrum occupantibus, unde jam ſignis quibusdam abundantium etiam peccantium humorum præſentibus lene purgans eidem præſcripſi, ſicque curæ finem impoſui: Quanto cum fructu vero in hiſce caſibus volatilia exhibeantur, hæc cura confirmat.

DCLII.

Oculorum â conſuetudine diverſitas.

VIr quidam conſultiſſimus, quinquagenario major, cum nuper variis de rebus ſermones mecum miſceret, inter cetera de oculis ſuis retulit, quod hos diverſos plane habeat, & dextro quidem ea quæ remotiora ſint, ſic ſat bene â ſe invicem diſcernere, quo contra vix majuſculas etiam litteras legere poſſit, cui vero ſiniſter oculus ſic ſufficiat, ut ſi hunc conſpicilio juvare vellet, potius impediret, ut adeo in legendo vel ſcribendo occupatus ſoli dextro oculo admovere objecta opus habeat; ſe vero hoc mali conſuetudini unice adſcribere, ſæpius enim in Itineribus ſe conſtitutum, ad ea, quæ ê loginquo poſita fuerint perſpicienda ſemper oculum dextrum ſiniſtro clauſo adhibuiſſe, & hunc, quando propinquiora tractarit fere ſolum occupatum fuiſſe, & hinc ne olim viſu multum ſit laboraturus, ſe metuere; ubi vero ego memor Illius Viri Illuſtris, cujus oculos cum hiſce fere convenientes primo Linearum Medicarum anno deſcripſi, ibi memorata recenſui, cumque hinc ipſe retuliſſet, ſe optime illum noſſe, & recordari, quod in ultima adhuc ſenectute & vel morti vicinus parvas quoque litteras diſcernere potuerit, quin ſimilia ſperare poſſit, nullus dubitavi: ſic vero plures talem oculorum differentiam ſola conſuetudine conſciſcere ſibi poſſe, eſt probabile, meliusque omnino ſibi conſulunt, qui ambos oculos in varios adhibent uſus, nec uni ſoli vel propinquiora vel & remotiora committunt, ſique vel maxime interdum unum ſolum adhibere voluerint, jam hoc jam illo utuntur; non prorſus fruſtra tamen hanc olim ſcriptæ hiſtoriæ me hîc ſubjeciſſe, ſpero,

DCLIII.

Exanthemata retrocedentia ſequentia mala.

LAnionis cujusdam Uxor, cum exanthemata quidem rubra hinc inde in corpore notaſſet, cetera tamen bene ſe habens nihilominus macellum frequentavit, & ibi per totum diem carnem vendidit, domum ergo ſub veſperam rediens frigore primo corripitur tanto, ut toto inde corpore tremuerit, quod tamen tantum, quantum hoc excipiens calor eandem non perterruit, cum præſertim anxietas etiam cordis accederet, & omnia exanthemata diſparuiſſe notaret, prima itaque nocte duas ſorores ſuas ad me mittit, utque conſilium ſalubre ſuggeram, per has rogat, quæ ſimul urinam attuleſe non tam nimium

quam minus tinctam & crudam; ſi vero quantocyus particulæ ſanguinis peccantes ſpontaneo motu nuperrime ſeparatæ eidem nunc denuo junctæ, & hinc tantum ejusdem motum interturbantes, iterum expellerentur, inprimis ipſi profuturum judicans, Potiunculam ex Pulv. Pannon. r. & Tinct. Bezoart. præſertim conſtantem eidem præſcripſi, hancque ſtatim ſumere jubens viſitationem in craſtinum eidem promiſi; at cum vel hac de cauſa ſequenti die citius domo exire mecum conſtituiſſem, jamque eandem viſitare voluiſſem, mittit ancillam, quæ munuſculum affert, & heram convaluiſſe, nec habere, de quo ulterius queratur, ſicque, ut eam viſitem, non opus eſſe, refert: Sicuti vero hæc ſic contigêre, quia nulla omnino ſubfuit malignitas, & pluries ſic contigiſſe, contigereque poſſe, nullum omnino eſt dubium, melius tamen omnino ſanitati ſuæ conſulunt, qui talia exanthemata in corpore notantes domi manent, & donec iterum evaneſcunt, aeris injuriis corpus non exponunt, vel inſciis enim nobis malignitas quædam ſubeſſe poteſt, quæ in principio neglecta, negligentiam hanc graviſſimis compenſat malis.

DCLIV.

Pharmacopoei error.

PRæſcripſeram ampliſſimo cuidam Viro, quia de cruditate Ventriculi identidem moleſta conquerebatur, ſimulque catarrhis ſæpius erat obnoxius, Specif. Cach. Ludov. ℈j. cum grano uno Extr. Ligni aloetici, quotidie ſumendum, qui & Dei gratia tantum eidem profuit, ut ſex doſibus primo præſcriptis abſumtis tot alias denuo parari curaverit, dum vero primam ſumſit, tam amaram eandem obſervat, ut ſumtæ ejusdem in ore diu quoddam indicium ſuperfuerit, quod tamen bili forſan peccanti adſcripſit, hincque ſequenti quoque die novam hujus pulveris doſin deglutiit, at quia nunc adhuc magis moleſta fuit amarities, rem per Uxorem ad me detulit; & ego pulverem talem deguſtavi, eumque tam amarum inveni, ut non quidem ligni ſed ſucci Aloes extractum huic additum fuiſſe, facile judicare potuerim, qua in re poſtmodum & ipſe Pharmacopœus mecum conſenſit, atque errorem fateri coactus fuit; qui utut nullam intulerit noxam, quam multi tamen in officinis pharmacevticis committantur errores iterum confirmat, nunquam itaque nimius poterit eſſe medicus, in inſpiciendis & interdum deguſtandis quoque â ſe præſcriptîs medicamentis, ut erroribus in tempore detectis eo melius obviam ire quin corrigere eosdem poſſit: duos vero diverſos miniſtros hos pulveres miſcuiſſe, conſtitit, & hinc forſan ſat commode derivanda eſt frequens illa querela, quod medicamenta iterata raro cum eo, quod primo præſcriptum fuerat, conveniant.

DCLV.

Phthiſis ſpem & metum falſo injiciens.

JUvenis quidam quindecim annorum, longioris ſtaturæ & indolis ſic ſat bonæ, at unicus patris filius, & hinc totus quaſi ſibi relictus, pravisque cupiditatibus ſicut in hac ætate decet, imperare, â nemine doctus, non quidem alia vitia ſectatus fuit, at potus nimium ſæpiuſcule ingurgitavit, adeo ut aliquoties vel pluſculæ menſuræ eidem non ſuffecerint, ad ſitim forſan imaginariam vel unico die extinguendam; ſicuti vero hoc non potuit non viſcera incommodare, & in operibus ſuis impedire, ita tandem pulmoni præſertim inſidiari cœperunt tam affatim hauſti liquores, & hinc corrupti humores, unde tuſſi correptus fuit, quem comitans febris non potuit non exulceratæ hujus partis ſuſpicionem injicere, licetque medicus tum conſultus remediis præſcriptis tantum profecerit, ut febrim ceſſaſſe crediderit, quoniam tamen tuſſis ſemper inſtitit, propterea carnificem quoque conſuluit Pater; qui vero tantum abeſt, ut vel minimum ægroto levamen attuliſſet, ut potius malum indies incrementum ſumſerit, dum præſertim non ſolum cereviſiam pro potu ordinario conceſſit; ſed & cetera gulæ pro lubitu indulgere ægrotum permiſit, non ſolum enim tuſſis indies magis moleſta extitit, verum tandem ſanguinis etiam non adeo parvam quantitatem eadem rejecit; quod Patrem adeo perterruit, ut mortem inſtare nullus dubitaverit, unde & quæ ad mortem beatam neceſſaria credidit; eidem ſubminiſtrari curavit, cum inprimis medicus vicinus, non ignarus quem prius conſuluerit, conſilia ſuggerere detrectaret: Ad me itaque ventum fuit, cumque carnificis nec verbo quidem meminiſſet, ægrotum ad ejusdem petitum viſitavi, quem quidem ſic ſat graviter decumbentem, non tamen morti tam vicinum, ac Pater credebat, inveni, & quoniam retulerat, olim ſe quaſi pondus quoddam ſe hinc inde movens circa præcordia percepiſſe, hocque jam excreto ſanguine ulterius ſe non notare (de erroribus antegreſſis altum ſilentium fuit,) illum hactenus ſemper non tam pus quam pituitam tuſſi rejeciſſe, calor inſuper p. n. ſic ſe remittebat, ut eum penitus extinctum crediderit æger, potus etiam quem ex decocto C.C.&Sir. ê Roſ.ſicc parari curaveram, tam bene conferret, ut alium ab illo tempore non deſiderarit, inde commotus fui, ut judicium de eventu aliquamdiu ſuſpenderim; at cum poſtmodum ſputum collectum non poſſem non pro pure habere, & quotidie errores novos qua cibum committeret æger, dum non ſolum eum in nimia quantitate ingerebat, ſed & coctu difficilis ſubinde eidem ſuppeditabatur, quam ſerio quoque, hæc non poſſe non ſumme nocere, ſæpiuſcule monui, tandem pro deſperato eſſe habeudum ipſemet edixi, indeque dimiſſus fui; at vix elapſis tribus hebdomadis vitam cum morte commutavit, qui forſan ſervari potuiſſet,

ſet, ſi non tam in medicamentis quam ſimul & diæta opem quæſiviſſet, qua non ſervata vix unquam ſic conſtitutus ſervabitur: ne vero præcipites ſimus in prædicenda morte phthiſicorum, hæc quoque obſervatio nos doceat, cum hic juvenis à Patre jam pro morituro habitus per ſeptem fere hebdomadas vitam adhuc produxerit.

DCLVI.

Calculi porcini Amnion perforantes.

DE calculis illis, quos Cl. Valentinum deſcribere, nuper demum memini, cum inter doctiſſimos quosdam Viros in præſentia cujusdam Pharmacopœi mentio fieret, & nonnemo retuliſſet, celeberrimum Auctorem ſtatuere, quod ex Indicæ illius hiſtricis veſicula fellea collectis lapidibus, ii, qui in porcis domeſticis mactatis ſubinde inveniuntur, & itidem ê veſicula fellea eorundem eximuntur, commode ſubſtitui poſſint, is, cum non ita diu poſt hi ipſi in ejusdem domo conveniſſent, tales calculos iisdem monſtravit, non multum ab illis, qui in homine interdum reperiuntur differentes, læves tactu & angulis inſtructos, nec ita magnos; de his vero ſimul narravit, quod olim illos juxta membranas amnii nomine venientes, quarum aliquot collegerit, ſervaverit, & has inde hinc inde perforatas poſtmodum invênerit, unde jam calculos ſeorſim ſervet, ab integris adhuc membranis ſeparatos, qualem membranam ſic ſat annoſam itidem præſentibus monſtravit; licet vero nonnulli interſeruerint, forſan â vermibus perforatas fuiſſe membranas illas, horum tamen nec minimum quidem indicium ſe notaſſe, ſerio teſtabatur; licet, quomodo hoc calculi hi præſtare potuerint, non ita facile pateat, ut tamen alii, an revera talem vim poſſideant? inquirant, & quicquid detexerint, ad augendam & horum calculorum hiſtoriam, communicent, hæc producere volui,

DCLVII.

Uromantæ celebres.

Empiricorum coram quodam, qui olim Pharmacopœum egerat, fiebat mentio, & is ſequentia referebat; quod nempe in Ducatu Würtenbergico noverit ruſticum, qui brevi temporis ſpatio tantum acquiſiverit nomen, ut vix omnibus conſilia medica ab eodem petentibus ſuffecerit, cum vero poſtmodum accuratius in ejusdem artes inquiſitum fuerit, conſtitiſſe quod diabolum magiſtrum habuerit, unde &, utut forſan uni alterive conſilia ſalubria ſuggeſſerit, plures tamen orci faucibus traditi fuerint: ſub illud ipſum vero tempus nomen famoſi empirici quoque acquiſiviſſe in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutum Virum, quem & medici quidam, hoc nomine ſane vix digni conſulue-

ſuluerint, qui ex urina vel vix inſpecta, quævis prædicere potuerit, quæ alii non niſi pluribus interrogationibbs ab ægrotis expiſcari queant quod quidem ſicuti Illuſtris quidam medicus fieri minime poſſe ſtatuerit, ita & ego hujus ſententiæ me accedere, ſubjeci, cum, quam fallax ſit ex urina judicium, toties jam experientia me docuerit, quod & ex pluribus â me hinc inde narratis hiſtoriis patet; is tamen, ſciri multum ex urina poſſe, inde defendere voluit, quod olim Medicum quendam doctiſſimum, juxtaque & pium noverit, quem uti plurimi Magnates conſuluerint, ita inprimis ê vulgo quoque multi urina allata de morbis ſuis interrogaverint; hunc vero ſæpius, abſentibus etiam iis, qui urinam attulerunt, & referre plura potuiſſe, & inſpecta ſola urina formulas præſcripſiſſe, quarum plures ipſe paraverit; quod quomodo fieri potuerit, me ignorare fatebar, cum præſertim, quod de Viri & mihi noti ingenuitate vel minimum dubitarem, non habeam, tutiora tamen, & in quibusvis morbis nullam noxam inferentia eum præſcripſiſſe ariolor, ut ſaltem neminem absque conſilio dimittat; alterum vero egregium fuiſſe impoſtorem nullus dubito.

DCLVIII.

Rabidorum animalium morſus exitioſi.

Convenerant viſitationis officinarum Pharmacevticarum ergo, quotquot hic in collegium ſunt recepti Medici, ubi, cum forte fortuna rabiei morſum animalium hac labe infectorum ſubſequentis mentio fuiſſet facta, ſequentia notatu digna mihi ſunt viſa: quod nempe ante pluſculos menſes hîc loci male ſe habere cœperit puella quædam ſeptem fere annorum, & inprimis â quibusvis liquidis ſic abhorruerit, ut nec potum admiſerit, nec ullum medicamentum, ſub quacunque etiam forma præſcriptum fuerit, ſumſerit, unde &, cum haud ita diu ſic decubuiſſet, in mortis prædam ceſſerit, ubi cum in cauſam tantorum malorum accuratius inquiſitum fuerit, conſtitiſſe, quod ante ſeptem hebdomadas puellam felis momorderit, quam rabidam extitiſſe, vel ex hoc morſu patuerit: Sub illud ipſum tempus etiam Torneonem quendam male ſe habuiſſe, & inprimis de capitis dolore conqueſtum fuiſſe, quem neſcio cui cauſæ externæ tum adſcripſerit, medicus vero vocatus Venæſectione abigere tentarit, quæ cum parum profuiſſet, isque jamjam in præſcribendis aliis medicamentis fuiſſet occupatus, tantum furere incipit æger, ut vix coerceri potuerit, & haud ita diu poſt fruſtra quibuscunque tentatis, itidem mortis præda fuerit factus dumq; itidem ſedulo in cauſas antecedentes inquiritur, innoteſcit, quod canis rabidus etiam ante ſeptem fere hebdomadas ejusdem labia morſu læſerit: Sicuti vero hiſce quodam temporis ſpatio elapſo tam noxius fuit rabidorum animalium morſus, & plura non deſunt exempla eorum, in quibus longe diutius

poſt tam triſtes exſeruerunt vires, ita inventi quoque fuere, in quibus citius quam venenati ſint conſtitit, uti quidem Pharmacopœus adſtans ſequentia ſubjiciens hoc quoque confirmavit; Ante ſeſquiannum nempe fere haud procul â Praga in pago quodam nuptias celebraſſe Juvenem quendam ſaniſſimum cum ſponſa itidem integerrima gaudente ſanitate; contigiſſe vero, quod ipſum canis quidam parvus momorderit, quod quidem minus curaverit, & hinc nihilominus hilarem ſe præbuerit, choreas duxerit, atque tandem cum ſponſa cubitum iverit, ubi demum tanta rabie correptus fuerit, ut hanc aggredi coeperit, & mammas atque totum ejusdem pectus dentibus ſuis dilacerarit, quod quidem triſtiſſimum ſpectaculum, cum diutius ac par erat ipſum in cubiculo ſe detinere, amicis paruerit, vi illo aperto, oculis expoſitum fuit, is nempe cruentis manibus oreque poſt fores ſtans, infelix vero ſponſa jam vita privata in lecto jacens: ubi rabioſus ſtatim quidem unum etiam ingredientinm aggredi voluerit, at impeditus à reliquis fuerit, & cuſtoditus eodem adhuc die itidem vitam cum morte commutaverit: Et fere ejuscemodi quid prope Altorfium cum ſtudiis operam dederit, contigiſſe, unus honoratiſſimorum Dominorum Collegarum ſubjecit, ubi tamen ſponſus poſt talem morſum male ſe habens non tam cum ſponſa in lectum ſe contulerit, quam ſeorſim decubuerit, fruſtraque adhibitis quibusvis remediis ſequenti die occubuerit; utut hic canis non tam rabidus extiterit, quam pede ſponſi preſſus ad iram commotus fuerit; Sine dubio vero hiſce hi morſus tam brevi exitioſi fuerunt, quia ſtatim poſt illos, tum vini nimium ingeſſerunt, tum à chorea quoque & amore magis ac aliâs incaluerunt, unde venenum citius vim ſuam exſeruit; quo vero modo tantas hi morſus excitent tragœdias, me ſic, ut vel mihi ipſi ſatisfacerem, explicare non poſſe, lubens fateor.

DCLIX.

Arthritis in Ventriculum translata.

HOſpitis cujusdam Vidua ſexagenaria, & ſæpius iræ frena laxans, inde paulatim arthritidem contraxit, quod quidem malum, ſicut retulit, ſic ſat patienter tulit, nec ullum doloribus remedium oppoſuit, quam quod iisdem furentibus Emplaſtrum de Spermate Ranarum parti dolenti impoſuit, quod quidem dolores hactenus deliniit, nunquam tamen ſic ſuſtulit, ut cauſam retroceſſiſſe & interiora occupaſſe, credere potuiſſet; accidit autem nuper, quod doloribus detenta à propinqua cognatione conjunctis quibusdam ad iram commota fuit, unde tantum quidem abeſt, ut dolores vel minimum aucti fuiſſent, ut potius tantum ſe remiſerint, ut jam per plures menſes tantum ab iisdem levamen non notaverit; Verum enim vero cauſam non tam correctam aut expulſam fuiſſe, quam locum mutaſſe paulo poſt conſtitit, ſequente

quente nempe tam inſigni Cardialgia, ut vix reſpirare potuerit, & mortem jamjam inſtare nulla dubitaverit; unde &, ut illico ſe viſitem, eo magis inſtanter petiit, & me petito ſatisfaciente fere non tam de malo urgente conqueſta fuit, quam precibus pluribus fuſis ad mortem ſe præparavit; at cum ego pulſu explorato morti tam vicinam ipſam non inveniſſem, ut difficili inprimis reſpirationi, quam maxime accuſabat, obviam irem, ⊖. Vol. Ol. Sylv. cum convenienti quadam mixtura præſcripſi, & bono animo eandem eſſe metumque â morte deponere juſſi, non tamen tantum profuit ipſi hoc remedium quantum quidem ſperaveram, unde jam, quæ modo de arthritide tam ſubito ceſſante retuli, narrare cœpit, & ego jam pulverem præcipitantem præſcripſi, quo itidem non ſufficiente, viribusque concedentibus purgante exturbandos in ventriculum delatos humores judicans, huic indicationi ſatisfaciens remedium ordinavi, quod Dei gratia præ reliquis ei profuit; nam cum aliquoties alvum ſubduxiſſet, ventriculi primo dolor ſedatus fuit, & hinc quoque facilius iterum reſpiravit, unde jam præſcripta Eſſ. Abietis eidem valedixi: Quod nempe ira in hac olim ad partes externas moverat, jam ſubito ori Ventriculi impegit, ſicutque exinde iterum conſtat, quod faciliime ſubinde moveatur materia arthritidem inferens, ita eadem ad internas partes delata, leniter purgantia ceteris permittentibus cum fructu exhiberi, hactenus experientia me docuit.

DCLX.

Aquæ Limacum falſo adſcripta Laus.

TRes ſunt interea & quod excurrit elapſi anni, quod ad puellam quandam vocatus fui Atrophia cum abdominis tumore laborantem, quam cum ſimul nec tuſſi laboraret, nec vel minimum febricitaret, â via humoribus nutriticiis intercepta & iisdem extra hanc ſtabulantibus derivans martiata præſertim commendavi, ſub quorum uſu Dei gratia indies melius ſe habuit, & tum venter paulatim ſubſedit; tum habitior quodammodo evaſit; at quoniam mater, neſcio quo commendante ſimul Aq. Limacum per aliquot dies eidem exhibuerat, huic ſoli convaleſcentiam filiæ adſcripſit, at falſo omnino, ſi enim vel maxime limaces quandam corpus alendi poſſideant vim, hæc tamen aquæ, quæ deſtillando elicitur, non communicatur, hinc tantum me judice abeſt, ut talis aqua â tali cauſa profectam præcipue atrophiam tollere poſſet, ut eam ſolam ego quidem nec admitterem quidem, at quando una cum ea, ea quæ requiruntur medicamenta, in uſum ducuntur, interdum concedo, ut ea quoque ſumatur, nec niſi hæc martiata ſumſiſſet, unquam convaluiſſet.

DCXLI.

Diarrhoeam intempeſtive inhibitam ſequentia mala.

RUſtici cujusdam Uxor triginta & quod excurrit annorum, cum gravida in diarrhoeam incidiſſet, neſcio quibus remediis, ſine dubio vero ſolis adſtringentibus hanc inhibuit, cum eam ceſſantem non ſolum obſtructio per quinque dies inſtans exceperit, verum & hæc comites quoque habuerit ructus continuo fere inſtantes, ventriculi dolorem, & calores præſertim valde moleſtos, viribus inſidiantes; unde cum hæc ad empiricum quendam delata fuiſſent, is conſilii inops ipſemet, ut ego conſular, ſuaſit, & quæ hactenus, qua hunc caſum contigerint, in ſchedula notata mihi transmiſit, cum urinâ, quæ inſpecta, abundare in corpore ægrotæ humores vitioſos ſic ſat prodidit, unde eo magis, ut alvus reſeretur, requiri, judicans, Spec. ex fol. Sen. & Mann. Cal. pro parando decocto Prunorum laxante præſcripſi, ſimul vero, ut & calori nimio obviam iretur, pulverem convenientem poſt ſingulas octo horas ſumendum, ut & Potum ex hordeo coquendum ordinavi; ſicuti vero hic empiricus omnino quandam laudem meretur, quod in caſibus vel paululum gravioribus ſtatim ad medicos amandat ægrotos ſuos, cum alii ſic ſat audacter vel quosvis graviſſimos caſus aggrediantur, & medicos non tam commendent, quam illorum famæ detrectent, ut ſcilicet alios calumniando ſuam famam augeant; ita niſi alvi fluxus decenti methodo tractentur, graviora eosdem inhibitos ſubinde ſubſequi mala, hæc obſervatio confirmat.

DCLXII.

Tuſſis in infante pertinaciſſima.

MErcatoris cujusdam filiolus recens natus, cum per tres vel quatuor hebdomadas Dei gratia ſic ſat bene ſe habuiſſet, licet non adeo multum clamarit, hoc tempore elapſo in pube tumorem contraxit, qui pro hernioſo habitus, & hinc ſubligaculo munitus fuit; ſicuti vero ab illo tempore crebrioribus ejulatibus infans hic, quod doloribus torqueatur, ſufficienter indicavit, ita, utut hiſce tum clyſteribus, tum variis aliis anodynis ut externis ita & internis diligenter obviam itum fuerit, nunquam tamen diu hi ceſſarunt, cum inprimis pertinaciſſima tuſſis ſuperveniſſet, quæ non ſolum dolores adauxit, ſed &, ut inteſtina in ſcrotum usque prolapſa fuerint, in cauſa fuit; huic etiam licet per tres, & quod excurrit hebdomadas, variæ Mixturæ, linctus, pulveres & quæ ſunt plura alia diligentiſſime oppoſita fuerint, tantum tamen abeſt, ut iisdem tuſſis vel minimum imminuta fuiſſet, ut potius ſemper miſerum puerulum magis divexarit, ut adeo nunquam fere ſomnum capere potuerit,

tuerit, unde & totus conſumtus fuit, tandemque vitam ſic ſat brevem finiit: in hoc, quia tuſſis adeo pertinaciter quibusvis remediis reſtitit, de pulmonibus affectis vel ſaltem coſtis anticus annexis cogitavi, quod apertio cadaveris detegere potuiſſet, quæ promiſſa quidem, at poſtmodum non fuit inſtituta.

DCLXIII.

Oleum Ovorum Eryſipelati medetur

ERyſipelatis forte fortuna coram Illuſtri quodam Sene mentio fiebat, & is referebat, ſe olim ſæpius huic malo obnoxium fuiſſe, in nullo alio remedio autem tam certum auxilium inveniſſe, quam in Oleo ovorum, quoties enim hoc parti affectæ illeverit, hinc non ſolum dolorem illico ſedatum fuiſſe, ſed & tumorem brevi poſt ſubſediſſe, quin ruborem etiam paulatim diſparuiſſe; idemque hoc ipſum remedium in Uxore ſua, quin & pluribus aliis præſtitiſſe, dum præſertim Illuſtrem quandam Virginem, quibusvis remediis prius fruſtra applicitis ſic juverit, ut vix illito oleo levamen perſenſerit, quæ prius ob dolorem inprimis moleſtum non unam ſolum noctem inſomnem duxerat: & aliquando Juvenem quendam ab Eryſipelate primum neglecto hincque perverſe tractato, in tantum diſcrimen conjectum, ut ſequenti die pedem eidem amputandum eſſe, nonnulli judicaverint, hoc oleo adhibito integram recuperaſſe ſanitatem; unde ab illo tempore ipſemet hic Vir hoc oleum per ſuos parari curat, & in aliis quoque externis affectibus cum fructu applicat; in quibus & ab aliis laudatur, uti ego quidem memini, Chirurgum quendam, in eſchara tum ſeparanda, tum dolore ab hac illato deliniendo illud ſæpius adhibere; quia tamen vel præcipui quidam Auctores Eryſipelatis mentionem non faciunt, modo allata communicatione digna judicavi.

DCLXIV.

Epilepticus Vorax.

ADſtiti ante aliquot annos Epileptico cuidam Viro, graviſſime hoc morbo torto, qui in principio præſertim, quoties vel poſt vehementiſſimos paroxyſmos vires aliquantum collegit, tantum appetitu valuit, ut nunquam fere ſat cibi, eidem ſuggeri potuerit, dum non ſolum omnem cibum in magna etiam quantitate appoſitum abſumſit, ſed & panis multum admodum ſuperingeſſit, vixque de menſa ſurgens novos cibos quæſivit, quin cum aliquando cum quibusdam ſociis in diverſorio tantum comediſſet, ut ipſemet conſenſerit, reliquias, pro aliis, quos adhuc expectabant, ſervandas eſſe, paulo poſt has ipſas ſepoſitas aggreſſus eſt, & ſic omnes conſumſit, ut illarum vix veſtigium ſuperfuerit; & quando Uxor non dubitans quin â medicis certior facta noxios eſſe

hos exceſſus, tantum quantum appetiit, eidem non ſuggeſſit, primo quidem triſtabatur, hinc vero apud alios cibos comparabat; & hæcce in memoriam mihi revocavit, bis terve jam laudatus Valentini, qui in diſſertationibus ſuis epiſtolicis narrat, quod in quodam epileptico cultro anatomico ſubjecto inſons quidem nec ulla labe infectum cerebrum invenerit, at ventriculus hinc inde ſic eroſus fuerit, ut niſi de morbo certo conſtitiſſet, Veneni ſuggeſti ſuſpicio ſuboriri potuiſſet; ſine dubio enim appetitus hic nimius tantæ humorum acredini ſuam originem debuit, quos vero in primis viis præſertim ſtabulari, cum tales obſervationes non parum confirment, eo magis quoque medicamenta humores tales corrigentia, ſi ſpecifica noſcamus, & hæc ſedulo continuentur, prodeſſe poſſe, nullum eſt dubium: at ſicuti in plura ſpecifica merito adhuc inquirimus, ita pauciſſimi quoque ſunt, qui tam diligenter, ac quidem tantum malum requirit, medicamenta continuant, quin non pauci appetitui ſuo perverſo potius indulgentes, eo ipſo humorum acredinem augent, & ſic ipſi poſtmodum ſunt in cauſa, ut morbus inſanabilis evadat.

DCLXV.

Pulveris Cornachini diverſa operatio.

QUinque annorum puero febricitanti ſe dimidiam drachmam pulveris Cornachini fruſtra omnino exhibuiſſe, unus honoratiſſimorum Dominorum Collegarum, cum viſitationis annuæ ergo conveniſſemus, narraverat, quo ipſo alium commovit, ut ſubjecerit, diverſas admodum eſſe unius ejusdemque purgantis in uno eodemque ſubjecto operationes, & ſe in hoc ipſo pulvere olim jam ejuscemodi quid expertum eſſe, cum enim ejusdem viginti ſeptem grana (quot plerumque præſcribere ſoleat,) tempore verno Illuſtriſſimæ cuidam Baroniſſæ exhibuerit, illum undecies fere & quidem ſic ſat blande alvum moviſſe, at cum ſequenti auctumno hunc ipſum pulverem in hac ipſa doſi eadem hæc Matrona ſumſerit, inde nec ſemel quidem alvum officio ſuo reſpondiſſe: quod ipſe quidem materiæ peccantis defectui adſcripſit, alius tamen cauſam me judice melius in ejusdem aciditate & viſciditate quæſivit; utut nec Scammonium ſemper idem eſſe, & interdum tum ob admixtas peregrinas ſcorias, tum alias cauſas viribus ſuis orbari, ego itidem ſubjecerim, ſicut enim nunquam omnino deſunt humores peccantes in corpore humano, ita ſi vel maxime deeſſent, & ſinceros tamen humores perturbando purgans ſumtum alvum moveret; ubi vero purgantia fortiora non præſtant, quod deſideratum fuit, ego quidem non tam in his adhuc fortioribus, quam aliis remediis auxilium quærendum eſſe, credo.

DCLXVI.

DCLXVI.

Diacydonium pellucidum pueris proficuum.

DIfficilius identidem pueris & in tenella ætate conſtitutis alvum moveri, hinc alii quoque aſſerebant, & ipſe quidem hiſce demum diebus cuidam puero nondum quatuor annorum, purgans, quod vel viris quibusdam fruſtra non exhibuiſſem, nec unicam tamen ſedem moviſſe, recordabar; cum quidam ſerio teſtaretur, ſe hactenus pueris Diacydon. pellucidum laxativum hunc in finem egregio cum fructu præſcripſiſſe, adeo, ut vix meminerit, quod ullus illud ſumſerit, cui non ſæpiuſcule alvum moviſſet; cujus experientiæ ſicut eo magis fidendum eſt, quia in orphanotrophio medicum agit, ubi identidem plures pueri purgantibus opus habent, ita vel ipſum medicamentum inprimis in hac ætate conſtitutis ſuavitate ſua ſe commendat, licetque ego hactenus, quod Anno III. Linear. Medicarum notavi, hoc nondum præſcripſerim, jam tamen lubentius in ejusdem uſum concederem.

DCLXVII.

Eryſipelas exulceratum non rediens.

ERyſipelatis etiam mentio injiciebatur, ubi venerandus noſtri collegii Senior narravit, ante aliquot annos ſe ad Illuſtrem quandam Matronam vocatum, quæ, dum jamjam iter ad filii nuptias aggredi voluerit, dolorem in pede notarit tantum, ut vix incedere potuerit, hoc vero inſpecto potuiſſe, hunc originem ſuam Eryſipelati debere, indeque convenientia eidem oppoſita fuiſſe remedia, quibus tamen impediri non potuerit, quin malum in ulcus degeneraſſet; quo ſanato â priori malo in hunc usque diem immunis Dei gratia vivat; quo beneficio & Textorem, cujus hiſtoriam anno VI. Linearum Medicarum dedi frui, Chirurgus, qui tum eidem adſtitit, nuperrime retulit: quod beneficium ſi & alii cum hiſce commune haberent, non haberent, quod multum terrerentur, ſi ejuscemodi quid in membris eryſipelate correptis notarent; cum quibusdam hujus mali crebrior reditio præſertim moleſta exiſtat.

DCLXVIII.

Cardialgiæ Cura.

ANcilla quædam jam diu uni heræ ſervitia præſtans, & hinc dilecta, cum nuper dolore ventriculi tam moleſto corriperetur, ut & laboribus ſuis vix præeſſe ulterius potuerit, dum nempe deliquia animi ſubinde imminuerunt, toto corpore conſumta fuit, & poſt quoscunque cibos ingeſtos male ſe habuit, heram permovit, ut eam ad me miſerit, utque conſilium ſuggeram

geram, rogarit; ubi cum in utero inprimis mali cauſam quærendam eſſe, mihi videretur, de menſibus, quomodo nempe ſe habeant? interrogavi, cumque horum fluxum nimium accuſaret, huncque non tam â ſanguinis copia, quam ejusdem perverſis qualitatibus derivandum eſſe, ſic ſat conſtaret, hoc correcto malum non parum mitigatum iri, totus ſperavi, & hinc Eſſent. ♂ uſum eidem commendavi, qua vix bis terve ſumta tantum levamen percepit, ut jam ſe convaluiſſe crediderit; at cum ſub continuato Eſſentiæ uſu mala priora redirent, eam ulterius continuare noluit, & ut aliud præſcribam medicamentum, ſerio rogavit; ſubſtitui ergo Eſſentiæ pulverem hujus metalli cum Pulv. Stom. Birkm. quotidie bis ſumendum, quo itidem aliquoties ſumto omne malum Dei gratia ſic ceſſavit, ut jam iterum integerrima fruatur valetudine: Humores nempe â nativa ſua bonitate deſciſcentes & hinc aciditatem quandam atque acredinem acquirentes, nec non in motu ſuo retardati hoc malum excitaverant, unde mars tum eosdem aciditate atque acredine exuendo, tum Sulphur deperditum ſanguini reſtituendo non potuit non prodeſſe; Quem vero ſi in Eſſentia non juvat, in pulvere eſſe exhibendum, hæc cura confirmat.

DCLXIX.

Ardor Ventriculi ab uvis comeſtis.

MAtrona quædam prope quadragenaria, cum gravida ſeu jam pica quadam correpta, ſeu & appetitui naturali nimium indulgens, aliquoties uvas in non ita exigua quantitate comediſſet, ſemper notavit, quod aliquot horis elapſis ardor ventriculi non parum moleſtus ſubſecutus fuit, unde tandem non tam remedium quidem hujus mali quæſivit, quam uvas in minori quantitate poſt hæc ingeſſit, unde & ſponte deſiit: non ſufficiente nempe Ventriculo conſumendis tot ingeſtis uvis, cruditates inde reſtantes ardorem os ventriculi vellicando excitarunt, qui uti melius quam abſtinentia â re lædente curari non potuit, ita ſine dubio etiam Vino generoſo ceſſiſſet.

DCLXX.

Icterus in puella brevi curatus.

ANte quatuordecim fere dies vocatus fui ad Mercatoris cujusdam integerrimi filiolam, decem fere annorum, de appetitu proſtrato & laſſitudine totius conquerentem, cum flavo totius præſertim faciei calore, & urina non parum tincta, cui malo cum Parentes fruſtra bis Rhabarbarum oppoſuiſſent, quid jam factu ſit opus? me interrogarunt, ubi cum ex quibusvis exploratis conſtaret, aliam quam bilem in motu ſuo interturbatam hujus mali non ſubeſſe cauſam, cum Rhabarbarum aliquoties alvum moviſſet, aliud quam Eſſent. ♂ medicamentum

camentum eidem non præſcripſi, & ecce! cum illud vix per octiduum in uſum duxiſſet, inde tum alia quævis mala ceſſarunt, tum priſtinus faciei rediit color; quod bonum ut conſtantius eſſet, Eſſentiam aliquandiu continuare juſſi: raro vero hanc in tam tenella ætate conſtitutis Ictero laborantibus, niſi altiores ſubſint cauſæ, fruſtra commendabis.

DCLXXI.

Acaciæ flores alvum ſolventes.

SIrupus florum Acaciæ licet in diſpenſatorio Auguſtano inter minus uſualia medicamenta relatus fuerit, quod tamen nihilominus paretur, & interdum præſcribatur, cum nuper relatum fuiſſet, medicus quidam non ita exigui nominis narrabat, quod haud ita pridem adſtiterit Nobiliſſimæ cuidam Matronæ, quæ mentione facta modo memoratorum florum, teſtata fuerit, quod hos ipſos frequenter infantibus commendet, qui alvum adſtrictiorem, aut alia de cauſa ejusdem ſolutione opus habeant, hiſce ſiquidem cum pulte coctos ſicque exhibitos ſemper fere, quod quidem deſideretur, præſtare, & ſat blande alvum ſubducere; ſicque unus idemque frutex nobis in floribus laxans in fructibus vero adſtringens præbet medicamentum, quas priores vires vel ideo in memoriam revocare hiſce quibusdam haud ab re futurum credidi, quia illi præſertim, qui procul ab urbe habitant, vel maxime aliis medicamentis deſtituti hoc ſeu facile inveniunt, ſeu & aſſervare poſſunt.

DCLXXII.

Puerpera meticuloſa.

ADſtiti hiſce diebus Nobiliſſimæ cuidam puerperæ, quæ, utut Dei gratia partum ſuum feliciter ediderit, utut tum ſecundinæ hunc ſtatim ſubſecutæ fuerint, tum lochia rite fluxerint, utut cetera quoque ſic ſat bene Dei gratia ſe habuerit, quia tamen laſſitudinem illam, quæ naturaliter partus laborem ſubſequitur, magis ac aliâs percepit, abdomenque, quod paulo ante non parum â fœtu diſtenſum fuerat, jam nimis vacuum ipſi paruit, inde non parum ſibi metuere cœpit, & bis terve media nocte me vocavit, ubi licet tum pulſus tum reliqua quævis indicia abunde docuerint, nec minimum ſubeſſe periculum, vix tamen vel pluribus allatis rationibus aures præbuit, ſed ſemper non recte agnoſci quam graviter decumbat, ſubdubitavit, & hac vice ſe non evaſuram identidem repetiit; Medicamenta itaque quædam quidem præſcripſi, at leniora & ſpiritibus ſerenandis dicata: poſt quæ ſumta non pejus quidem ſe habuit, at nullum etiam ſe percipere levamen, teſtata fuit; quæ quidem per octo dies ſic inſtitêre, at cum his elapſis nil quicquam mali ſubſequeretur, paulatim metum depoſuit, & ſic medicamentis ulterius non habuit

opus: Et aliæ vero Puerperæ ſubinde tali metu corripiuntur, quibus, quia omnino medicamenta deſiderant, alia tamen quam tutiſſima vix præſcribes, cum poſt vel paulo generoſiorum medicamentorum uſum tantum non ſemper pejus ſe habeant, medicamentis quippe plane non indigentes; dandum tamen omnino eſt aliquid illarum metui; & ne augmentum ſumat nimium, acſi quibusvis viribus malis à quibus ſibi metuunt, obviam iremus, ſimulare quandoque debemus.

DCLXXIII.

Urinæ incontinentiæ oppoſita remedia.

PUer quidam extraneus, decem, & quod excurrit annorum, in hunc usque diem aliâs quidem urinam non niſi ſicut debet, reddit, at noctu, ſeu jam tam profundo prematur ſomno, ſeu aliæ ſubſint cauſæ, tantum non ſemper lectum eadem inundat, hincque iis quorum intereſt, non parum faſtidii faceſſit, qui & propterea varia remedia hactenus in uſum duxerunt, at fruſtra omnino; inprimisque fere peſſime ceſſiſſet, quod aliquando Præceptor quidam domeſticus, peni injecto vinculo hanc lecti pollutionem impedire voluit, qui hinc ſic intumuit, ut poſtmodum vinculum vix ſolvi denuo potuerit; conſulor tandem & ego hujus affectus ergo, in quo quia hactenus nemini me conſilium ſuggeſſiſſe memini, ipſe prius mutos meos Præceptores conſului, & ex iisdem ſequentes formulas concinnavi:

℞. Pulv. Gland. excort. ℥ß.
Tunic. inter. Ventric. Gallin.
Semin. Plantagin. aa. ʒij.
Nuc Moſchat.
Maſtich. aa. ʒj.
Sacch. albiſſ. ʒx.
Miſc. ad Scatul.

Sign. Pulver/davon deß Nachts vor dem Schlaffengehen ein Ducaten ſchwer zu nehmen.

℞. Unguenti Comitiſſ. ℥j.
Ol. Vulpin.
Maſtichin. aa. ʒiij.
M. ad Ollul.
Sign. Salb zu den Nieren.

Laxiores quippe eſſe in hoc malo muſculos excretioni urinæ dicatos cum vix ſit dubium, non poterunt non prodeſſe medicamenta huic laxitati corrigendæ dicata, qualia pleraque ſunt, quæ modo communicatas formulas conſtituunt:

tuunt: Et metus vero puero ut injiciatur conſultum duxi, hincque ſuaſi, ut ii, quorum intereſt, eidem perſuadeant, dari alicubi Magiſtrum artis peritum, qui ſectione eos, qui ſic lectum commaculent, curare norit, cujus curæ eum ſint ſubjecturi, niſi cautiorem in poſterum ſe gerat: Quæ quidem, antequam eventus innotuit, communico, quia partim, an ſit innoturus, dubito, partim, quia, ſi Tyrones, quid & in hoc malo factu opus judicem, in meis his ſcriptis repererint, illis haud prorſus abs re futurum ſpero.

DCLXXIV.

Variolæ parvæ.

TInctoris cujusdam filiola ſeptem fere annorum, cum prius ſic ſat acute febricitaſſet, febris vehementia remittente quodammodo, variolis corripitur, quarum quo plures in cute effloruerunt, eo melius ſe habere cœpit; utut vero me ſuadente pulverem hoc malo alias decumbentibus non parum ſalutarem, dum nempe tum variolas adhuc reſtitantes promovet, tum ſymptomata graviora avertit, diligenter eidem exhibuerit mater, ceteraque obſervanda probe obſervarit, magnitudinem tamen conſuetam non acquiſivere variolæ; unde, ne quid mali hoc portendat, metuens, me propterea conſuluit, ubi accedens licet jam exareſcentes iterum vix dimidiam quam aliâs ſolent, habuiſſe magnitudinem notarim, quia tamen cetera puella Dei gratia ſic ſat bene ſe habuit, omnem metum matrem deponere juſſi, nec fruſtra, brevi enim poſt æque hæc Dei gratia convaluit, ac frater, qui majoribus variolis obſitus quaſi fuit: Non ſimiles nempe ſemper ſunt Variolæ, ſed prout materia peccans in corpore abundat, & cutis etiam eſt conſtituta, ſicut jam pauciores jam plures erumpunt, ita itidem jam majores jam minores conſpiciuntur, ubi, ceteris quoque bene conſtitutis non habes quod magis vel â minimis variolis tibi metuas.

DCLXXV.

Convulſiones purgante & balneo excitatæ.

MUlier quædam prope quadragenaria, ſucci plena & vividi coloris, aliquoties jam convulſionibus correpta fuit, quibus commodius quam epilepticarum nomen vix indi poteſt, quam vero ſicuti ſanguinis miſſio, (quam corporis habitus non jam permittere ſed requirere videbatur,) tam parum juvit, ut potius poſt eandem inſtitutam crebrius redierit malum; ita nec, uti quidem ipſe ſperaveram, poſtquam concepit, â convulſionibus immunis fuit, ſed eæ gravidam quoque aliquoties non parum torſerunt, donec tandem pulvis ex antepilepticis hinc inde in meis ſcriptis communicatis conciñatus ſic eidem profuit, ut per aliquot menſes ſic ſat integra gaviſa fuerit ſanitate, quia quam-

primum ea mala ſenſit, quæ olim convulſiones antecedere notaverat, has ipſas pulvere ſumto Dei gratia tam feliciter inhibuit, ut jam ſe, quod â tanto malo ſibi ulterius metuat, non habere, tota crediderit: accidit autem, quod tribus fere menſibus poſt puerperium feliciter finitum, doloribus, dextram præſertim renum regionem occupantibus tam vehementibus correpta fuit, ut præ iisdem nec domeſtica ſua negotia curare, nec ſomnum capere potuerit, unde & meum conſilium deſideravit, licet vero medicamenta, quæ aliis in talibus doloribus plerumque cum fructu commendo, ſedulo in uſum duxerit, nec minimum tamen dolores inde leniti fuerunt, unde præmiſſo purgante leniore, quod aliquot ſedes movit, ut balneo corpus immergat, ſuaſi, quibus remediis quidem obtinuit, ut ſabulum cum Urina in non adeo exigua quantitate excreviert, dolorque aliquantum remiſerit, at paulo poſt convulſiones tanta cum vehementia rediere, ut & linguam dentibus non parum læſerit; quæ quidem Eſſ. Caſtorei & aliis convenientibus medicamentis ſopitæ denuo fuerunt, & in linguæ Vulnere Mel roſatum non parum contulit; at hæc nos docent, quam caute tractandi ſint illi, qui convulſionibus ſunt obnoxii, quodque nec purgantia nec balnea illis ſemper æque conveniant.

DCLXXVI.

Veſicatoria temporibus male applicata.

PUellæ cuidam convulſionibus graviſſimis cum atroci cephalalgia decumbenti Veſicatoria ego quidem nuper in præſentia cujusdam Matronæ commendaveram, hacque ſumme rogante, ne puellam hoc remedio excruciem, quin necidem, cum quam tuto hoc remedium in uſum ducatur vel exemplis probaſſem, ea poſtmodum narravit, quod ante aliquot annos adhuc in rure degens, & ſuaſu cujusdam Chirurgi Caſtrenſis filiolæ itidem doloribus capitis tortæ veſicas excitari permiſerit, at inde non ſolum malum nec minimum quidem ceſſaſſe, verum & brevi poſt decumbentem fatis ceſſiſſe, hincque ab illo tempore ſe ab hoc remedii genere abhorrere; quia vero hiſce dictis ſubjunxit, excitatas has veſicas in temporibus fuiſſe, quod hæc pars minus commoda nominari mereatur, conceſſi; utut enim mortem inde derivandam eſſe, non credam, non tamen niſi urgente quodam peculiari malo facile in temporibus veſicas excitari ſuaderem, cum hic & ſanguini earum vis citius communicetur; ſine dubio vero & alii errores hic concurrerunt, quibus, non vero veſicatoriis, mala, quæ ſubſecuta ſunt, adſcribenda erunt, cum ſat tuto, modo methodo conveniente utamur, in uſum ducantur.

DCLXXVII.

DCLXXVII.

Capitis dolor animi deliquium excitans.

HOſpitis cujusdam Uxor juvencula ſecundo gravida, cum per integrum diem dentium dolore laboraſſet, ſub noctem eodem ceſſante, ſpe plane ſe noctem quietam ducturam cubitum ivit, at cum vix in lectum ſe contuliſſet, illi ſucceſſit tam inſignis totius capitis dolor, ut non ſolum dormire minime, ſed & ab ejulatibus ſe continere non potuerit, quin tandem lectum reliquerit, ubi in ſcamno juxta illud ſedenti animi deliquium ſupervenit, quod maritum permovit, ut poſt mediam noctem me in conſilium vocaverit, & accedente me ipſa quidem vires jam iterum collegerat, at de tanta dolorum vehementia conquerebatur, ut niſi hi mitigentur, graviorum malorum non prorſus vanum ſubeſſe metum ipſemet ſtatuerim, præſcripſi hinc Potiunculam ex Aq. convenientibus & Specif. Cephal. D. Mich. Eſſ. Caſtor. atque anodyna præſertim conſtantem, prætereaque Emulſ. ex Nucl. Perſicor. cum Aq. Verben. & Acet. Rutac. exterius applicandam ordinavi; hæc cum levamen attuliſſe ſequenti die retuliſſet, continuare juſſi, ſimulque ſi dolores redeant, præmiſſis Pilul. FF. Veſicatoria commendavi: Inprimis nempe in Gravidarum doloribus laudem meretur Specif. Cephalicum, cui, indicantibus ſic requirentibus, nec aliis quibusdam circumſtantiis prohibentibus, Caſtoreum tuto jungitur, nec ſiniſtri quid ejusdem uſum ſubſecutum fuiſſe, unquam ego hactenus notavi.

DCLXXVIII.

Animi deliquium ferventi cibo ortum debens.

MErcator quidam è primis, cum aliquamdiu catarrho laboraſſet, mala cocta nimis calida deglutiens inde animi deliquium eſt paſſus, quod Uxorem ejusdem adeo perterruit, ut, ut quantocyus accedam, per ancillam rogarit, quod vero cum arbitrio meo permitti, mihi relatum fuiſſet, egoque hinc non properaſſem, illico alius nuncius mittebatur, qui, ut acceſſum maturem, jam magis urſit, nec ego nunc petito vel minimum defui, at ægrum ſic conſtitutum inveni, ut jam ſe non habere, de quo queratur, dixerit, nec minimam etiam in pulſu mutationem invenerim, unde ſaltem ut Uxoris ejusdem petito ſatisfacerem, Potiunculam quandam Cordialem præſcripſi, utque catarrho dicata medicamenta ſedulo continuet, monui: Senſile nempe os Ventriculi cibos debito calidiores in plerisque ægerrime ferre, hæc obſervatio confirmat, lente itaque & hac de cauſa in cibo ingerendo feſtinandum eſt, niſi mala aliâs facile evitanda contrahere velimus.

DCLXXIX.

Vinum brevi in Ventriculo aceſcens.

HOc ipſo die ad Cereviſiarium quendam vocatus fui, jam diu hypochondriacum, qui catarrho jam per decem dies vexatus, quamdiu quidem cereviſiam bibit, non adeo mala qua ventriculum ſe habuit, at cum decima nocte ad vires confortandas vini non ita multum bibiſſet, per tres quidem fere horas dormiit, ſed evigilans tam male ſe habuit, ut & vomitus ſucceſſerit, quo Vinum præſertim ſe rejeciſſe notavit, quod brevi hoc temporis ſpatio tantam aciditatem acquiſivit, ut inſtar acerrimi aceti dentes quoque ſtupefecerit: Vinum nempe hypochondriacis inprimis nec omne nec tantum ſemper conferre, ac quidem nonnulli ſibi imaginantur, hæc cura probat.

DCLXXX.

Raparum brodium alvum laxans.

IN curanda nobili quadam Matrona occupatus, cum hæc de alvo præſertim referanda ſolicita eſſet, ex adſtante quadam vicina percepi, quod nuper quædam morbo longo vexata inprimis id incommodi quoque perſenſerit, quod alvus nunquam niſi monita officio ſuo reſponderit, nec ſemper quævis monita attenderit, dum nempe aliquoties tum clyſteribus, tum ſuppoſitoriis, tum laxantibus quibusdam internis fruſtra ſolicitata fuerit; huic vero nonneminem commendaſſe, ut rapas minutim inciſas aliquandiu in aqua ſimplici coqui curet, & brodii inde reſtantis quandam quantitatem bibat, quod quidem adeo votis ejusdem ſatisfecerit, ut ab illo tempore alio ad alvum aperiendam remedio opus non habuerit: an aliis eodem modo proſit tam facile parabile remedium? tuto experiri licebit, licetque ego ut ei, cui ſuaſum fuit, exhibeatur, nunc non conſultum duxerim, quoniam flatibus divexatam ne hi inde aucti magis divexent, metui, alia tamen oblata occaſione hujus rei periculum faciendi, eam arripere vix detrectarem, utut an omnibus eodem modo ſit profuturum, totus dubitem.

DCLXXXI.

Parotis Unguento exaſperata.

APud hanc ipſam Matronam Angina olim deſcribenda decumbentem doctus quidam Vir narravit, quod olim in rure degens primo quidem dolorem poſt aurem ſiniſtram perceperit, qui accedente tumore tantum auctus fuerit, ut caput vix erectum tenere potuerit, unde quidem obviam eidem Unguento de lithargyrio ire tentaverit, at tantum abeſſe, ut inde vel minimum perceperit levamen, ut potius dolores ſemper incrementum ſumſerint, donec tandem Chirur-

Chirurgus quidam acceſſerit, & ſuaſerit, ut Sem. Lini contuſum & in oleo coctum parti dolenti imponat, cum enim hoc vix bis terve iteraverit, abſceſſum inde ruptum fuiſſe, & plurimum puris profudiſſe, ſicque brevi poſt quævis cetera quoque mala ceſſaſſe: Vix unquam vero proſunt in ejuscemodi malis talia unguenta, ſemperque tutius ad ea, quæ calefaciendo materiam peccantem diſcutiunt, atque ubi requiritur, maturant, recurritur.

DCLXXXII.

Hellebori nigri extractum Vomitus movens.

CUm inter quosdam artis medicæ peritos nuper Extracti hellebori nigri mentio injiceretur, illudq; me hactenus non niſi in parca doſi præſcripſiſſe & ægrotis meis exhibuiſſe, ego narraſſem, & ſcrupulum dimidium olim tenerrimæ cuidam Matronæ â præcipuo quodam medico pro doſi præſcriptum pro nimio haberem, quidam teſtatus eſt, ſe ſæpius ad integrum usque ſcrupulum hoc extractum præſcripſiſſe, nec unquam tamen quicquam notaſſe, quod ipſum permovere potuiſſet, ut in poſterum hanc doſin imminuiſſet, niſi quod aliquando Virgini cuidam nobili non quidem tam alvum moverit, quam aliquot ſat vehementes vomitus excitarit; Sicuti vero hic ſubjunxit, ſe hoc medicamentum Melancholicis præſertim, quibus nempe præ aliis dicatum eſt, in memorata doſi præſcribere, cum hi plerumque fortiora purgantia ſic ſat bene ferant, quin ſæpiuſcule fruſtra ſumant, ita illis itidem largiorem doſin non ita difficulter concederem; An autem & aliis tuto in tanta doſi exhibeatur hoc extractum? eſt, de quo ego adhuc dubito, hincque lubentius illud in parca doſi aliisque purgantibus maritatum præſcribo.

DCLXXXIII.

Febris Puerperæ cum dolore manus deſinens.

NObiliſſima quædam Matrona cum feliciter & ſic ſat cito ſecundo peperiſſet, per primum quidem quatriduum Dei gratia non habuit, de quo conqueri opus habuiſſet, at ancillam nacta perverſæ ſententiæ addictam, non niſi multo cibo ſuggeſto vires puerperas colligere, hunc non ſolum eidem ſuggeſſit, verum & ut ſumeret, urſit; unde primo quidem alvus obſtructa fuit, cui obſtructioni Pilulas FF. oppoſuit, & quoniam quinq; ſumtæ non ſtatim juvarunt, alias ſeptem vel & plures puerperæ exhibuit, quæ nunc alvum nimium moverunt, ſimulque vires imminuerunt, quas dum iterum cibis reficere voluit ancilla, nova obſtructio acceſſit, cui nunc febris acceſſit, unde meum conſilium deſideratum fuit, & ego quidem oppoſito inprimis febri in principio remedio, poſtmodum Clyſtere alvum reſeravi, qua licet aperta febris nihilominus inſtitit, unde medicamenta in his febribus proficua diligenter continuavit, quæ & febrem vix triduo ex-

acto

acto Dei gratia penitus extinxerunt, at relicto dolore manus ſiniſtræ tanto, ut præ eo ſomnum capere non potuerit; hunc cum fruſtra neſcio quo emplaſtro & Balſ. quem album nominant, delinire tentaſſet, Chirurgo commiſit, ego vero pulverem quendam convenientem præſcriptum continuare ſedulo juſſi, dolores pro arthriticis agnoſcens, quod & ex eo, quia quævis remedia externa eosdem exaſperarunt, & jam hanc jam aliam manus partem divexarunt, conſtitit; & hi dolores vero tandem paulatim ceſſarunt: Paucæ nempe ſunt Puerperæ præſertim melioris conditionis, & tenerioris conſtitutionis, quæ cibum in nimia quantitate ſuggeſtum absque noxa in principio puerperii ſumunt, unde jam olim easdem nimium non eſſe cibandas, alibi indicavi; quod vero huic materia peccans in manum ſiniſtram translata fuit, ſine dubio tum hujus imbecillitati, tum illius ob diætam alias quoque non ſervatam congeſtæ nimiæ copiæ adſcribendum erit.

DCLXXXIV.

Variolis decumbentes concoctu difficilia absque noxa ingerentes.

CUm nuper rogatus cognati cujusdam filiolos quatuor & filiolam variolis decumbentes viſitaſſem, & in præſcribendis medicamentis occupatus matrem interrogaſſem, quibus cibis decumbentes ſuſtentet, hac reſpondente, quod præter cibum ê baccis ſambuci coctum, qui non omnino rejici meretur, rapas etiam & carnem Vervecinam hoc ipſo die iisdem exhibuerit, eo minus miratus, quod unus præſertim illorum, qui forſan plus reliquis comedit, tam male ſe habeat, niſique tales cibi ſeponantur, graviora male eſſe metuenda, judicavi; at utut minus mihi quam liberis ſemper tales cibos expetentibus aures præbuerit mater, omnes tamen Dei gratia ſic convaluerunt, ac ſi diætam ſervaſſent: quæ quidem non tam ut imiteris, communico, ſemper enim melius ſibi conſulunt, qui diætam & hoc in morbo ſervant, ſed ut, ſi præſertim appetitus quaſi urgeat, variolis decumbentibus cibos inprimis convenientes non ſemper acriter eſſe denegandos, exinde diſcas, ſi enim hiſce vel coctu difficiles cibi nullam intulerunt noxam, quanto minus aliis coctu faciliores nocere poterunt.

DCLXXXV.

Faciei puſtulas abigens Stercus ſuillum.

STercus ſuillum in ſiſtenda narium hæmorrhagia quædam commendaverat, cumque aſſenſum aliorum ſtatim impetraſſet, dum nempe non deſunt, qui idem jamdudum obſervarunt, & vel publicis ſcriptis communicare non dubitarunt; illa retulit, quod non ſolum hac ſed & pluribus viribus ſit inſtructum,

ctum, hoc ſtercus, in me ipſa experta fui, cum enim olim facies mea hinc inde puſtulis defœdata fuiſſet, pluraque medicamenta fruſtra in uſum duxiſſem, tandem quædam ſuaſit, ut ſuile ingrediar, poſtquam ſus modo de ſtramine cui incubuit, & excrementa impoſuit,ſurrexit, faciemque meam tam prope ſuccerdæ admoveam, ut inde ea quaſi foveatur, primo quidem tam ſordidum adhibere remedium quantum potui, renui, at, cum facies mea ſemper magis defœdaretur, nolens volens tandem tali ſtramini incubui, & cum aliquoties hoc iteraſſem, omnino â puſtulis his liberata fui; ruſticis edita hæc huic genti non adeo ignotum & in aliis etiam caſibus proficuum remedium adhibuit, quod tamen aliis commendare, ruſticum eſſet; at juvat nihilominus noſſe, quæ & ê viliſſimis ejuſcemodi rebus petere poſſumus, dum nempe ſic & de aliis medicamentis cogitandi anſa datur, & aliis earum mentionem injicientibus nos non prorſus latent: quin formæ nonnullæ adeo ſunt ſtudioſæ, ut ſi certæ eſſent, ſe vel in hoc remedio auxilium inventuras, quam ſordidum quoque ſit, illud nihilominus tentarent, ſi præſertim non tam medicus, quem per ſe vix decet, quam quidam ê vulgo commendaret.

DCLXXXVI.

Adamas hæmorrhagias ſiſtens.

HUic viliſſimo vero medicamento, cum ea quæ ex ore ancillæ ſuæ comendavit Matrona, pretioſiſſimum ſtatim ſubjecerit, & illud hic ſubnecto: Sicuti nempe hinc inde innotuit,filiam hujus, cujus in Lineis meis medicis non ſemel ſolum fit mentio, hæmorrhagia narium vita ferme privatam fuiſſe, ita non una ſolum commiſeratione ducta remedia quædam communicavit, quorum unum alterumve in modo citatis Lineis deſcripſi; quod vero nunc deſcribere paro, eſt Adamas, de hoc enim Matrona quædam prudens ſerio affirmavit, quod vel annulo incluſus ſub lingua detentus pertinaciſſimas quasvis ſiſtat hæmorrhagias, hincque ſe non ſemel ſolum, quando aut vocata aut forte fortuna acceſſerit fœminas nimio aut menſium aut & lochiorum fluxu decumbentes annulum ſuum, cui adamas incluſus eſt, ſe de digito detraxiſſe, & ut modo memorato modo adhibeatur, ſuaſiſſe, ſemperq; ſanguinis fluxum inde inhibitum fuiſſe: Et hoc quidem remedium ſicut priori omnino longe eſt præferendum, ita ſat tuto tentari poteſt, licet Auctores inſignes Adamanti tribuentes vires hujus nullam faciant mentionem; qui tamen cum Serapione eum pro frigido & ſicco in quarto gradu habent, vel hiſce primis qualitatibus hanc virtutem adſcribent, ſicut illi, qui ſolum ſanguinem hircinum hanc gemmam aggredi, & in partes dividere, ſtatuunt, per peculiarem inter eam & ſanguinem antipathiam eam explicare poterunt; ut vero crebrior inſtituatur experientia, ego quidem operæ pretium eſſe, credo.

DCLXXXVII.

Hydropi ſuperveniens Icterus letalis.

MIles quidam quatuor annis quinquagenario major, conſtitutionis debilioris juxtaque & ſiccioris, cum jam per aliquod temporis ſpatium vires indies magis deficere notaſſet, hoc quidem, quia nihilominus laboribus ſuis præeſſe potuit, minus in principio curavit, at cum poſtmodum labore quodam minus conſueto perfecto dolor lateris dextri ſuperveniſſet, & hunc tumor ſic ſat durus abdominis comitaretur, indeque difficilius etiam reſpiraret, per Uxorem ſuam me conſuluit, ubi quibusvis his circumſtantiis probe perpenſis, cum urina, quam attulerat Uxor ejusdem, pauca & rubra admodum exiſteret, parvam admodum convaleſcentiæ ſpem ſupereſſe ſtatim judicavi, de hepatis quippe ſcirrho curam non admittentis nullus dubitans; præſcripſi tamen medicamenta, quæ alias in hiſce malis, modo ſint ſanabilia, vix fruſtra in uſum ducuntur, martis nempe pulverem jam purgantibus jam aliis ſpecificis maritatum, prout nempe alvus officio ſuo reſpondit, aut ſegnior in hoc præſtando fuit; Verum enim vero, utut non ſolum hæc ſed & alia plura medicamenta ſedulo adhibuerit, nil quicquam tamen iisdem profecit, dum tumor quidem abdominis indies auctus, ſuperiores vero corporis partes ſemper magis conſumtæ fuerunt, quibus malis tandem accedens Icterus totum corpus flavo tingens colore ſicut me in ſententia mea de hepatis ſcirrho magis confirmavit, ita omnem convaleſcentiæ ſpem mihi eripuit, pedibus inprimis jam itidem multum intumeſcentibus, & ore faucibusque ſic excoriatis, ut vix deglutire aliquid potuerit, unde nunc non tam morbo ipſi, quam urgentioribus quibusdam ſymptomatibus remedia oppoſui, at nec hunc quidem ſcopum obtinui, donec tandem mors ſuperveniens omnium malorum finem impoſuit: Ubi ſcilicet non inanem fovemus ſuſpicionem hepar jam diu eſſe induratum, rariſſime hydropem inde ſubortum curabimus, ſi vero iis medicamentis, quibus alias Icterus non ita difficulter curatur, hunc impedire non potuimus, quibus poſtmodum eundem curabimus? Qui talibus ſuperveniens morbis ſemper merito pro peſſimo habetur ſigno.

DCLXXXVIII.

Anginæ cura fortuita.

ANginæ forte fortuna apud honeſtam quandam Matronam mentio fiebat, & hæc referebat, quod olim maritus ſuus jam ante aliquot annos vita functus, ſæpius hoc malo tortus fuerit, ſic quidem, ut aliquoties per aliquot dies nec verbum proferre, nec vel guttam deglutire potuerit, & hinc animi ſui ſenſa litteris ſcriptis exprimere famemque & ſitim pati, ſubinde opus

opus habuerit; accidiſſe aliquando, quod, ut & per noctem gargariſmus injici poſſit, Chirurgus inſtrumenta huic injectiori dicata poſt ſe reliquerit, ipſaque hoc munere fungi voluerit, ſic vero forte fortuna ſiphone abſceſſum in faucibus tragœdiam excitantem tetigerit, ut is inde ruptus primo quidem dolorem non ita exiguum excitaverit, ut & â clamore ſe continere non potuerit ægrotus, at inde ſimul reliqua mala ſic ceſſaſſe, ut non ſolum loqui iterum cœperit, verum &, ut cibus potusque afferatur, petierit, jamque ſic ſat commode deglutire ingeſta potuerit: moleſtam vero fuiſſe ipſi tam moleſti mali tam frequentem reditionem, & hinc medicum ſuum tum ordinarium rogaſſe, ut remedium ſuggerat, quod in poſterum illam avertat, & hunc ut fonticulum in brachio excitari curet, ſuaſiſſe, quod & Dei gratia tam feliciter ceſſerit, ut ab illo tempore ab angina immunis vixerit: Quo ipſo, ſicut fortuita cura docemur, interdum, ſi fieri poteſt, ejuscemodi abſceſſus ferro quoque aperiendos eſſe, ita fonticulorum genuinus uſus denuo non parum defenditur; In hiſce enim præſertim malis & in aliis jam ſæpe præſtiterunt, quod ab aliis remediis diu fruſtra expectatum fuerat.

DCLXXXIX.

Dentium dolorem ſubſequentia gravia mala.

FAbri Stannarii cujusdam filia, ſeptendecim añorum, cum diu doloribus dentium vexata fuiſſet, tandem inde malæ dextræ tumorem contraxit tam durum tantumque, ut non ſolum dolores valde intenſos intulerit, verum & os ſic occluſerit, ut non niſi difficillime ingerere ingerenda potuerit, hiſceque malis per aliquot dies non niſi ea medicamenta externa, quæ Chirurgus ſuggeſſit, oppoſuit; unde malum tantas ſumſit vires, ut & motus quidam convulſivi manuum præſertim acceſſerint, hincq; tandem meum quoque conſilium deſideratum fuit; ubi ego cataplasmata, quæ hactenus applicaverat Chirurgus, ſicut inprobare non potui, ita continuare juſſi, abſceſſu etiam rupto, ut ulcus, antequam materia peccans evacuata ſit, non conſolidetur, commendavi; ſimul vero &, cum alia medicamenta vix ſumere poſſet, Eſſ. Abiet. cum ⊖. Vol. Ol. Sylv. mixtam, ac Spec. decocti pro potu conveniente præſcripſi, quæ Dei gratia ſic profuerunt, ut non ſolum convulſivi illi motus non redierint, ſed & tumor paulatim conſumtus fuerit, jamque appetitu ſic polluerit, ut & cibi nimium ingeſſerit, cruditatibusque inde collectis medicamenta opponere opus fuerit: Et dentium dolorem vero graviora poſſe ſubſequi mala, ſi nimium negligatur, hæc cura confirmat.

DCXC.

Salivatio â dolore dentium.

ANcilla quædam, cum virginem quandam febre alba decumbentem viſitaſſem, præſens retulit, quod ante pluſculos dies dolore dentium tam intenſo correpta fuerit, ut, cum nullum omnino medicamentum vel minimum attulerit levamen, evelli eundem curaverit, ſed nec hanc evulſionem ſibi tantum profuiſſe, quantum quidem ſperaverit, dum dolores non tam integre ceſſaverint, quam jam aliquandiu quidem remiſerint, at ſingulis diebus tum mane tum veſperi redeant, & per bihorium tam atroces inſtent, ut iisdem ferendis vix ulterius par exiſtat, cum præſertim tam diu, quamdiu durent, inſignis ſimul ſalivæ quantitas ex ore profluat, adeo ut huic rejiciendæ totum hoc temporis ſpatium inſumere opus habeat, & ſalivationem hanc, uti cum dolore initium ſumat, ita cum eodem deſinere, hiſceque malis finitis ſe cetera Dei gratia ſic ſat bene valere, nec in actionibus quibusvis perficiendis ullo modo impediri; licetque jam plura & varia hiſce malis oppoſuerit remedia, & inprimis etiam Pilulas, quas â me præſcriptas olim heræ ſuæ in dolore dentium profuiſſe notaverit, in uſum duxerit, ſemper tamen eadem antiquum obtinere, & certis ſuis horis redire: hæc vero cum jamjam diſcedenti narraſſet, Infuſum Veronicæ commendavi; quod tum conſolidando læſa forſan Vaſa lymphatica, tum corrigendo humores peccantes prodeſſe poterit: Si vero nihilominus inſtiterint hæc periodica mala, quin Corticem Peruvianum cum fructu ſit in uſum ductura, nullus dubito.

Purgans non ſuffeciſſe male credens.

MErcatricis cujusdam filiam undecim fere annorum, cum variolis ſic laboraſſet, ut non niſi exhibitis Pulv. Pannon. r. & Tinct. Bezoart. Dei gratia brevi convaluerit, purgante tamen, ut, ſi quid forſan materiæ peccantis reſtet, evacuetur, opus habere credens mater, ut tale medicamentum præſcribam me rogavit, ubi, cum reliquæ quævis formulæ delicatulæ puellæ minus arriderent, Diacydonium nuper laudatum elegi, hujusque drachmas duas eidem præſcripſi, quod vero licet tres ſedes eidem moverit, hoc tamen minime ſufficere matri viſum fuit, hincque eidem Pilul. etiam Francofurtenſes exhibuit, & tum demum, num recte factum putem? me interrogavit; ubi quidem ſicut ejuscemodi præpoſteras interrogationes vix reſponſo dignas judico, dum quod ſic jam factum fuit, mutari nequit, quod tamen Pilulis opus non habuiſſet, reſpondi, cum in ejuscemodi caſibus non tam opus ſit, ut vehementioribus purgantibus alvus multoties moveatur, quod raro tuto inſtituitur, quam ut in primis viis reſtitantes forſan quædam particulæ peccantes blande ſubducantur, quod hoc modo ſufficienter factum fuiſſe

nullus

nullus dubito : Sic vero non pauci ſunt , quibus nulla fere purgantium operatio ſufficit , niſique ſedium numerum inire ulterius vix poſſint, purgans ſe fruſtra ſumſiſſe , ſibi imaginantur , at quam parum hi ſanitati ſuæ conſulant, quotidie experimur ; ut adeo medicus , quam ſerio etiam ab ægris rogetur, niſi urgente neceſſitate vix alia medicamenta purgantia ſit præſcripturus , quam quæ alvum nimium non movere , novit , cum tutius hæc , uti alibi monui, iterentur, quam vehementioribus turbæ vix ulterius ſedandæ excitentur.

DCXCI.

Purgans febrim reſuſcitans.

NObiliſſimorum Parentum filiola ſeptem annorum, ſemper fere triſtis & ſolitudinem amans, ante aliquot hebdomadas febre correpta fuit, quæ Matrem eo minus perterruit , quia variolarum tum hinc inde graſſantium, quibusque hactenus hæc nondum decubuit, ſignum eſſe credidit, nihilominus vero me propterea in conſilium vocavit, ubi in principio anceps quidem ſteti, an hæ puſtulæ ſint expectandæ? an vero alia febris hujus ſubſit cauſa,at cum diligenter licet ſumtis alexipharmacis nec ulla quidem in cute macula compareret , febrisque quodammodo remtteret , aliunde , quam â ciborum nimia ingeſtione illam ortum ſuum non duxiſſe, credidi, & hinc, cum die quinto â febre fere prorſus immunem eandem inveniſſem, ut primas vias obſidentes pravi humores evacuentur, purgans eidem exhibui , quod vero alvum vix movit , unde Infuſo Fol. Senn. etiam uſa fuit, quod quidem eandem aperuit, at febris ſimul tanta cum vehementiu rediit , ut jam magis quam unquam prius caluerit, & difficilius reſpirarit, unde ad alexipharmaca redii, quæ vix per triduum iterum continuata febrim Dei gratia ſic debellarunt , ut hæc ulterius plane non fuerit moleſta : Utut nempe purgantia aliâs in febribus pueris non parum conducant, ſi præſertim remittentibus iisdem exhibeantur, cum tantum non ſemper cruditates in iisdem abundent, & hanc tamen regulam ſuam pati exceptionem , hæc obſervatio docet ; licet forſan dum purgans humores turbavit quidem, ſed non exturbavit , febris iterum excitata fuerit , ut adeo propterea tamen purgantia in puerorum febribus non prorſus ſint rejicienda.

DCXCII.

Animi deliquium à dentium dolore.

AUrifabri cujusdam Uxor prope quinquagenaria, cum aliquamdiu dentium dolore torta fuiſſet, huicque varia remedia , quæ domeſtica nominantur, fruſtra omnino oppoſuiſſet, tandem viribus inde ſic exhauſta fuit, ut animi deliquium acceſſerit, quod, cum non niſi poſt elapſum aliquod tempo-

ris ſpatium ad ſe rediiſſet, maritum adeo perterruit, ut ipſemet me acceſſerit, & ut Uxorem ſuam viſitem, rogarit; nec defui ego ejusdem petito, accedensque ipſam nunc viribus ſic ſat conſtantem at de doloribus identidem redeuntibus conquerentem inveni, cumque ſimul conſtaret, abundare eam ſero acri nervos tantum ſtimulante & irritante, niſi hoc ſubducatur, dolores vix ceſſaturos, totus credens, purgans eidem præſcripſi medicamentum, huicque Specifici Cephalici uſum ſubjungere juſſi, quod Dei gratia tam feliciter ceſſit, ut doloribus inde ſopitis non habuerit, quod de viribus adhuc deficientibus conquereretur: Utut vero quibusdam abſonum forſan videri poſſet, quod purgans huic præſcripſerim, niſi tamen cauſam mali ſic aggreſſus fuiſſem, ſine dubio confortantibus quibuscunque dolores dentium potius auxiſſem, quam imminuiſſem, & hinc deliquia quoque rediiſſent; ut adeo & in his purgantia confortantibus ſubinde ſint præferenda, at ut, qui curam hujus mali ſic aggredi vult, de cauſa tali ſit certus, oportet.

DCXCIII.

Senex errores quosdam non impune committens.

VIr quidam Mercator ſeptuagenarius, cum hactenus quidem Dei gratia tam integra fruitus fuiſſet ſanitate, ut vix unquam ſe medicum conſuluiſſe meminerit, nuper tamen mane viam non ita conſuetam longiorem emenſus, poſtmodum cibum concoctu difficilem, farcimen nempe ex carne bubula minutim inciſa paratum, ingerens, poſtmodum mediante ſcarificatione ſanguinem ſubtrahens, & ſub veſperam pediluvio utens, inde male ſe habere cœpit, dum non ſolum ad quævis munia ſua perficienda minus promtus extitit, ſed & appetitus eidem proſtratus fuit, quod quidem nec ita male unice erroribus modo memoratis adſcribens parvi habuit; at cum ſequenti die, cum barbam tonderi curaret, animi deliquio correptus fuiſſet, verba tertiata proferret, vix incedere poſſet, & inprimis eorum, quæ modo geſta fuerant, non recordaretur, domeſticis ſuis non ita parvum injecit terrorem; nec tamen ut medicus vocaretur, permittere voluit, donec litteras exarare volenti opus hoc adeo non ſucceſſit, ut ſeponere iterum coactus fuerit, jamq; demum notavit, malum gravius imminere, niſi Dei gratia medicamentis avertatur, hincque me in conſilium vocavit, pulſum tum habens inæqualem & interdum intermittentem, ſed & alvus jam per biduum officio ſuo non reſponderat, unde & ut hæc ſtimularetur, Pilul. quidem FF. commendavi, ut vero ſanguinis motus, â quo quodammodo intercepto mala deſcripta commode derivari poſſe, nullus dubitabam, reſtitueretur, Sal Volat Ol. Sylvii aliquoties eundem ſumere juſſi, quod Dei gratia tantum profuit, ut, cum ſequenti die rediiſſem, pulſum jam iterum bene conſtitutum invenerim, unde non niſi hunc tam proficuum liquorem

rem continuandum eſſe, conſultum duxi, cui is uſum pulveris ſternutatorii, quem hactenus ſibi profuiſſe credidit, adjunxit, hincque paulo poſt Dei gratia penitus convaluit: Viribus nempe Senes illis quibus olim non inſtructi, ſi nihilominus ut olim quævis perficere tentant, non raro inde morbis corripiuntur, in quibus alvo præſertim aperta hactenus Sal modo commendatum raro fruſtra præſcripſi.

DCXCIV.

Manuum tumor ſubito ſubortus.

PEllio quidam ſanitate cetera Dei gratia ſic ſat integra fruens, cum nuper laboribus ſuis vacaſſet, in utraque manu tumorem ſubito ſubortum notat, cumque ſponte iterum diſſipatum iri ſperans, primo quidem parvi habet, at cum is ſemper augmentum caperet, jamque & brachium occuparet, ne mali quid ſubſit metuens, me propterea conſuluit, ubi quidem primo ſudorem Tinctura Bezoartica movendum eidem ſuaſi, at cum nec hic tumorem diſſipaſſet, urina miſſa, quid ulterius factu ſit opus? interrogavit, cumque ſimul referretur, illum cetera ſic ſat bene ſe habere, non niſi â ſero extravaſato tumorem hunc originem trahere ratus, purgans medicamentum eidem præſcripſi, quod cum aliquoties alvum ſubduxiſſet, ſimul etiam Dei gratia omnem tumorem diſcuſſit: adeo quidem purgantia in tempore data proſunt, præſtantque, quod alia vel laudatiſſima medicamenta præſtare non valent, quicquid etiam eorum oſores in contrarium adduxerint.

DCXCV.

Animi deliquium ablactationem ſubſequens.

PIctoris cujusdam Uxor â melancholica edita matre, cum bis jam peperiſſet, & ſecundum fœtum ablactaſſet, quoniam filiolam hanc ſcabioſam pro leproſa habebat, & ne inficeretur, ſibi metuebat, vix biduo exacto pejus ſe habere cœpit, & animi deliquio in templo ſub S. concione ſuccedente tantum perterrita fuit, ut, ſe haud ita diu ſuperfuturam, inde judicarit, & hinc, ut quamprimum fieri poſſet, conſilium ſuggeram, anxie petierit; ubi, cum ſimul de malis melancholici quid ſpirantibus conquerentem inveniſſem, Eſſ. Trifol. fibrin. eidem præſcripſi, & ſanguinem abundare notans, Venæſectionem, in qua ipſamet auxilium ſe inventuram ſperabat, conceſſi, quæ tamen ſpem ejusdem non explevit, cum enim ſecundo poſt ſanguinem ſubtractum die comœdiam frequentare voluiſſet, in via priori malo ſic correpta fuit, ut domum properare, & in lectum ſe conferre, opus habuerit, jamq; magis adhuc ſibi metuens me denuo vocavit, & cũ Venæſ. tam parum juverit, quid nunc factu ſit opus?

inter-

interrogavit, ſimulque duas monſtravit urinas, qnorum altera quidem ſanorum ſimillima extiterat, altera vero tam cruda & aquea erat, ut fere aquam fontanam retulerit, & hanc ſub ipſo paroxyſmo ſe reddidiſſe, referebat; unde nunc pulverem ex Specif. Cach. Ludov. Cinnab. pp. & Caſtor præſertim conſtantem eidem præſcripſi, quem Dei gratia tanto cum fructu in uſum duxit, ut ab illo tempore ab animi deliquiis immunis vixerit: variæ nempe hîc ſubfuere cauſæ, quæ ſanguinis motum binis vicibus ſic inhibuerunt, ut malum memoratum ſubſecutum fuerit; tum ſcilicet melancholica conſtitutio, ſanguinem in motu per ſe tardiorem reddens, tum ablactatio, ubi lac in ventriculum regurgitans & aceſcens ibi chylum corrupit, qui ſanguini mixtus hunc non tam fluidiorem quam craſſiorem reddidit, tum uterus quoque ob menſes hactenus obſtructos non ab omni labe immunis, unde animi deliquio præſertim inſtante; urina citius ſolito receptacula ſua deſerens colore conſueto privata excreta fuit: Ex quibus facile colliges, quomodo pulvis præſcriptus profuerit.

DCXCVI.

Pleuritis per aliquot dies neglecta curata.

STudioſus quidam quindecim annorum tuſſi correptus, utut hanc dolor lateris punctorius comitatus fuerit, inſuper ſitis, appetitus proſtratus, & difficilis reſpiratio acceſſerint; ut adeo per aliquot dies domi ſe continere & lectum tenere opus habuerit, qua de cauſa tamen neſcio tantis his malis nulla aut & minus convenientia oppoſuit remedia, donec tandem viribus ſemper magis decreſcentibus & doloribus punctoriis augmentum ſumentibus, die fere octavo urina miſſa meum conſilium deſideravit, quæ quidem tincta & turbida morbo præſertim tam diu neglecto graviorum malorum metum injiciebat; præſcripſi vero nihilominus Potiunc. ex Aquis convenientibus & Tinctura Bezoart. Antim. diaphor. ac lapid. cancr. præſertim conſtantem, hoſpitæque ejusdem injunxi, ut hac in uſum ducta, quomodo æger ſe habeat, referat, eaque non redeunte eum fatis ceſſiſſe, ferme credidi, at cum brevi poſt in via hanc offendiſſem, in uſum ducta Potiuncula ſtudioſum ſtatim melius ſe habuiſſe, & nunc convaluiſſe, indicavit; adeoque nec illi, qui diutius morbum ſuum neglexerunt, ſunt derelinquendi, cum fruſtra medicamenta iisdem non ſemper præſcribi, præter alias obſervationes hæc quoque confirmet, ſi præſertim in ea ætate ſint conſtituti, quæ itidem ad depellendos morbos non parum confert.

DCXCVII.

DCXCVII.

Icterum prodens Urina.

IN via nuper me offendit mulier quædam, mihique refert, quod vicini ſui urinam in ædes meas detulerit, huncque ſic ſat male ſe habentem pro ægro tamen haberi minime volentem eo magis conſilio meo opus habere, ſimulque narrat, quod de pondere pectus gravante, difficili reſpiratione, atque ſiti conqueratur, ubi quidem, cum hiſce diebus ex quodam honoratiſſimorum Dominorum Collegarum percepiſſem, quosdam febre petechiali decumbere, quod & talis ſubſit, in principio ariolatus fui, hincque ut eo citius remedia præſcribere poſſim opus habenti, eo citius etiam urinam ut inſpicere potuerim curavi; inveni vero illam talem, qualem icterici reddere ſolent, hincque ſtatim de flavo faciei colore interrogavi, hacque non jam faciem verum & manus hoc obductas eſſe referente, de Ictero ulterius non dubitavi, quem ſæpius comitari ſupra memorata ſymptomata, eos qui Ictericos tractarunt, vix latere poteſt; Cum vero hic Balſamum illud, quod ſub nomine albi venit, & â pluribus magni habetur, (Aquam nempe ſpirituoſam cum Spiritu Anhaltino quodammodo convenientem, quam Schaurii deſtillant,) aliquoties fruſtra ſumſiſſet, nec ego illud pro remedio in hoc morbo proficuo habere potui, hincque potius ea, quæ hactenus Ictericis me cum fructu præſcripſiſſe, aliquoties in lineis meis medicis legiſti, eidem commendavi: Diſces vero ex hac obſervatione, quam difficile ſit judicium ex iis ſolum, quæ de morbis narrantur; omninoque, niſi ægrotum præcipue accedere liceat, urinam non ſemper fruſtra inſpici, quæ ſicut alia quædam mala ita icterum præſertim prodit, nec facile falleris, ſi ſpuma ejusdem flaveſcente, hoc malum prædixeris: Nunquam vero illud, tam ſpirituoſis & calidis medicamentis, quæ quippe potius interdum ejuscemodi quid producunt, quam martiatis curabis.

DCXCVIII.

Mars crudus infanti proficuus.

PRæcipuorum Parentum filiolus unicus, ſex & quod excurrit hebdomadum, tum continuis fere ejulatibus, tum convulſionibus ſubinde ſupervenientibus abunde prodens, ſe in corpore acidos acresque quamplurimos alere humores, eo ipſo me permovit, ut tum alia quædam medicamenta tum præſertim pulveres hiſce humorum vitiis corrigendis dicatos diligenter eidem exhiberi curaverim; Quibus tamen tantum abeſt, ut vel minimum profeciſſem, ut potius puerulus indies pejus ſe habuerit, unde pulveribus illis & quibusdam ex marte arte chemica paratis ſic fruſtra immixtis, de marte ipſo, quem hactenus in tam tenella ætate conſtitutis nunquam exhibui, cogitavi, & hinc hujus in

pulverem redacti granum primo unum eidem exhibui, quo levamen afferente ad duo aſcendi, quæ quidem per aliquot dies ſic profuere, ut puerum jam convaluiſſe crediderint, at ſicuti dolores denuo redeuntes me permoverunt, ut martis doſin iterum auxerim, ita hiſce accedens difficilior reſpiratio jam huic pulveri ſoli adſcriptus fuit, unde ſic, ut notare potuerit nutrix, eundem continuare non licuit, quin aliquamdiu ſepoſitus fuit, at cum iterum convulſiones ſuperveniſſent, jamque ægrotulus toto corpore intumeſceret, ad ejusdem uſum ſic redii, ut illum ſub Specif. Cephalico occultarim, ubi iterum per pluſculos dies exhibitus Dei gratia tantum profuit, ut jam ſic ſat bene ſe habeat: Vel in tam tenella itaque ætate martem tuto exhiberi poſſe, hæc obſervatio docet, ex qua ſi, quod, & quomodo interdum occultanda ſint medicamenta, ſimul didiceris, eandem tè legiſſe vix pœnitebit.

DCXCIX.

Angina à tumore linguæ radicem occupante.

MAtrona quædam nobiliſſima, Dei gratia ſaniſſima quidem prædita conſtitutione, at per bene longum temporis ſpatium variis iisque graviſſimis ærumnis torta, tandem quantum vel ſanitati quoque inſidientur experta fuit, cum enim lactante ipſa, natu minor filiolarum à morbo vehementiſſimo proſtrata fuiſſet, jam inde triſtata, quod ſic calamitates ſemper calamitatibus addantur, jam vehementia paroxyſmorum valde perterrita, dolorem in humero dextro percepit, cui tamen ea quæ commendata fuerant remedia, non oppoſuit, quia præſertim aliquoties ſponte remiſit, & cetera ſic ſat bene ſe habuit; verum enim vero paulo poſt, nilque minus cogitans ad fauces translatum fuiſſe dolorem perſenſit, unde primo quidem difficilius quævis ingeſta deglutiit, paulo poſt vero adeo nil plane deglutire potuit, ut, ſi vel guttam per gulam detrudere quaſi conabatur, ſuffocationis periculum imminuerit, cumque Tinctura Bezoartica ſumta ſudorem moviſſet, malumque poſt ejus uſum non tam imminutum quam auctum videretur, me propterea vocavit; & ego inſpectis faucibus nil quicquam fere deprehendere potui, unde commode tanta mala derivare potuiſſem, cum nec uvula nec tonſillæ intumuerint, nec hæ, nec vicinæ partes multum inflammatæ fuerint, ut adeo non niſi de partibus oculis non expoſitis læſis cogitare potuerim; quia vero nil quicquam deglutire poterat, non tam in internis quam externis medicamentis auxilium quærendum fuit, tum ſiphone ergo gargariſmi ſæpius de die injecti, tum collo applicata emplaſtra & cataplasmata convenientia, Clyſter quoque injectus, & Venæſectione mediante ſanguis ſubtractus fuere, hisque primo nil conferentibus, ipſaque teſtante, ſe tumorem in faucibus moleſtum digito fere tangere poſſe, iterum inſpectis iisdem in linguæ ipſius radice tumorem inveni digitum pollicem magnitudine

gnitudine ferme æquantem, duriuſculum, nec colore â reliqua lingua differentem, unde jam & de Venæſectione ſub lingua inſtituenda cogitavi, quam quippe pluribus olim me ſummo cum fructu commendaſſe, memineram; at diligenter continuatis interea ſupra memoratis remediis aliquantum melius ſe habere cœpit, hincque utut difficillime juſcula deglutiit, unde nunc & quædam ſanguinis motum corrigentia & pituitam viſcidam incidentia medicamenta ſumſit, quibus eo magis opus habuit, quoniam die fere tertio febris etiam acceſſit, cui oppoſita nunc aliis etiam mixta fuere; ſicuti vero indies quidem faucium dolor magis mitigabatur, tumorque in lingua obſervatus ſubſidebat, ita hæc febris tamen per integros ſeptem dies inſtabat; eaque depulſa de nauſea adhuc inſtante conquerebatur convaleſcens, unde jam purgans lene eidem exhibui, quod non parum pituitæ evacuavit, reſtitit autem difficilior quædam reſpiratio, cui Elix. Aperitiv. oppoſui, quo aliquandiu continuato & interpoſito uſu Rhabarbari, Dei gratia paulatim convaluit: ſicuti vero hæc nec pus nec ſanguinem unquam ſputo rejecit, unde nullum hîc ſubfuiſſe abſceſſum, patuit, ita in linguæ radice præſertim mali cauſam latitaſſe, tumor ibi deprehenſus docuit, cujus cauſæ cum apud pauciſſimos, quin quantum ego novi, apud nullum fiat mentio, ſi hæc obſervatio nonnullos memores reddiderit, jam uſu ſuo non caret.

DCC.

Urinam promovens ſevum umbilico applicatum.

JUvenis quidam viginti fere annorum, egregiæ indolis, optimæque, ſpei febre continua maligna correptus, illa ſic, ut per ſigna conſueta cognoſci nullo modo potuerit, indies incrementum ſumente, ut octavo die eundem neci dederit, fruſtra in uſum ductis vel laudatiſſimis medicamentis, (uti quidem proxima cognatione eidem cognata & adſtans quædam virgo narravit, ipſemet enim ejusdem curæ non præfui,) ſexto fere die, utut multum admodum biberit, urinæ tali obſtructione correptus fuit, ut per aliquot horas nec guttam illius excreverit, quod tum ipſum ægrotum tum adſtantes non parum perterruit, unde nec contenti iis, quæ medicus huic malo oppoſuit, remediis, quorumcunque accedentium conſilia itidem expetierunt, & ei inprimis, qui trium candelarum ex ſevo extremitates decerpere, easque liquefactas umbilico applicare juſſerunt, aures præbuerunt, & illico medicamentum ſic adhibuerunt; ſeu vero medicamenta urinæ movendæ dicata prius ſumta interea operationem ſuam exſeruerint, ſeu, quod in ejuscemodi caſibus novum non eſt, ſponte hæc ſucceſſerit, non ita diu poſt tantam ejusdem quantitatem excrevit, ut jam & nimia videri potuerit, quæ & medico, quia cruda extitit, haud abs re diſplicuit, illi tamen unice hoc memorato remedio tribuerunt, jamque conva-

leſcentiæ ſpem novam conceperunt: ſicuti autem novum non eſt, quod umbilico quoque, ut urina moveatur, adhibentur medicamenta, nec hic plane nullum cum veſica habet commercium, ita modo abſit omnis ſuperſtitio, & non tam extremitates, hæque in certo numero commendentur, quam ſevum quodvis ſic applicetur, remedium hoc tanquam tutiſſimum quivis medicus admittere poterit, at non neglectis ſimul magis convenientibus; ceterum cum ante plures annos virgo quædam febre etiam maligna decumbens crudam urinam in magna quantitate (non præcedente tamen obſtructione,) excernere cœpiſſet, eidem volatilia in longe majori quam conſueta doſi exhibita profuiſſe memini.

DCCI.

Icterus cum ardore Ventriculi.

MAtrona quædam triginta & quod excurrit annorum, duodecim liberorum mater, cum poſt ultimum puerperium menſes fere ſemper inordinatos habuiſſet, hiſce in ordinem regidendis varia dicata remedia in uſum duxit, quorum quædam non tamen diu votis ejusdem ſatisfecerunt; dum vero cum hiſce conflictatur malis, ſubitoque ſupervenienti alvi fluxui primo quidem Rhabarbarum toſtum hinc vero & Mithridatium Damocratis exoptato cum fructu opponit, brevi poſt laſſitudinem minus conſuetam notat, & ardore ventriculi tanto corripitur, ut is non parum eandem incommodaverit, nec tamen hujus ergo conſilium meum deſideraſſet, niſi ſimul Urinam excreviſſet ſic tinctam, ut cereviſiam, quam fuſcam nominant, colore retulerit, quæ febris malignæ latitantis ipſi metum injecit, unde, ut, quid mihi de eadem videretur edicerem, me vocavit, ubi vero vix inſpectam ictericorum ſimilem inveni, ipſamque etiam ægrotam hinc attentius inſpexi, & ejus faciem itidem flavo colore tinctam deprehendi, hincque jam de Ictero ulterius non dubitavi, & pulverem ex Pulv. Stomach. Birkm. atque Limaturæ martis æqualibus partibus conſtantem eidem præſcripſi, quo vix per octiduum continuato, non ſolum ardor ventriculi ſe remiſit, ſed & priſtinus tum faciei tum urinæ color rediit: Pars nempe bilis extravagantis ad os ventriculi tranſlata ardorem moleſtum concitaverat, aliis tamen quam conſuetis medicamentis ad eam in viam reducendam vix opus fuiſſe, eventus ſat felix confirmavit.

DCCII.

Partus in via ſuccedens.

MAtrona quædam nobilis tertio gravida cum cetera bene ſe habuiſſet, inſtante licet partus tempore, viam tamen per urbem ſic ſat longam pedes emenſa fuit, delataque eò, quorſum petiit, dolores quosdam notare cœpit

aliâs

aliâs partum antecedentes ; unde quantum in ſe quidem fuit, domum properavit, tandemque curru interea adducto aſcenſo, reditum paravit, at in via, media adhuc conſtituta dolores tantum augmentum ſumſiſſe notavit, ut partum inſtare adſidentibus indicarit, quæ vel ipſæ hoc notantes, ut apud amicum ibi habitantem diverteret, & huic labori vacaret, conſultum duxerunt, at dum domui appropinquant, tam vicinus interea fit partus, ut ſe movere ulterius non poſſe, parturiens teſtata fuerit, ſolicitæ itaque ſunt de obſtetrice adſtantes, & forte fortuna adeſt ea, quæ olim quoque eidem adſtiterat, vocata ergo accurrit, & quomodo ſe habeat indagans invenit, fœtus caput jam ſic genitalia occupaſſe, ut partus nec in alium locum nec aliud tempus differri poſſit, claudere itaque feneſtras currus jubet, & ut vel paululum ſecundet dolores continuo inſtantes parturientem rogat, illaque petito huic vix parum ſatisfaciente, illico partus ſuccedit, filiolusque editur: Ne vero tum hic nimium frigori exponatur, tum poſt ſecundinam excluſam ſanguinis nimius moveatur fluxus, obſtetrix editum fœtum, quantum poteſt linteis atque culcitra munit, utque jam domum vehatur, ſuadet, quod dum fit, illa fœtum manibus tenet, ſicque puerpera domum revertitur, ibique cum in atrio monuiſſet, ut nunc ſecundinam etiam aliquantum promoveat, & hæc facile atque feliciter ſubſequitur, unaque cum fœtu in ſuperiora domus deportatur, quo modo & ſtatim poſt mater in lectum ſuum translata fuit, & una cum filiolo ſuo, uti quidem obſtetrix mihi retulit, Dei gratia valet, nec habet, de quo queratur: Omnino autem obſtetrix puerperæ bene conſuluit, quod fœtu edito eam domum properare juſſit, cum in via parum commode expedienda adhuc expediri potuiſſent: Ne vero partui tam vicinæ longiores emetiantur vias, hoc exemplum easdem doceat, quod enim ſemper tam feliciter ſit ſucceſſurus tam properatus partus, non habent, unde ſibi certo promittere poſſent, nec ad minimum obſtetrix ſemper tam in tempore adeſt.

DCCIII.

Variolis brevi bis correpta.

TExtoris cujusdam filiola cum variolis ſic decubuiſſet, ut inde nec minimum quidem mali perceperit, hinc quoque nec medicamentis ſumtis earum excretionem promovit, nec vel in lecto detineri potuit, quin varia quoque ingeſſit, â quibus longe melius abſtinuiſſet, unde variolæ quidem nihilominus in non exigua quantitate eruperunt, conſuetum maturitatis gradum atttigerunt, & tandem exaruerunt etiam; at tantum abeſt, ut puella quoque melius ſe habuiſſet, ut potius nunc febricitare cœperit, & lectum tenere opus habuerit, quod Parentes, (cum præſertim natu major hâc filia itidem malis variolis communiter antecedentibus graviter corriperetur,) permovit, ut me

in conſilium vocaverint, ubi nullus dubitans, reſtitare adhuc quasdam variolarum reliquias ob non ſervatum regimen ſanguini redditas, ad has diſcutiendas atque ſudore expellendas Potiunculam convenientem ordinavi, qua vix ſumta convulſiones ſucceſſerunt, quæ & eadem iterata redierunt, at ſimul variolæ quoque iterum uti prius hinc inde eruperunt, & cutim hinc inde defœdarunt, unde demum reliqua mala evanuere, ipſaque poſt convaluit: Decentem itaque variolis decumbentium gere curam, niſi aut malum brevi revocare, aut & graviora hoc inducere volueris.

DCCIV.

Eryſipelas quarto & quinto rediens.

HAud ita pridem eſt, quod hiſtoriam ſuggeſſi Viri Illuſtris, qui, tum tertio Eryſipelate correptus ſanguine leporino parti affectæ mediante linteo impoſito auxilium magis quam in aliis remediis invenit, qui & tum Dei gratia ſic convaluit, ut non ſolum iter quoddam inſtituerit, ſed & uni alterive convivio interfuerit, inprimis non habere, quod à mali tam cita reditione ſibi metuat, me non diſſentiente ſperans; quia & Venæſectione conſueta ſanguinem ſibi ſubtrahi curaverat, utut vulnuſculo nimis parvo inflicto tantum ſanguinis, ac ego quidem deſideravi, ſubtrahi non potuerit, qui nempe cum unciæ fere quatuor effluxiſſent, ſponte ſubſtitit, nec promoveri conſuetis mediis ulterius potuit; Seu vero jam hæc minus ſufficiens ſanguinis ſubtractio minus contulerit, ſeu errores in diæta commiſſi merito accuſandi fuerint, ſeu abundarint adhuc in corpore particulæ plures ſulphureæ, qualibus quidem corpus hujus Viri abundare, nullum eſt dubium, ſeu quævis hæ cauſæ ſuum contribuerint, quod vix prius quartò iterum ſanguine leporino brevi debellatum fuerat eryſipelas, quinto rediit, & jam non tam de malo ipſo, quod quippe ſic ſat facile depelli poſſe, hactenus expertus fuerat, quam de ulteriori reditione, eos, quorum intererat, ſolicitos reddidit; & nunc quidem, in principio diutius quam aliâs parvi habito eodem quarto vel quinto demum die pedi denuo inſiſtere potuit Illuſtris ægrotus, at, cum non ſolum ſcarificationem me ſuadente inſtituiſſet, ſed & nunc martiati medicamenti olim jam commendati uſum ſedulo continuaſſet, inde tandem in pede ulcuſculum ſubortum fuit; fonticulum de induſtria inuſtum exacte referens, quod per aliquot dies pus licet in non ita magna quantitate fudit, tandemque conſolidatum fuit; cum vero in principio una cum ſanguine leporino etiam ducatum aureum corvi figura conſpicuum in hoc malo â multis magni habitum parti affectæ impoſuerit, ſucco etiam rutæ murariæ, quem nonnemo inprimis commendavit, eandem ſæpius perfricarit, inprimis autem medicamentum memoratum adhuc continuet, & ſcarificationem iterarit, quod jam per integrum

menſem

mentem non rediit malum diutius nunc non rediturum una mecum ſperat, qua ſpe ut potiamur, eſt, quod animitus voveo: quamdiu nempe eryſipelatis ſemel hominem invadentis vel minimæ reſtant reliquiæ, hiſce ſanguinem bonum ad partem olim affectam delatum inficientibus facillime prius malum reproducitur; ſicuti vero hic morbus aliquoties in partis affectæ exulceratione terminatus fuit, quod haud ita pridem nova obſervatione confirmavi, ita, quia huic, ſi vel præter ſpem ſæpius Eryſipelate corriperetur, ulcuſculum arte in pede quoque inductum non parum eſſet profuturum, ego quidem nullus dubito.

DCCV.

Convulſiones cum dolore capitis veſicatorio inhibitæ.

PUella illa, cujus ſupra memini, quod nempe ſeptenni febris purgante ſumto reſuſcitata fuerit, cum poſt hanc iterum devictam per aliquot dies ſic ſat bene ſe habuiſſet, ſubito de dolore capitis tam intenſo queri cœpit, ut quicquid etiam mater ad eam ſolatio erigendam protulerit, quæcunque medicamenta applicaverit, nunquam tamen ejulare deſierit, ſed identidem, quantum doleat caput, voce querula repetierit, unde cum præſertim motus convulſivi brachii inprimis ſiniſtri accederent, me denuo nobiliſſima mater vocavit, & ego varia medicamenta tum mitigando dolori capitis, tum convulſionibus inhibendis dicata eidem præſcripſi, quibus vel diligentiſſime in uſum ductis malum nec minimum quidem ceſſavit, quin paralyſis lateris ſiniſtri ſupervenit, cum convulſionibus inſtantibus, quæ latus motu aliâs nunc deſtitutum ſic moverunt, ut in principio motum rediiſſe, credideirm, qui tamen ſemper ceſſantibus vel minimum convulſionibus iterum ceſſavit; non ſolum vero dolor capitis ſat vehemens continuò inſtitit, ſed & ipſæ convulſiones dolorem non parum moleſtum intulerunt, quas etiam inſtantes fere ſemper prædicere potuit: nil quicquam igitur vel præſtantiſſimis medicamentis proficientibus, & capillis etiam abſque fructu reſciſſis, veſicatoria tum poſt aurem lateris affecti, tum in pede ejusdem applicare juſſi, quæ Dei gratia tantum profuere, ut vix apertis veſicis excitatis non ſolum omnis capitis dolor ceſſaverit, ſed & convulſiones omnino remiſerint: unde nunc non niſi cum Paralyſi reſtitante bellum gerendum reſtat; cui hactenus Dei gratia non omnino fruſtra remedia oppoſita fuerunt: Sicuti vero ex hac obſervatione denuo elucefcit, quantum proſint Veſicatoria in tempore adhibita; Ita ne convulſivis paralyticorum motibus decipiamur, motumque depravatum pro reſtituto habeamus ſimul diſcimus.

DCCVI.

Convaleſcentis ſymptomata depulſa.

MAtrona illa nobiliſſima, cujus graviſſimam Anginam haud ita pridem deſcriptam dedi, utut tantum non omnis faucium dolor ſe remiſerit, & ſat commode jam quævis iterum deglutire potuerit, utut omnis febris depulſa fuerit, de difficili tamen reſtitante reſpiratione & appetito adhuc proſtrato non parvas movit querelas, licetque purgans exhibitum, Rhabarbarum item & Elix. profuiſſe in principio viſa fuerint, rediere tamen paulo poſt eadem mala jam propterea magis ſuſpecta, quia vires quoque indies non tam reſtitui quam magis deficere videbantur, unde puſillanimis evaſit, & de perfecta reſtitutione fere deſperare cœpit; at ſicuti ego non niſi paulatim vires colligi, exemplis demonſtravi, ita difficilem reſpirationem aliunde quam ab his deficientibus vix derivandam eſſe ſtatui, quibus & appetitus proſtratus ortum debuit; ut tamen quantum quidem fieri poteſt, & virium collectio promoveretur, præter victum convenientem pulv. ex analept & Specific. Cachect. conſtantem eidem præſcripſi. qui Dei gratia tantum profuit, ut, cum poſtmodum iterum eandem viſitaſſem, ſe nunc non habere, de quo queratur, teſtata fuerit: Et in viribus â morbo conſumtis ergo martiata non prorſus fruſtra adhibentur.

DCCVII.

Tonſillarum intumeſcentiam comitans febris.

VIri cujusdam celebris filia tredecim annorum, olim quidem catarrhis ſæpius obnoxia & hinc auditus difficultate laborans, cetera tamen ab illo inprimis tempore, quo tributum lunare ſolvit, ſanitate integra Dei gratia fruens ante bimeſtre fere primo quidem de dolore capitis queritur, pauloque poſt tam male ſe habet, ut & in lectum ſe conferre opus habuerit, ubi primo quidem frigore hinc vero & calore p. n. correpta fuit, quibus malis ſub veſperam invadentibus mater Tincturam Bezoarticam oppoſuit, febreque nihilominus inſtante, & inprimis caput erectum ſervare nequiente filia, ſequente die me vocavit, ubi febricitare eandem ſtatim abunde tam ex pulſu quam reliquis ſignis patuit; & quoniam de faucium dolore deglutionisque difficultate ſimul conqueſta fuit, illis inſpectis tonſillas non parum tumefactas & aliquantum inflammatas inveni, hincque febrim excitatam fuiſſe, nullus dubitans, huic quidem medicamenta convenientia oppoſui, at ut & tonſillarum inprimis decens geratur cura, ſerio monui, non ſolum itaque Chirurgum vocare & per hunc gargariſmum injicere juſſi, verum & tum Cataplaſma exterius applicandum tum Sirupum poſt gargariſmum in uſum ducendum præſcripſi, quæ

Dei

Dei gratia ſic profuerunt, ut tertio die de faucibus ulterius non fuerit conqueſta, febrisque ſimul omnino deſierit, unde jam abundare in corpore pituitam notans, huic evacuandæ deſtinatam Potiunculam præſcripſi, quæ non ſolum, quod quidem deſiderabatur, præſtitit, verum & urinam, quam hactenus parce admodum reddiderat, ſic movit, ut jam in debita quantitate eandem excreverit, alioque quam catarrhis dicato medicamento non habuerit opus, quibus nunc Eſſ. Succini oppoſui, ſicque eidem valedixi: Quando nempe conſtat, unde febris originem trahat, modo cauſæ huic rite obviam eatur, ea haud ita difficulter curabitur, unde, ut cauſam veram indaget, nunquam nimium ſolicitus poteſt eſſe medicus.

DCCVIII.

Febris poſt puerperium exactum brevi curata.

RUſticus quidam ê pago Biburg/ milliari ab urbe diſtante hiſce diebus me accedit & urinam Uxoris affert, utque ex hac, tum quo morbo laboret judicem, tum convenientia ſuggeram medicamenta, rogat, ubi cum ante duos menſes ipſam peperiſſe, jamque de dolore ventriculum gravante inprimis conqueri, ſimul maritus referret, urinaque non tam nimium tincta quam turbata valde exiſteret, gravari Ventriculum forſan â cibo nimio ingeſto, humoribusque hinc peccantibus judicavi, & hinc, ut hi exturbarentur, medicamentum vomitorium præſcripſi; quod aliquot vomitus movit, & levamen quoddam quidem attulit, at inſtans calor p. n. jam alia quoque requiſivit medicamenta, quæ præſcripta brevi Dei gratia eundem extinxerunt; Decocto vero Hordei quod primo commendaveram, at ruſtica gens tam brevi poſt puerperium minus conducere credidit, illud quod ex Limatura C. C coquitur, ſubſtitui; Plerumque nempe febres puerperarum ortum ſuam trahunt â nimia ciborum ingeſtione, unde, ſi inprimis tantum temporis ſpatium jam effluxit, ceteraque non prohibent, vomitoria iisdem non absque fructu exhibentur.

DCCIX.

Icterus urinæ prius quam cutis colorem mutans.

VIrgo quædam quatuordecim fere annorum, tenerrimæ conſtitutionis, olim ob inſigniores hæmorrhagias aliquoties mortis periculo expoſita, cum hæ diligenter continuata Eſſentia Abietis jam per bene longum temporis ſpatium non rediiſſent, habilior etiam fieri cœpit, & cetera Dei gratia ſat bene ſe habuit; unde mater ejusdem amantiſſima non parum perterrita fuit, cum ſubito de laſſitudine inconſueta, inappetentia & pondere pectus gravante conquereretur, calere etiam nimium, vel ex tactu, judicare poterat, & me propterea in conſilium vocavit, ubi quidem, de variolis tum hinc inde graſſentibus,

quibusque hactenus nunquam laboravit, in principio cogitavi, & hinc has promovens medicamentum eidem præſcripſi, quo ipſo & calori nimio me obviam iviſſe, ſponte conſtat; at utut hic per noctem ſe remiſerit, inſtitere tamen reliqua mala, & jam vomitus quoque quorumvis aſſumtorum acceſſit, cum dolore capitis non parum moleſto, urinaque excreta tam tincta erat, ut Ictericorum ſimilis extiterit; unde, utut nec minimum quidem in facie notare potuerim, de hoc tamen malo cogitavi, cum præſertim paulo ante hoc ipſo malo ſoror ejusdem natu minor decubuiſſet, vixque ante paucos dies convaluerat; hincque martiata eidem cum aliis medicamentis exhibui, quæ non ſolum reliqua mala imminuerunt, ſed &, ut jam quibusvis conſtiterit, Icterum eſſe, quo hæc Virgo laboret, effecerunt, unde jam aliis, quam hiſce medicamentis non eſſe opus, judicans, Eſſentiam ex hoc metallo paratam, quæ ſorori inprimis profuerat, ipſam quoque ſumere juſſi; ſed cûm vix bis ſumſiſſet, hæmorrhagia narium ſupervenit, quod illico Mater per ancillam mihi indicavit, & an nihilominus ſit continuanda? interrogavit; egoque memor, olim cuidam puero hanc ipſam Eſſentiam ſimilem fluxum concitaſſe, eam ſeponere juſſi, illique pulverem ipſius martis ſubſtitui, quo vix per quatuordecim dies continuato paulatim Dei gratia priſtinus faciei ſat elegans color rediit, ſanitateque jam integerrima fruitur: Ex quibus ſicut conſtat, urinam icterum quoque, antequam alio modo oculis exponitur, interdum prodere, ita quantum proſint in hoc morbo martiata ſimiliter confirmatur.

DCCX.

Febris purgante demum exhibito curata.

MErcatoris cujusdam olim Ulmenſis filiolus ſex fere annorum, ſubito à febre ſat vehemente proſternitur, quam primo pro prodromo Variolarum habens mater, ei pulverem Pannonicum exhibuit, hoc vero nec dictas puſtulas promovente, nec calorem vel minimum imminuente, ego vocatus fui; ubi per aliquot quidem dies medicamentis variis diaphoreticis eidem obviam ivi, nunquam tamen penitus depellere potui, ſed interdum notanter remittens & licet inordinatè rediens, ſuſpicionem humorum peccantium in primis viis latentium mihi movit, & hinc ut purgans puero præſcripſerim, commovit; quo ſumto illico omnis febris Dei gratia ceſſavit, puerque cum ſanitate in gratiam rediit: Adeo quidem purgantibus in puerorum præcipue morbis vix carere poſſumus, ut, ſi vel maxime in principio per quædam contraindicantia eadem exhibere non potuerimus, niſi tamen tandem in uſum ducantur, morbus difficillime curetur.

DCCXI.

Febris intercedente arthritide poſtmodum aucta.

BUrſarii cujusdam filiolus undecim annorum cum minus bene ſe habere, Parentibus indicaſſet, hi urina miſſa conſilium meum deſiderarunt, ubi ex eadem perſpiciens, abundare corpus ejusdem humoribus vitioſis, craſſum enim illa & viſcidum habebat ſedimentum, purgante hos exturbandos eſſe, neceſſum judicans, tale medicamentum præſcripſi, quod ſumtum aliquot quidem ſedes movit, at puer inde non tam melius ſe habuit, quam jam de colore præſertim p. n. queri cœpit; unde Pater ut ipſe accederem, rogavit, cui petito ſatisfaciens puerum febricitantem inveni, & hinc febrifuga eidem ea præſcripſi, quæ aliâs in febribus continuis præſcribere ſoleo, harum enim claſſi hanc inſerendam eſſe, ſufficienter conſtabat, quæ cum vix per biduum diligenter in uſum duxiſſet, febris quidem omnino ceſſare videbatur, ſuccedebantque dolores artuum præſertim tam moleſti, ut arthritide nunc eundem laborare nullus dubitaverim; unde & huic malo pulverem convenientem oppoſui, qui quidem itidem quod deſiderabatur, præſtitit, at doloribus remittentibus, reſtitante eo, qui caput à principio morbi occupaverat, febris tanta cum vehementia rediit, ut jam iterum quævis tela medica in hanc dirigenda fuerint, quibus nunc per aliquot dies non adeo multum profectum fuit, indies enim febris augmentum ſumebat, & vires pueri ſic proſternebat, ut nec caput erigere potuerit, at nihilominus ſedulo continuatis iisdem tandem paulatim calor nimius extinctus fuit, jamque & vires priſtinæ redierunt: Ex quibus qui collegerit, arthriticis doloribus febri ſuccedentibus nihilominus febris adhuc rationem eſſe habendam, non fruſtra hanc obſervationem legit.

DCCXII.

Inſomnium idem ſomniantes Conjuges.

UNa mecum forte fortuna Illuſtrem quendam ægrotum viſitaverat Matrona quædam veritatis amantiſſima, ubi cum præter alia quædam inſomniorum mentio fieret, illa narravit, quod ante aliquot annos mane paulo antequam evigilaverit, per inſomnium in quodam quidem loco currum ſuum expectaverit, at fruſtra, ſicque pedes domum redire coacta fuerit; quod dum Marito narrare voluerit, illum antequam quidem vel verbum protulerit, ſimile plane inſomnium narraſſe, ut adeo dubitaverit, an non ſomnians verba quædam protulerit, ex quibus is ſomnii ſui certior factus, jam hoc idem & ſibi viſum fuiſſe, per jocum referat, at eum ſerio teſtatum fuiſſe, ſe revera ſic ſomniaſſe: Quin eodem adhuc die accidit, quod, dum equus ſolea ſua ferrea ſe ipſum læſit, nobiliſſimum hoc par ſomnia completa vidit; quæ

propterea communicatione digna judico quoniam rariſſime continget, quod duo idem plane ſomnient ſomnium.

DCCXIII.

Venæſectio dubiæ an conceperit? non conceſſa.

MAtrona quædam triginta annis major, ad Scorbutum proclivis, cum nuper in puerperio varia graviſſima mala perpeſſa fuiſſet, illud tamen Dei gratia ſana reliquit, ſextaque fere poſt partum hebdomade tributum lunare rite ſolvit; at ab illo tempore menſium fluxum non habuit, ſed caloribus, quos volaticos nominant, multum divexata fuit, adeo ut ſomnum capere vix potuerit, & vel hyemali tempore, lecto remoto, ſub ſolis linteis in eodem decubuerit; Subſidium itaque in Venæſectione ſe inventuram ſperans me propterea conſuluit, ſimul vero interrogata reſpondit, ſe ejuſcemodi caloribus ſemper hactenus, quando conceperit, divexatam fuiſſe, unde ego, ut aliquamdiu expectet, conſultum duxi; vicariam tamen Venæſectionis ſcarificationem conceſſi, &, ut pedibus inprimis urentibus quodammodo conſuleret, pediluvium ex ſale & cinere cum aqua infuſis parandum commendavi, ſanguinique corrigendo dicatam Eſſent. Abietis præſcripſi, & hanc eandem quotidie bis ſumere juſſi: Venæſectio nempe iis, quæ de conceptione dubitant, vix ita tuto conceditur, cum tam mature præſertim inſtituta facile abortum promoveat, hincque hactenus ſemper fere in talibus caſibus conſultus non tam hanc conceſſi, quam alia convenientia remedia præſcripſi.

DCCXIV.

Metus ab hydrope.

MErcatoris cujusdam Uxor quinquagenaria major, cum aliquamdiu menſes fluere deſiiſſent, primo quidem communibus illis malis, caloribus nempe volaticis & difficiliore reſpiratione laborans, hæc quidem ceſſanti huic fluxui adſcripſit, & hinc minus curavit, nec medicamentis propterea ſe opus habere, credidit; verum enim verò cum hæc indies augerentur, & abdomen intumeſceret, ab hydrope ſibi metuere cœpit, & hinc me conſuluit, ubi, cum urinam quoque ſe in haud adeo magna quantitate excernere retuliſſet, & hæc tinctior eſſet, metum ejusdem non prorſus vanum nominare potui: ut ergo ſtagnans in abdomine ſerum, quantum fieri poteſt, ſubduceretur, purgans ex Jalappa præſertim conſtans eidem præſcripſi, quod ſæpius alvum cum levamine movit, ut adeo, cum poſt hoc ſumtum Electuarium martiatum per aliquot dies in uſum duxiſſet, num illud iterare liceat, interrogaverit, quod & conceſſi; nec minori cum fructu purgans iteravit, cum paulo poſt dono miſſo, jam Dei gratia ſic ſat bene ſe habere per filiam indicarit, ſimulque denuo

nuo interrogarit, an, ſi forſan abdomen iterum intumeſcat ſæpius iterare illud liceat? quod omnino conceſſi: ad hydropem enim proclivibus ſi ſemel bisve purgantia profuerint, eadem tutiſſime ſæpius iterari, ſæpiuſcule jam obſervavi.

DCCXV.

Caffee & Thee potus feliciter ſibi invicem ſubſtituti.

PIſtor quidam longæ ſtaturæ & quinquagenario major, cum jam diu tuſſi non parum moleſta laboraſſet, varia quoque eidem ſedandæ dicata remedia adhibuit, cumque quædam, quæ aliquamdiu juvarunt, difficilem tamen reſpirationem poſt ſe traxiſſent, tuſſire quam tam difficulter aerem trahere malens à medicamentis per bene longum temporis ſpatium abſtinuit; at cum Uxor, ne tandem exitium afferret tam contumax tuſſis, metueret, pharmacopœum quendam propterea conſuluit, qui multis tam gratum hodie potum Decocti Caffee eidem commendavit, quem & Piſtor bibere cœpit, tanto cum fructu, ut jam tuſſis ſic remiſerit, ut tamen poſtmodum difficilius non reſpirarit, unde & hunc potum diutius continuaſſet, niſi pretium ipſi nimium viſum fuiſſet, (comparabat enim ſingulas Decocti ſcutellas ſeorſim, quo modo brevi non parum pecuniæ inſumitur,) hac de cauſa ergo ad alios hanc rem detulit, qui infuſum Herbæ Thee ut huic ſubſtituat, ſuaſerunt, ſimul quomodo ipſe parare poſſit, docentes; cumque & hoc in uſum duxiſſet, æque ac prius Decoctum Caffee profuit, quod nuper Uxor ejusdem retulit, cui ego, ſi & hoc nimis carum videatur, Veronicam commendavi, quam quippe in tuſſi præſertim idem præſtare, ſæpius expertus fui: Utut nempe huic decoctum Caffee, illi Infuſum Thee magis arrideat, in quibusdam etiam malis unum altero præſtet, ſæpiuſcule tamen ſic ſat commode hos potus ſibi invicem ſubſtitui poſſe, hæc obſervatio confirmat, ſæpeque hinc medicus tuto ad guſtum ægroti ſui in præſcribendo tali potu ſe accommodare poterit.

DCCXVI.

Tuſſis ſymptomaticæ cura.

HUjus Piſtoris filia paris fere cum Patre ſtaturæ, viginti ſeptem annorum Virgo, cum per aliquot menſes menſium fluxus ſubſtitiſſet, inde primo difficilius reſpirare, hinc pallere tandemque ob laſſitudinem magnam accedentem ad quosvis labores ſolitos perficiendos indies magis inepta fieri cœpit, quod matrem permovit, ut me propterea conſuluerit, & ego præmiſſo purgante in marte præſertim auxilium quærendum eſſe exiſtimans, hujus pulverem quotidie in uſum ducendum præſcripſi, quo bis terve ſumto, tuſ-

ſis, cujus prius non meminerat mater, tantum eandem vexavit, ut, ut huic præſertim remedia opponam, me vocaverit, ubi accedens non tam martem ſeponendum, quam hujus uſui Thoracica quoque & Uterina medicamenta conjungenda eſſe, judicavi, & hinc Infuſum ex Hb. Veronic. & Meliſſ. præſertim coquendum ordinavi, hocque poſt pulverem ſumtum bibere juſſi; quo cum aliquamdiu uſa fuiſſet, Dei gratia omnis tuſſis ceſſavit, & reliqua quoque mala non parum imminuta fuêre, at menſibus nondum redeuntibus, martem nihilominus continuare juſſi, pulverisque forma eidem minus grata exiſtente Electuarium huic ſubſtitui: Ut vero magis pateat, in quorumvis morborum Symptomatibus, ſubinde non ſolum requiri, ut eorum quoque habeatur ratio, verum & hanc ſæpiuſcule fruſtra non haberi, hæc communico, & quibusdam non omnino non profutura, ſpero.

DCCXVII.

Urinæ difficultas curata.

VIr quidam pauper, ſexagenarius fere, non ſolum diſtorta habens crura, ſed &, vitioſa hac conformatione ſine dubio non parum conferente, aliquoties motum ſanguinis in iisdem adeo impeditum paſſus, ut, niſi Spiritu Vini Camphorato inprimis impediviſſet, gangræna aut & Spacelus facile brevique imminuiſſent; cum per annum fere & quod excurrit ab his malis immunis vixiſſet, ſubito notat, quod urinam ea, qua olim facilitate ulterius excernere non poſſit, quoniam vero in principio hoc malum nullus dolor comitabatur, parum de eodem fuit ſolicitus, atat hoc accedente & Urina indies parcius ſuccedente, ne gravius ſubſit malum, metuere cœpit, & hinc meum deſideravit conſilium; egoque pulverem ex lapid. ♋. pp. & Tereb. Venet. cocta præſertim conſtantem eidem præſcripſi, quem cum vix per aliquot dies in uſum duxiſſet, jam promtius iterum urinam reddidit, dolorque ceſſavit, at turbida fuit & viſcidis particulis repleta, quam nunc excrevit urina, unde hunc ipſum pulverem aliquamdiu adhuc continuare juſſi: Laudem nempe omnino in ejuscemodi malis Terebinthina meretur, niſique cauſæ altiores ſubſint, raro fruſtra in uſum ducetur.

DCCXVIII.

Variolas antecedens & ſubſequens vomitus.

VIri hujus filius unicus, cum prius ſic ſat bene ſe habens ſubito vomitibus continuo inſtantibus corriperetur, hisque calor etiam p. n. accederet, & cetera tam male ſe haberet, ut in lecto ſe detinere opus habuerit, matrem hinc adeo perterruit, ut graviſſima quæque metuens meum conſilium anxia expetierit, urinam afferens non parum tinctam; febricitare hunc Juvenem ex

ex quibusvis ſignis colligens, ne, donec qualis ſubſit febris, certius conſtaret, quippiam, ſi forſan malignitas ſubeſſet, quod ad hanc domandam requiritur, negligeretur, Potiunculam Alexipharmacam ter ſumendam præſcripſi, quam vero ſumtam ſemper vomitu rejecit, ut adeo jam in hunc etiam tela medica eſſe dirigenda mecum ſtatuerim, unde Eſſ. Catechu aliquoties exhibere eidem juſſi, qua ſumta vomitus quidem remiſit, at inſtitit febris, cujus comes anxietas ut non omnem prorſus malignitatem abeſſe, ſuſpicatus fuerim, & hinc alexipharmaca continuare juſſerim, me commovit, jamque mater, filium febre maligna laborare nulla dubitavit, cum exanthemata in cute hinc inde erumpentia vidiſſet, quæ tamen ego, quia jam ſubito quaſi quævis reliqua mala ceſſabant, pro incipientibus Variolis habui, jamque pulverem quem hoc morbo decumbentibus cum fructu exhibere ſoleo, & huic præſcripſi, nec me in opinione mea falſum fuiſſe, mater brevi poſt læta retulit; cum vero filius jam convaluiſſet, at nimium cibi ingeſſiſſet, diarrhœa ſupervenit, quam exhibito pane toſto ſuppreſſit mater; unde ſtatim dolorem ventriculi gravativum notavit, cum vomitu, cui ſanguis immixtus erat, iterum ergo conſultus ſicut hunc vomitum ab intemperantia, & ſanguinem â vomitus vehementia derivavi, ita Rhab. toſtum eidem oppoſui: Non vero habes, quod tibi ab ejuscemodi vomitibus metuas, cum hoc præſertim anno ante variolas plures incommodarint, nulli tamen quantum ego novi, noxii extiterint, niſi que nimium cibi hic ingeſſiſſet, variolis devictis illi non ſucceſſiſſent.

DCCXIX.

Catarrhus pene ſuffocans ab ira commotus.

MErcatoris cujusdam Uxor, quadragenaria major, toto corpore jam diu conſumta & ſub hypochondriacorum claſſe per aliquot annos militans, licet aliquoties tum coram marito & aliis propinqua cognatione ſibi conjunctis tum coram me, quam male ſe habeat, conqueſta fuerit, non tamen tam ea quæ ei recommendata fuerunt medicamenta in uſum duxit, quam ſufficere, modo aliis mala ſua detexerit, ſibi imaginata fuit; unde, cum ante trimeſtre ferme prius catarrho aliquamdiu laboraſſet, & quadam veſpera ad iram commota fuiſſet, huicque adhuc indulgens in lectum ſe contuliſſet, ſero extravagante ſubito partes reſpirationi dicatas occupante, hæc tantum impedita inde fuit, ut non ſolum vix aerem trahere potuerit, verum & verbum nullum protulerit, quod quibusvis remediis, quæ domeſtica vocant, fruſtra in uſum ductis, maritum adeo perterruit, ut poſt mediam noctem me in conſilium vocaverit, & accedens ego ipſam non tam de malis ſuis conquerentem, quam in lecto ſedentem & â ſuffocatione jamjam imminente ſibi metuentem inveni, quod & geſtibus, quantum potuit, indicavit; cum vero pulſum explorans eum

eum â naturali non adeo multum receſſiſſe, & hinc ſanguinis motum ſic ſat adhuc conſtare, deprehendens, illam bono animo eſſe juſſi, medicamentumque quoddam, cujus præcipuum ingrediens ⊖ Vol. Oleoſ. Sylv. conſtituerat, eidem præſcripſi; quo vix bis ſumto facilius reſpirare, & hinc metum à ſuffocatione paulatim deponere cœpit, quin cum ſequenti mane illam iterum viſitaſſem, jam quæ voluit proferre, & quam male ſe habuerit, indicare potuit; Viribus ergo permittentibus, & quibusvis ſignis non adeo parvam humorum in primis viis peccantium ſaburram prodentibus medicamentum leniter purgans eidem præſcripſi, quod ſumtum aliquoties alvum movit; unde nunc reliquis quoque malis, capitis nempe dolori accedenti & catarrho adhuc inſtanti medicamentis convenientibus obviam ivi, quæ quidem levamentum attuliſſe, retulit; at cum purgantis operationem ſolita fere ſemper alvi obſtructio ſubſecuta fuiſſet, huicque me licet ſuadente nec Clyſtere nec ſuppoſitorio obviam iviſſet, verum cibis ſolum laxantibus eam reſerare tentaſſet, inde quarto die tam male ſe habuit, ut & animi deliquium acceſſerit, quod ipſam magis quam prius difficillima reſpiratio perterruit, unde paulo ante mediam noctem me vocavit; antequam vero acceſſeram, jam ad ſe redierat, unde confortans præſcriptum eo magis profuit; jam vero ut alvus reſeraretur, ipſamet Clyſterem expetiit, qui applicatus voto ſatisfecit; ut autem & dolor capitis inprimis inſtans depelleretur, & vires redirent, medicamentis antehypochondriacis præſertim obtineri poſſe nullus dubitans, hæc aliquandiu ut continuarit, obtinui, quibus aliquando purgans interpoſui, cum aliquoties etiam de torminibus ventris conqueſta fuiſſet, quod in principio quidem ob tardiorem operationem quasdam creavit moleſtias, at poſtmodum non parum profuiſſe conſtitit, cum ab illo tempore indies Dei gratia melius ſe habuerit, & tandem in uſum etiam ducto Elix. Aper. Clauderi convaluerit: Quo diutius nempe iis, quæ ſanitati noſtræ inſidias ſtruunt, non occurrimus, eo graviora poſtmodum poſt ſe trahunt mala.

DCCXX.

Variolis quædam quæ modo conceperat, correpta.

MErcatoris cujusdam Uxor, viginti annis non multo major, cum virgo adhuc menſes ſemper ſic nimios habuiſſet, ut facie colorem plane pallidum induerit, & interdum medicamentis refrenandus fuerit hic nimius eorundem fluxus, haud ita diu in conjugio vivens ſe quidem concepiſſe credidit, at nondum elapſo trimeſtri primo lumbi eidem dolere cœperunt, hinc verò menſes fluere, una cum quibus maſſam informem excrevit, jamque nimia ſanguinis profuſione iterum accedente me propterea conſuluit, ſingulisque utero peregrinis jam rejectis haud ita difficulter eidem opem tuli, ſanguinisque fluxus

non

non ita multis in uſum ductis medicamentis inhibitus fuit; at jam ne redeant hæc mala, potiusque in poſterum conceptio ut rite ſuccedat, ſolicita tum ipſa, tum mater, me impenſe rogarunt, ut conſilia ſuggeram; & ego blande ſubductis acrioribus humoribus balneum ex Lapide Krumbacenſi & herbis convenientibus coquendum eidem commendavi; quod cum rite in uſum duxiſſet, ab illo tempore bis terve menſes & quidem in debita quantitate depoſuit, cetera que itidem Dei gratia ſic ſat bene ſe habuit; unde, cum iterum ſubſiſtentibus menſibus poſt ſex fere hebdomadas, non ſolum lumbi dolerent, verum & jam frigus in toto corpore, jam calorem nimium perciperet, & vix extra lectum degere poſſet, anxia, ne iterum aut abortus aut mola ſuccedat, me conſuluit; egoq; accedens, utut conceptionem ſubeſſe ariolatus fuerim, febris tn. juxta notata non prorſus nullam mihi hujus falſæ injecit ſuſpicionem; unde huic quidem quædam medicamenta oppoſui, at talia, quibus vis quoque quædam abortum prohibendi tribuitur, Corallia rubr. pp puta, UniCornu marinum, & quæ ſunt ſimilia, quibus vix per biduum in uſum ductis maculæ in cute notatæ fuerunt, quales in principio variolarum notantur, quas & hic erupturas vel ideo facilius credidi, quia illis hactenus nunquam laboraverat, & ſoror ejusdem natu minor hiſce demum diebus ab hoc malo convaluerat, unde blanda diaphoretica continuavi, quæ brevi puſtulas memoratas ſic expulerunt, ut jam & ipſa pro talibus agnoverit; quia vero paucæ fuerunt, & vix numerum quadragintarum exceſſerunt, vix adeo multum moleſtiæ eidem fecerunt, unde & elapſis tribus fere hebdomadis Dei gratia convaluit; at nunc ſemper plura eaque certiora conceptionis indicia ſucceſſerunt, qua de cauſa, quæcunque hanc conſervare poſſunt, diligenter adhibita fuerunt: ſic vero ſemper, quando quæ conceperint, febri corripiuntur, huic obviam eſt eundem, ne fœtui noxa inferatur, neque nimium conceptioni ſoli adſcribamus, juxta ſoliciti ſimus, ne tali modo neglecta forſan febris incrementum ſumat, & fœtum cum matre perimat.

DCCXXI.

Febris frigore admiſſo reproducta.

HÆc ipſa Matrona, cum febris jam plane extincta fuiſſet, & modo deſcripta Variolarum principia in eadem notarentur, quadam nocte, lecto non probe tecta, aliquamdiu corpus aeri frigidiuſculo expoſuit, hincque ſtatim pejus ſe denuo habuit, quin febrim reproductam fuiſſe, cum ſequenti diem eam viſitarem, deprehendi, hincque in cauſas inquirens, eorum, quæ modo memoravi, certior factus fui, & ut hæc febris iterum depellatur, ſudori vacare eandem juſſi, cui quoque fruſtra non vacavit, dum paulo poſt febris iterum ceſſavit: Quantum vero requiratur, ut ejuscemodi exanthemati-

bus decumbentes aëris injurias avertant, cùm hæc obſervatio confirmet, eam fruſtra non fuiſſe productam totus ſpero.

DCCXXII.

Quartana acetario ex Cichorio curata.

MErcator quidam non ex infimis, cum una mecum apud communem nobis amicum pranderet, & inter alia Radices Cichorii loco acetarii apponerentur, retulit, ſe ante plures annos Uratislaviæ febre quartana ſic ſat diu decubuiſſe, pluribusque medicamentis fruſtra in uſum ductis tandem acetarium comedendi lubidinem ſe inceſſiſſe, an tamen huic tuto ſatisfacere liceat, medicum ſe prius interrogaſſe, qui hoc quidem conceſſerit, at ut ex Cichorio paretur, ſuaſerit; Sicuti vero ſibi perinde fuerit, modo acetarium nominari potuerit, quod concedebatur, ita ex radicibus hiſce paratum ſe brevi poſt non ſine ſumma quadam delectatione nec in adeo parva quantitate ingeſſiſſe, eoque ipſo, quemadmodum appetitui ſuo ſatisfecerit, ita longe majus adhuc beneficium ſe nactum fuiſſe, dum ab illo tempore febris ulterius non redierit: Quod, ſicut pro communi illo aſſerto, quod febres, ſi illis laborantes appetitui vehementiori indulgeant, tollantur, quodammodo militat, ita ſine dubio tamen ipſum Cichorium hîc plurimum contulit, dum jamdudum inter ea medicamenta locum invenit, quæ uti reliquis ita & huic præcipue febri haud abs re opponuntur, ob paticulas quibus abundat tum penetrantibus, tum corruptioni reſiſtentibus amaris, & ab hoc in majori quantitate ingeſtum, ac quidem, ut quis loco medicamenti ſumeret, facile perſuaderi poſſet, ututaceto magis corruptum quam correctum fuerit, tantum tamen profuit.

DCCXXIII.

Phthiſis inſanabilis.

VIr quidam ruſticus, Uxoris ſuæ nondum quadragenariæ urinam affert, ſimulque refert, eam jam per aliquot annos tuſſi laborare, quæ per annum & quod excurrit, difficillimam reſpirationem comitem habeat, cui, utut varia â balneatore ſuggeſta medicamenta hactenus oppoſuerit, tantum tamen abeſſe, ut malum inde vel minimum ceſſaſſet, ut potius jam toto corpore ſic conſumta ſit, ut non niſi cutis oſſibus hæreat, omnesque, quæ eam viſitent, de ejusdem convaleſcentia deſperent, cumque ſimul tum ſputum purulentum eſſe, tum pedes ſubinde intumeſcere, de hiſce interrogatus reſpondiſſet, phthiſi inſanabili ipſam laborare judicavi, & hinc una cum marito ſtatui, multis medicamentis illam potius incommodari, quam juvari poſſe; ne tamen omnino derelinqueretur, Pulv. Anonym. uſum eidem commendavi,

vi, qui quippe phthiſicis ſubinde levamen quoddam affert: Forſan vero hæc curari potuiſſet, ſi in tempore malis ſuis rite obviam iviſſet, cum ex utero primum originem ſuam traxiſſe, quædam mariti relata prodiderint, at raro hujus ſortis homines prius medicos conſulunt, quam quando mala ſua jam tantas egere radices, ut iisdem extirpandis hi ulterius non ſufficiant.

DCCXXIV.

Anaſarca à pomis in nimia quantitate ingeſtis.

SArtoris cujusdam filius, quindecim annorum, ſubito toto corpore intumeſcit, difficilius reſpirat, & non niſi ſumma cum moleſtia quosvis labores perficit, quod matrem ejusdem, cum me filiolæ variolis decumbentis ergo vocaſſet, permovit, ut hujus ergo itidem conſilium meum deſiderarit, ubi, cum paulo ante ſaniſſimum eundem noviſſem, unde tam ſubito tantum mutatus ab illo fuerit? interrogavi, materque reſpondit, eum præterito auctumno pruna, pyra aliaque poma in tanta quantitate ingeſſiſſe, ut ſæpius, ne dyſenteria ſubſequatur, ſibi metuerit, at ab hac quidem hactenus immunem eundem vixiſſe, quin alvi obſtructionem potius ſucceſſiſſe, ſed non minorem ſibi metum præſentem tumorem nunc ſibi injicere; quem non prorſus eſſe negligendum, & ego judicavi, quod enim ex eſu talium ciborum in nimia quantitate collectum ſerum per alvum aliâs rejicitur, & ſic tum ſimplices, tum ſubinde cruentos quoque ejusdem fluxus excitat, in hujus corpore retentum illud totum hinc inde inflavit, unde ante omnia purgante hic opus eſſe judicans, pulverem ex Jalappa præſertim conſtantem eidem præſcripſi, qui plures ſedes movit, levamentum quoque æger inde non adeo parvum percepit, quoniam tamen non omnis tumor evanuit, difficilius etiam ac olim adhuc reſpiravit, martiata nunc eidem ſuaſi, quæ cum vix per aliquot dies continuaſſet, Dei gratia ſic convaluit, ut priorum malorum nec indicium quidem ſupereſſe, nuper mater ejusdem retulerit: In nimia vero quantitate poma non absque noxa ingeri, ſicut hac obſervatione confirmatur, ita anaſarcam inde ſubortam modo non diutius neglecta fuerit, nec aliæ graviores ſubſint cauſæ, haud adeo difficulter curari, eandem teſtis eſt.

DCCXXV.

Colica braſſicæ muriatæ eſum ſubſequens.

PIctor quidam artis ſuæ ſic ſat peritus, cum in prandio braſſicam muriatam comediſſet, inde quidem in principio nullum percepit incommodum, noctu etiam, uti quidem ſibi videbatur, ſanus in lectum ſe contulit, at poſt horam duodecimam fere â ſomno evigilans doloribus torqueri cœpit inferioris ventris tam intenſis, ut & â clamoribus ſibi temperare non potuerit; ne vero

noctu me incommodaret, pharmacopoei cujusdam conſilium rogavit; qui Aquam quandam carminativam & Electuarium anodynum ſuggeſſit, quibus tamen dolor adeo non fuit mitigatus, ut nihilominus ſummo mane me vocaverit; Interea vero donec acceſſi ſomnus obrepſit, â quo evigilans vix habuit, de quo ulterius quereretur; quoniam tamen in motu conſtitutos humores peccantes evacuandos eſſe, neceſſum duxi, laxans medicamentum eidem præſcripſi, quod non absque fructu ſumſit: Iis nempe, in quibus vitioſi humores abundant, tales muriati cibi non ſemper conducunt, niſique alvum moverint, retenti deinde non poſſunt non dolores movere, quibus vero melius laxantibus quam anodynis medicamentis obviam itur, quin niſi his forte fortuna jam in uſum ductis illa ſubjungantur, plerumque aut veteres dolores redeunt, aut graviora mala ſubſequuntur.

DCCXXVI.

Variolas antecedens Vomitus & comitans dolor.

MErcatoris cujusdam filiolus ſeptem annorum, cum prius optime ſe habuiſſet, ſubito de dolore capitis ventrisque queritur, & hinc ſæpiuſcule vomit, quibus malis accedens calor febrilis non ita parvam cordis anxietatem comitem habens Parentes permovit, ut me propterea in conſilium vocaverint; accedens ego attentiusque inſpiciens decumbentem maculas quasdam obſervo, quæ plerumque Variolarum primordia nominari merentur (licet & haſce aliquoties me decepiſſe, dum nempe in quibusdam aut brevi iterum evanuerunt, aut & morbillorum indices fuerunt, fateri cogar, aliisque pluribus idem forſan contigit,) & hinc, quod hactenus in promovendis variolis proficuum reperi medicamentam, Potiunculam nempe ex pulv. Pannon.r. & Tinct. bezoartica præſertim conſtantem eidem præſcribo, qua ſumta ſicuti reliqua Symptomata brevi ceſſarunt, ita variolas eſſe, quibus laboret, jam ſat certi extitimus, unde & huic pulverem illum quem ſæpe jam commendavi, exhiberi curavi; Sicuti vero in hoc puero aliquot tales puſtulæ in lingua ſubortæ prohibuerunt, ut loqui tam facile ac olim non potuerit, ita cetera patientiſſimum patientem ſe geſſit, donec nono fere die maturitatem quaſi acquirere inceperunt puſtulæ, tum enim tantum dolorem eidem intulerunt, ut & ab ejulatibus ſe continere vix potuerit, unde & hac de cauſa mater me vocavit, at brevi & hunc dolorem ceſſaturum nullus dubitans, ut potius patienter expectent, quam medicamentis externis graviora forſan mala producant, monui, ſi tamen acu aurea unam alteramve puſtulam maxime dolentem aperire voluerint, me non contrarium eſſe velle; Quod utut tentarint, parum tamen contulit, at ſponte exareſcere brevi poſt incipientibus variolis, dolores etiam, uti prædixeram, ceſſarunt; Quemadmodum vero hic puer vomitum vario-

las antecedentem habuit, ita & aliis hoc anno eundem moleſtum fuiſſe, aliquoties notavi; dolorum vero quos Variolæ producunt, non adeo magnam habendam eſſe rationem, & hæc obſervatio confirmat.

DCCXXVII.

Menſes viam aperire non valentes.

VIrgo quædam nobiliſſima, tredecim fere annorum, & tenerioris conſtitutionis, cum hactenus valuiſſet, nuper vero præter ſuam conſuetudinem quasvis actiones minus alacris perficeret, de dolore inſuper capitis & ventriculi identidem quereretur, difficilius etiam ſubinde reſpiraret, Matrem permovit, ut me propterea conſuluerit, ubi quævis hæc mala â ſanguinis per uterum olim deponendi motu inchoato quidem at nondum ſufficiente, & hinc regurgitante ſanguine vias aperire non valente derivavi, & præmiſſo purgante, primas vias humoribus vitioſis obſeſſas ab iisdem liberante, Eſſentiam martis eidem præſcripſi, qua per aliquot dies in uſum ducta, cum prius purgans tardius licet multum materiæ peccantis ſubduxiſſet, Dei gratia quævis recenſita mala evanuere: licet nempe non ſemper menſes moveat hæc Eſſentia, eosdem tamen inſtantes antecedentia mala inhibet; quæ quidem aliquoties identidem redeunt, at iterum huic Eſſentiæ plerumque cedunt.

DCCXXVIII.

Febris cum lumborum dolore.

PUer quidam ſtudioſus duodecim & quod excurrit annorum, ſubito de appetitu proſtrato, capitis atque lumborum præſertim dolore conqueritur, hisque malis ſic affligitur, ut & in lecto ſe detinere opus habuerit, quod Cognatum ejusdem Jurisconſultum Clariſſimum permovit, ut me vocaverit, metuentem nempe, ne aut febris maligna, quæ tum quosdam in flore Juventutis conſtitutos neci dederat, aut variolæ ſubſint; cum ergo decumbentem viſitaſſem, febricitantem quidem eundem inveni, at ſicuti teſtantem ſimul, quod olim jam variolis laborarit, ita nec ſic affectum, ut maligni quid ſubeſſe, vel unicum ſignum prodidiſſet; unde, cum ſimul mihi retuliſſet ejusdem cognatus, ægrotum jam per aliquod temporis ſpatium cibis vix exſatiari potuiſſe, tantumque ingesſiſſe, ut quatuor una cum eo menſæ adſidentes vix tantum comederint, quantum is ſolus abſumſerit, cruditatibus hanc febrem originem ſuam debere nullus dubitavi, ut vero tutius procederem, non tam à purgante, quam corrigendæ cruditati dicato medicamento, ex Specif. Cach. Ludov. præcipue conſtante curæ initium feci, quod ter ſumtum Dei gratia tantum profuit, ut ſequenti die non ſolum dolores remiſiſſe retulerit, ſed & febris nec unicum quidem indicium ſuperfuerit; unde nunc demum purgans præ-

 ſcripſi,

ſcripſi, quod ſumtum ſicut multum admodum materiæ peccantis ſubtraxit, ita puero integram ſanitatem reſtituit: Tutiſſime ſcilicet in ejuscemodi febribus cruditatem corrigentia in principio exhibentur, quæ, ſi vel nobis inſciis maligni quid ſubſit, malignitatem non exaſperant, ſin vero ſolæ cruditates in cauſa fuerint, ut humores inde depravati poſtmodum facilius ſubduci poſſint, non parum conferunt.

DCCXXIX.

Cyprinum Celſi quid?

VErtens in linguam vernaculam noſtram Celſi ſcripta filius meus ſtudio medico dicatus, nuper eheu! fatis cedens, cum libr. IV. c. XX. Cer. ex Cyprino ein Pflaſter von Karpfen/ex piſce nempe aliâs carpione dicto reddidiſſet, noſcens quidem ego oleum quoddam hoc nomine venire; quale tamen proprie ſit, ut conſtet, quosdam auctores propterea evolvi, ubi quidem in iis, quos ſemper fere ad manus habeo, fruſtra in cyprinum inquiſivi, cum & illi carpionem piſcem interpretentur; at cum ex Meſue conſtitiſſet, Cyprum ſimplex eſſe ex quo oleum hoc conficiatur, quo nomine hodie hoc ſimplex inſigniatur, ulterius indagavi, & ex Dioſcoride didici, quod â multis pro Liguſtro habeatur, uti quidem ex interpretibus ejusdem & inprimis Mathiolo legi, quam ſententiam tamen Virum eruditiſſimum Caſparum Hofmannum refutare, Simonis Paulli quadripartitum me certiorem reddidit, ſimulque impulit, ut & Jo. Bauhinum in Hiſt. Plant. Univerſali de hac lite conſuluerim, qui prolixius eandem tractat, & pluribus probat Liguſtrum noſtrum vulgare non eſſe ſic conſtitutum, ut Cypri nomen merito eidem imponatur, at Ægyptiacum ſic convenire cum eo, quod Dioſcorides deſcripſit, ut hoc ſubintellexiſſe, nullum ſit dubium: quæ quidem, cum ad interpretationem Auctorum veterum, qui non ſine inſigni damno manibus Tyronum excutiuntur, aliquid conferre poſſint, hic inſerere non dubitavi.

DCCXXX.

Terror tormina & alvum movens.

AMicus quidam meus quadragenario major, cum in via glacie paſſim obducta graviter ſuper tergum prolapſus fuiſſet, utut Dei gratia ſanus atque incolumis ſurrexerit, nec ulla corporis parte læſus fuerit, ita ut ſtatim viam ſuam proſequi iterum potuerit, domum tamen rediens, licet non niſi coctu faciles & conſuetos ingeſſerit cibos, qui aliâs non tam vel minimum moleſtiæ inferunt, quam corpus reficiunt, in ipſo tamen adhuc prandio dolores

inte-

inteſtinorum tam intenſos percepit, ut &, ne forſan inteſtina ſint læſa, ſibi metuerit, quem tamen metum ipſi exemit alvus paulo poſt fluidior, cui quippe nunc merito tormina adſcripſit, quæ quidem per totum illum diem ſæpiuſcule redierunt, plerumque tamen brevi poſt cauſam ſuam priori modo prodierunt; unde, cum forte fortuna tum eundem viſitaſſem, mihi modo relata narravit, & unde hæc mala derivem? interrogans, ut, ſi remedio opus habeat præſcribam, rogavit; cumque cetera non haberet, de quo vel minimum conquereretur, non tam lapſui, quam terrori inde ſuborto mala memorata adſcribenda eſſe judicavi, hic enim ſubitaneus humorum motum interturbavit, unde ſeparati quidam acriores ante tempus, primo quidem ad inteſtina delati ibi tormina hincque alvi fluxum concitarunt: Sicuti vero animi affectus, ſi hoc modo effectus ſuos exſerunt, raro alias poſt ſe noxas trahunt, ita remediis his malis correpti vix opus habent, unde & huic meo amico aliud, quam Spir. Ceraſ. n. unum alterumve cochleare, remedium non commendavi, qui & brevi Dei gratia convaluit.

DCCXXXI.

Juglandum cortices nucleum ambientes antinephritici.

CUm ante aliquot menſes Vir quidam per multa itinera experientiam non adeo parvam nactus, me convivio excepiſſet, & inter cetera calculi quoque mentio fieret, is ſancte teſtatus eſt, ſe non ſemel jam expertum fuiſſe, quod cortex ille, qui Nuces Juglandes immediate ambiat, vixque aliâs, quam dum adhuc recentes exiſtunt, ſeparari ab iisdem poſſit, in pulverem reductas tam egregiis contra hunc polleat viribus, ut aliquoties notaverit, eodem exhibito non ſolum dolores inde inductos brevi mitigatos fuiſſe, ſed & eos, qui eo uſi fuerunt, arenulas in magna quantitate minxiſſe, & poſtmodum diu admodum à calculi doloribus immunes vixiſſe; hujus experimenti cum hiſce diebus adverſaria mea me memorem redderent, num & alii ejusdem mentionem faciant? inquirendi lubido me inceſſit, ubi, qui tantum non ſemper eſt ad manus, Schröderus, hos cortices in colicis doloribus commendat, & doctiſſimus ejusdem Commentator Hoffmannus propria ſua experientia idem confirmat; licetque inſignis Bauhinus ex Schwenkfeldio referat, membranulam illam nucleis intercurrentem nauci vocatam, à quibusdam in calculo commendari, horum tamen nucleos Juglandum immediate ambientium tenuiſſimorum corticum, quantum quidem in curſoria lectione notare potui, plane non meminit: licetque hic ipſe Auctor hoc ipſo acriter in illos invehat, qui talia experimenta communicantibus aures præbent, non ſemper tamen eadem prorſus eſſe rejicienda, ego quidem totus credo; & hos ipſos cortices non omnibus viribus eſſe deſtitutos, vel amarities eorum prodit, quantum

vero

vero credam, quod in calculo juvare talia medicamenta poſſint, in Lineis meis medicis invenies.

DCCXXXII.

Tuſſis dentientis ſalivationi demum cedens.

PUella quædam decimeſtris elegantis formæ,& pro tam tenella ætate jucundiſſimorum morum, hincque Parentum delicium, ſubito catarrho prehenditur fauces præſertim tantum irritante, ut non ſolum continuò fere tuſſierit, verum aliquoties pene ſuffocata fuerit; quo diligentius vero huic malo obviam ibatur, quo plura puellæ remedia exhibebantur, eo minus illud intermittebat, licetque ſemper purgantia plures ſedes moverint, & expectorantia ſputum non parum promoverint, tuſſis tamen ſemper eodem modo inſtitit, & ſuffocationis metum ſæpiuſcule injecit, febris etiam acceſſit, intermittens quidem, at tam certas periodos non obſervans, ut certæ cuidam claſſi inſeri merito potuiſſet, erraticæ hinc nomine inſignienda; cui itidem ferme fruſtra febrifuga oppoſita fuerunt; ſemperque magis patuit dentitioni quævis hæc mala originem ſuam debere, cum præſertim puella digitos & quæcunque manu tenuit ori intruſerit, & gingivis interdum pro ſuis viribus ſat fortiter applicarit; licet autem per aliquot hebdomadas tam male ſe habuerit, ſemper tamen & medicamenta continuata fuere, inter quæ Ol. Amygd. dulc. cum Spermate Ceti præ reliquis profuiſſe crediderunt, & Uni Cornu marinum calorem febrilem præ aliis medicamentis extinxit; inprimis autem ego Elix. Aper. Cl. commendavi; at licet ſub horum medicamentorum uſu jam diarrhœa quoque ſupervenerit, & hanc tamen reliqua mala adhuc comitabantur, donec tandem plurimum ſalivæ ore rejecit, hoc enim modo hac evacuata convaleſcere Dei gratia cœpit: Niſi nempe dentes erumpant, mala talia difficillime curantur, tantum quantum quidem commendantur, non juvantibus quæ eruptionem promovere creduntur, medicamentis, inprimis autem Salivationem talem infantibus dentientibus prodeſſe, ſæpius notavi, unde nunquam erit impedienda, ſed ſedulo potius promovenda.

DCCXXXIII.

Meconii pars diu retenta.

VIſitanti hiſce diebus puellam quandam Variolis decumbentem,ancilla natu hujus minoris & ſeptem hebdomadum ſororculæ curam gerens, excrementa mihi monſtrat, quæ hæc ipſa excreverat, nigricantia plane, & fœtorem â conſueto omnino diverſum exhalantia, interrogans, num mali quid denotent? & an forſan medicamentis opus habeat, quæ illa depoſuit? cum vero ſimul, cetera Dei gratia optime ſe habere puellam, retuliſſet, uti quidem

dem hæc excrementa meconium retulerunt, ita pro reſtitante ejusdem parte habenda eſſe, & hinc medicamentis eam minime opus habere judicavi; niſique excreta fuiſſent, forſan quædam mala inde induci potuiſſe, ſic autem non habere, quod ſibi metuant, ſubjunxi: reſtare vero interdum ſic ſat diu meconii quandam partem ſicut ex dictis conſtat, ita non fruſtraneum prorſus eſſe eorum laborem, qui ut illud quamprimum fieri poteſt, ê corpore ejiciatur, medicamentis quoque blandioribus promovere tentant, haud facile quispiam dubitabit.

DCCXXXIV.

Dentium dolor Venæſectioni ſub lingua cedens.

APud quendam ægrotorum meorum forte fortuna offenderam Matronam Nobilem, quæ cum decumbenti neceſſaria ordinaſſem, me rogavit, ut remedium dentium dolorem ſedans communicem, hoc enim dolore jam per bene longum temporis ſpatium ſe divexari, fruſtraque plura hactenus remedia ſe in uſum duxiſſe, quin, quamdiu fere vivat, utut jam quadragenaria ſit major, ſe nulli quidem morbo at ſæpius hiſce doloribus ſubjectam fuiſſe; unde ego ſtatim judicavi, non niſi difficillime eosdem curatum iri, cum præſertim, quæcunque etiam remedia ſuggeſſi, ea ſe jam olim & quidem fruſtra adhibuiſſe, reſponderit; quibus tandem ſubnectens, nullum remedium ſibi tantum profuiſſe quam Venæſectionem ſub lingua inſtitutam, poſt hanc enim per integrum annum & quod excurrit, ſe ab hiſce doloribus immunem vixiſſe, me permovit, ut, cum hæ venæ difficulter ſecentur, ipſaque hanc Venæſectionem repetere, quia tum ſanguis vix inhiberi iterum potuerit, renuat; per alias venas inſtitutam ſanguinis ſubtractionem commendaverim, at, ſeu in brahio ſeu manu, ſeu & pede hanc inſtituerit, nunquam tamen vel minimum levamentum ſe percepiſſe, regeſſit: unde nunc, cum multum admodum ſeri ſe ore rejeciſſe ſimul indicaſſet, veſicatoriorum mentionem feci, quæ, utut & hæc olim parum profuerint, ſe tamen denuo tentaturam promiſit: Uti vero huic vena parti affectæ proxima ſecta præ aliis conduxit, ita, ſi vel maxime alia venarnm electio hodie vix locum inveniat, quod tamen hæc haud prorſus abs re inſtituatur, & partis affectæ omnino ratio ſit habenda, hæc obſervatio confirmat.

DCCXXXV.

Icterus Vomitorio ſtatim cedens.

FAbri cujusdam ſtannarii Uxor, cum diu filiæ dilectæ cum doloribus gravioribus conflictanti adſtitiſſet, hincque non parum animo affecta fuiſſet, aliquoties etiam iræ indulſiſſet, primo quidem laſſitudinem minus con-

ſuetam inde percepit, hinc vero & pondus Ventriculum tantum gravans, ut hoc & reſpirationem quodammodo impediverit, quod ipſam permovit, ut ipſamet me adierit, & urina allata conſilium meum deſiderarit; ubi, cum urina icterici quid prodente, eam propterea aſpexiſſem, & in facie quoque quædam ejusdem indicia deprehendiſſem, hoc ipſo malo illam laborare judicavi; &, ne radices agat, vomitorium medicamentum eidem præſcripſi, ſerio monens, ut, niſi hoc juvet, ſtatim redeat, pluraque tum medicamenta me ſuggeſturum, promittens; at non rediit niſi elapſis pluribus diebus, conſilium pro filia ſua deſiderans, & ſimul referens, poſt in uſum ductum vomitorium, ſic omnia ſua mala ceſſaſſe, ut nunc Dei gratia integerrima fruatur ſanitate, cum quibus verbis & facies priſtino colore conſpicua conſenſit. In tempore vero exhibita Vomitoria interdum Ictericis quamplurimum prodeſſe, ex hac obſervatione diſces.

DCCXXXVI.

Pulveres falſo accuſans.

MUlier quædam plurimum ſibi ipſi ſapere viſa, cum nuper malis quibusdam, quæ ad aliud quam hypochondriacum referri commodius non poſſunt, decumberet, primo quidem, quamdiu mortis periculum imminere ſibi imaginabatur, juſſis meis ſic paruit, ut non ſolum quæcunque præſcripſi medicamenta, ſedulo in uſum duxerit, ſed & diætam, quam commendaveram, ſic ſat exacte ſervarit, at cum quodammodo melius ſe haberet, utut identidem tum de dolore capitis reſtitante conqueſta fuerit, tum præſertim hecticæ ſubſecuturæ non ita vanus ſubfuerit metus, primo quidem remedia ſe continuare finxit, at poſtmodum ipſamet faſſa eſt, ſe ea, uti quidem ſuaſeram, ulterius in uſum non ducere; de cauſa, cum tamen tantum iisdem opus habeat, interrogata, reſpondit, quod vereatur, ne pulveres, quibus hactenus cum fructu uſa fuerat, in ventriculo ſubſiſtant, hincque collecti tandem malum inſanabile producant; ſibi enim relatum fuiſſe, olim quandam poſt multorum pulverum uſum neſcio quo morbo defunctam cultro anatomico ſubjectam, omnes pulveres in ventriculo habuiſſe, adeo ut hos mortem maturaſſe, nemo dubitaverit; de cujus relationis veritate uti ego quidem totus dubitavi, cum potius aliæ hiſtoriæ jam ſæpiſſime contrarium demonſtrarint, & poſt multa medicamenta in uſum ducta eorum vix veſtigium in ventriculo reſtiterit, utut inter hæc & plurimi pulveres ſumti fuerint; ita alia quædam medicamenta eidem quidem præſcripſi, at utut hæc tantum quantum pulveres non profuerint, ne tamen ad horum uſum redirem, ante tempus me dimiſit, quod poſtmodum maritus retulit, ſimulque addidit, eam tantum à pulveribus metum in pectore alere, ut citius ſit moritura, quam in poſterum eosdem in

uſum ductura, cum præſertim ſibi tota perſuadeat, filiam, quæ olim phthiſica obiit, & ſæpius Specif. Antih. Poter. uſa fuit, ob pulverem hunc tam ſæpe ſumtum citius in mortis prædam ceſſiſſe; cum autem hæc ab aliis omnibus fere medicamentis abhorreat, nec Eſſentiæ in his caſibus ſemper proſint, quam difficile ſit eidem adſtare, facile credet, qui unquam tali moroſæ adſtitit, altius vero inhærent plures tales perverſæ opiniones plurium noſtrarum muliercularum menti, quas eidem eripere qui una mecum ſedulo laborant, rem uſu ſuo non carentem præſtant.

DCCXXXVII.

Spaſmi duo remedia.

SPaſmi, quo nonnullæ gravidæ ſubinde plurimum torquentur, cum nuper coram nobiliſſima quadam Matrona mentio fieret, illa narravit, quod nunc ab aliquot mulieribus multum commendetur remedium ſequens; ſumere nempe hoc malo tortas plurima fila lintea colore nigro tincta, hæcque ſic componere, ut partem affectam, abdomen inprimis quod plerisque afficitur, circumdare iisdem poſſint, non ita diu vero poſt ſic applicatum remedium hoc ſpasmum quoque ceſſare; quod quidem ipſamet nunquam experta fuerit, at ſibi hactenus ſumme profuiſſe, ſi libro, ſeu interiore arboris cortice, quem noſtrates baſt vocant, partes affectas muniat, inde enim ſemper brevi ſe â ſpasmo liberatam fuiſſe; juvat nempe partis affectæ ligatio, ad quam an plus certæ ejuscemodi res conferant, ulteriorem indagationem meretur.

DCCXXXVIII.

Stercus Vaccinum febri malignæ oppoſitum.

STercoris vaccini uſum externum egregium in linearum medicarum Anno ultimo pluribus deſcripſi, quam lineam cum nuper typis expreſſam ab erratis typographicis emendaſſem, eo ipſo tempore decumbens Matrona quædam non vulgaris illud tanti fecit, ut & potum ex eo pararit, quam ipſamet bibit, metuens nempe, ſe febre maligna, qua tum unus alterve, qui inprimis Carnificis curæ ſe ſubjecerant, ſubito abrepti fuerant, laborare; in hoc enim morbo ſicuti hoc omnium florum decoctum (ſic enim, ne vel nomen nauſeam injiceret, illud cum aliis nominavit,) pluribus non ſine inſigni fructu commendarit, ita & ſe juturum nulla dubitavit, quin quod paululum melius poſt illius uſum ſe habuit, non tam medicamentis, quæ juxta illud ſumſerat, quam huic decocto adſcripſit, quod, ut quodammodo guſtui gratius fieret, aniſo & liquiritia condivit: Quo ipſo, ſicuti quod jam ſecundo linearum medicarum anno de ſtercoris hujus uſu interno vel verbo innui, confirmatur, ita non tam, quod magni faciam hoc remedium, hæc in lineis adductis hîc ſubjunxi, quam,

ut medicus, ſi forſan eidem referatur, & hoc remedium in uſum fuiſſe ductum habeat, quod de eodem judicet, nec, ſi poſt illud adhibitum morbus forſan auctus fuerit, tam in illud culpam rejiciat, quam in alias cauſas indaget, cum qui de ejusdem noxis queſtus fuiſſet, mihi quidem hactenus nullus occurrerit.

DCCXXXIX.

Tumor totius ſubito ſubortus.

ANte aliquot dies vocatus fui ad quendam puerulum trium fere annorum, qui hactenus integra Dei gratia gaviſus fuerat ſanitate; hujus mater retulit, ſe in eo ante biduum fere maculas quasdam notaſſe, quæ quia variolarum aut morbillorum ſuſpicionem injecerint, ſe puero Tincturam Bezoarticam exhibuiſſe, non vero tam inde diſparuiſſe easdem, quam ſe magis dilataſſe, & hinc corpore eundem intumuiſſe, quem & propius inſpiciens ſic ſat tumidum inveni; Quoniam vero maculæ nunc latiſſimæ morborum modo memoratorum ſuſpicionem animo plane eximebant, ita cum nec anxietas hunc tumorem comitaretur, nec ulla alia febrilis efferveſcentiæ adeſſent indicia, purgans inprimis eidem conducturum nullus dubitans, ex Jalappa præſertim conſtans eidem præſcripſi, quod tumorem diſpuliſſe, inde ariolor, quia & aliis ſimili modo decumbentibus purgantia hoc præſtitiſſe novi, & mater alia medicamenta non deſideravit: Facile nempe in tam tenella ætate conſtitutis humores exundant, & hinc cutim quoque ſubinde diſtendunt, qui vero, modo altiores non ſubſint cauſæ, purgantibus non ita difficulter evacuantur, ut adeo vix habeas, quod ab iisdem metuas.

DCCXL.

Diarrhoeam ceſſantem excipiens febris.

MErcatoris cujusdam è primis Uxor fere quinquagenaria, cum olim tributum lunare in non adeo exigua quantitate ſolviſſet, varia inde contraxit mala ſcorbutici quid prodentia, dum non ſolum ſemper de ſumma ſalivæ ſalſedine conqueſta fuit, verum & tantum non continuam laſſitudinem perſenſit, quibus malis quædam capitis vitia acceſſere, dum non ſolum hoc ſæpius doluit, verum & vertigine identidem correptum fuit, oculosque inprimis ſæpius dolor ſic ſat acerbus vexavit, quæ quidem mala aliquantum remiſere, cum ante biennium fere menſes ſponte fluere deſiiſſent; jam vero alvus inprimis eidem non parum negotii fecit, dum jam obſtructa reliquas actiones quodammodo impedivit; jam per aliquot dies nimium fluens viribus inſidiata fuit, quæ tamen, quoniam ipſam nunquam proſtraverunt, parvi habuit, nec me propterea conſuluit; nuperque demum, cum alvus iterum nimium fluens nullo adhi-

adhibito remedio ſubito ſubſtitiſſet, hincque ob mala jamjam narranda conſilio meo opus habuiſſet, dicta modo ad me detulit; Corripiebatur nempe ſub mediam fere noctem frigore totum corpus diu occupante, quod calor tantus excipiebat, ut eidem ferendo vix par exſtiterit, cum præſertim hunc ſudor viribus multum ſubtrahens comitaretur, & hac de cauſa me ſequenti die vocavit; ubi adhuc febricitantem eandem inveni extra lectum quidem ſedentem, at viribus tam deſtitutam, ut, ne deliquium animi immineat metuerim, & hinc ut illud repetat, rogarim, cui petito cum ſatisfeciſſet, & medicamentum ex Specif. Antih. Poter. Unic. marin. & C. C. Phil. calc. præcipue conſtans ſumſiſſet, calor quidem iterum ſe exſeruit, at continuato medicamento brevi diſſipatus fuit; non tamen & cauſam penitus ſublatam fuiſſe, urina adhuc tinctior detexit, unde hiſce medicamentis inſtiti, indiesque ſub eorundem uſu Dei gratia melius ſe habuit, cum inprimis quarto fere die diarrhœa rediiſſet, quam tantum abeſt ut inbibuerim, ut potius Rhabarbaro toſto exhibito promoverim; unde nunc ſponte denuo ceſſans nil quicquam mali poſt ſe reliquit; ut vero ſalſedini tam diu jam moleſtæ & capitis vitiis medear, nunc inprimis me rogavit; unde ego Eſſentiam abietinam mane ſumendam, & pulverem ex Specif. Cach. Ludov. Eſſ. ambr. & Extr. Agalloch. conſtantem veſperi deglutiendum eidem præſcripſi, quæ medicamenta, Deo clementer benedicente, vix fruſtra in uſum ducet: Notatu vero dignum eſt, quod quam diu alvus huic matronæ nimium fluit, tum dolor oculorum, tum viſus debilitas ſic ceſſent, ut hiſce ſicut olim valeat: Multum nempe â priſtina ſua bonitate ſanguis poſt enormiores profuſiones repetitas præſertim deſciſcit, nec niſi diu continuatis medicamentis in priſtinum reducitur ſtatum, quin nec his quidem ſemper ſcopum noſtrum obtinemus, quod ſicut pluribus jam obſervationibus probavi, ita ſi hæ poſt tales ſanguinis perditiones vel ſaltem unum alterumve medicum magis ſolicitum reddiderint, me eas communicaſſe quod pœniteat, non habeo.

DCCXLI.

Tenesmus ab utero.

Vocatus fui hiſce diebus ad Matronam quandam, parvæ ſtaturæ quidem, at plurium liberorum matrem, quæ hactenus Dei gratia integra gaviſa fuit ſanitate, at ante annum fere, & quod excurrit, cum primo iterum gravidam ſe crediſſet, aliquoties vero ſuperveniens nimium fere ſanguinis ex utero profluvium eam dubiam denuo reddidiſſet, inde quoque paulatim alia mala acceſſerunt, quæ ſpem conceptionis quidem animo ejusdem exemerunt, ſed metum contra non ita inanem eidem injecerunt, dum nempe duritiem quandam inconſuetam circa uterum notavit, & indies magis magisque

debilitari cœpit, licetque balneum aliquamdiu in uſum ductum menſes in ordinem aliquoties redegerit, nec hoc tamen beneficium conſtans fuit; & durities illa jam manu aliena deprehendi potuit, & tantum non ex omnibus indiciis conſtitit, inſtare malum, quod aliquot fœminis exitioſum extitit, tubæ nempe uterinæ vel potius ovarii hydropem, qui, uti ego quidem credo vix ac ne vix quidem curari poteſt, ſed plerumque medicamentis exaſperatur potius quam depellitur; unde martiatorum quidem uſum eidem commendavi, ſimul tamen, quam parvam alam de integra convaleſcentia ſpem, indicavi: at ſicuti â medicamentis abhorrens hæc haud ita diu continuavit, ita malum parvi habere cœpiſſet, niſi alia quædam moleſtiſſima ſymptomata acceſſiſſent, teneſmus nempe tantum non continuo inſtans, ſanguinis per alvum rejectio, pedum dolor intenſus, & ſudor inprimis tam copioſus, ut toto corpore indies magis conſumta fuerit; qui ſudor hoc inprimis notatu digni habebat, quod ruber extitit, & inſtar loturæ carnium lintea quævis, quibus excipiebatur, tinxit; horum itaque malorum ergo me conſuluit; quæ ego itidem tumori in ovario ſuborto adſcribenda eſſe, judicavi, dum nempe inteſtino recto incumbens illud continuo ſtimulet, unde interdum & ſanguinis fluxus concitetur, Uteri vero ligamenta contrahendo dolorem pedum concitet; quin & ſudorem, dum omnium humorum motus hinc interturbatur, inde deducendum eſſe, nullus dubitavi, qui tincturam hanc ſuam aut ſalibus peregrinis, aut ſanguinis compagi minus arctiori debet; ſicuti vero tumorem abigi non poſſe, totus ſum perſuaſus, ita quam parvam in curandis his malis conceperim ſpem, facile ariolari potes, præſcripſi tamen eidem Eſſ. Catechu de die in uſum ducendam, & Tinct. Antiphthiſ. noctu ſumendam, ut & Unguent. ex Reſumtivo & Pinguedine Caſtor. inprimis conſtans pedibus illinendum; quæ forſan levamen quoddam afferent: ſic enim affectum ovarium, ut & manibus palpari poſſit, uti vix curam admittit, ita nec ſymptomata inde ſuborta penitus tolli unquam poterunt.

DCCXLII.

Victum pravum ſequentia mala.

PAupercula quædam, quæ hactenus vix habuit, unde vel famem levarit, tempore etiam brumali nec veſtimentis ſufficienter ſe tegere, nec alio modo frigori obviam ire potuit, per plures quidem jam annos ſanitate tamen juxta integerrima Dei gratia gaviſa fuit, nullo alio, quando aliquantum male ſe habuit, remedio uſa, quam quod unum alterumve cochleare aceti ſumſit, tandem vero tantas calamitates, & forſan remedium quoque minus conveniens corpori quoque inſidiari, notare cœpit, dum ante quaſdam hebdomadas dolorem primo in pede dextro notavit, cui ulcera brevi exſiccata & cruſta ſua con-

conſpicua acceſſere; ſimul vero torminibus talibus, quibus inteſtina ſusque deq; ferri ſibi videbantur, torquebatur; unde cum dictis ulceribus fruſtra medicamenta ab obſtetrice quadam ſuggeſta oppoſuiſſet, tandem me quoque conſuluit; cum præſertim quædam vel lepra vel lue venerea ipſam laborare, aliæ etiam peſtiferi quid ſubeſſe judicaverint, magis expetens, ut de morbo judicium feram, quam ut remedia ſuggeram; ſicuti vero tormina herniæ quandam ſuſpicionem mihi injecerunt, quam & ſubeſſe, ſoror, per quam me conſuluit, faſſa eſt, ita ab inordinato victu collectas in corpore multas particulas peregrinas tandem ſic quoque exitum inveniſſe, ſcabieique perverſæ nomine malum inſigniri poſſe, judicavi; ſimul tamen purgans conveniens præſcripſi, cum ſic affectæ purgantibus inprimis opus habeant: at quoniam hæc juxta medicamentorum uſum diætam ſervare non poterit; hæc mala tam facile non ceſſatura, metuo.

DCCXLIII.

Nephritici dolores purganti cedentes.

MUlier quædam triginta fere annorum, hactenus quidem Dei gratia ſanitate ſic ſat integra gaviſa fuit, cum vero haud ita pridem maritus eandem deſeruiſſet, variæque calamitates ingruerent, ſubito doloribus, quos, quia lumborum inprimis regionem occuparunt, & vomitus comites habuerunt, nephriticos nomino, corripiebatur, quibus me nondum vocato neſcio ex cujus conſilio Sir. de Cich. c. Rhabarb. oppoſuerat, hoc vero vix ſumto, ſocru urgente me in conſilium vocavit, & ego medicamentum præſcripſi, poſtquam hic ſirupus alvum aperuerit, in uſum ducendum; ſicuti vero is, quod quidem deſiderabatur non præſtitit, ita dolores contra incrementum tantum ſumſere, ut veſperi denuo per ancillam interrogarit, quid factu ſit opus? alvumque ego inprimis aperiendam neceſſum judicans, & Clyſterem illa prorſus rejiciente, Ol. Amygd. dulc. rec. expreſſ. c. Sir. Roſ. Sol. ⊙ præſcripſi, quod ſumtum vomitu rejecit, noctem tamen priore quietiorem duxit, cum inprimis Balſ. de Copaiv., quem præſcripſeram, ſumſiſſet; ſequenti vero die accedens iterum, alvo adhuc obſtructa, doloribusque inſtantibus purgans eidem ordinavi, quod ſumtum primo quidem vomitum, at hinc aliquot ſedes movit, ſimulque dolores penitus tum ſuſtulit: Tantum autem in tempore exhibita purgantia proſunt, ſineque dubio hanc aliud medicamentum tum cito non juviſſet.

DCCXLIV.

Unguis digiti pedis maximi ſponte ſecedens.

ANte aliquot annos vocatus fui ad quendam Mercatorem quinquagenarium, qui maximam ferme vitæ ſuæ partem gulæ indulgendo extraxerat, & in-

& inprimis ſæpius multum admodum cereviſiæ ingurgitaverat, tandem etiam potibus iſtis ſpirituoſis, qui ſub nomine Aquæ Vitæ, Roris Solis, & ſimilibus ſpecioſis titulis veneunt, delectari cœperat, hincque & hos in non ita exigua quantitate ingeſſerat; Hactenus quidem ſic valentem, ut tantorum errorum indicium externum nullum in eodem comparuerit, ſed potius ipſum integerrima frui ſanitate, is, qui eum familiarius non novit, juraſſet; paulatim tamen in ſe ipſo notare cœpit, quod viſcera tam ſæpe ſibi illato bello ſuccumbere incipiunt, dum non ſolum ventriculus cibum ut olim non coxit; ſed & reſpirationi præcipue dicata organa, quod male ſe habeant, tum tuſſi, tum tardius & difficilius munus ſuum perficiendo prodiderunt; unde, ut hiſce malis quantum quidem poſſem medear, rogavit, ſimul vero tum narravit, quod digiti in pede (quo, ulterius non recordor,) maximi unguis ſponte & quidem absque dolore ſeceſſerit, unde & ſine dubio difficilius tum inceſſiſſet, niſi ſic continuo lectum ſervare coactus fuiſſet; ſicuti vero hæc ſpontanea unguis ſeceſſio, & reliqui corporis ruinæ inſtantis indicium fuit, dum quibusvis remediis fruſtra in uſum ductis paulo poſt in mortis prædam ceſſit, ita in aliis tamen qui robore adhuc pollent, ejuscemodi quid unguis ſecedens non denotat, cum ego noverim ſenem quendam integerrimum, qui, poſtquam ejuscemodi quid ipſi contigit, ut olim, quin melius valuit: Et ex unguibus ergo pro ſubjectorum differentia diverſum judicium erit ferendum.

DCCXLV.

Aqua fortis loco fuci adhibita.

Ancilla quædam, uti quidem & hæ formæ ſubinde ſunt ſtudioſæ, cum ea qua ſponte gaudebat, non ſufficere, videretur, quotidie fuco hanc magis gratam reddere tentavit, & huic labori tam ſerio vacavit, ut tandem diſcipulus, qui nunc cum eo ſervitia in eadem domo præſtabat, notaverit; qui ſimul vas, in quo fucum ſervabat, obſervans, illud aliquando evacuavit, & aqua forti replevit; hac ipſa ergo cum ſequenti die faciem tam ſerio ac prius fuco eluiſſet, cute hinc inde eroſa, quid mali ſibi acciderit tantis cum ejulatibus coram magiſtro conqueſta fuit, ut diſcipulus metuens, ne fraus detegatur, fuga ſibi conſulere voluerit; detentus tamen â ſociis, cum paulatim nova cuticula inducta fuiſſet, & quidem antiqua formoſior gratias potius apud ancillam meruit, quam quod ſe vindicaverit: Non vero, ut & aliæ hunc in finem aquam fortem adhibeant, hæc producuntur, ſed ut cautius mercari diſcant, nec cuivis fuco fidant, quo plerumque formæ magis inſidiantur quam conſulunt, ut taceam, merito has artes parum honeſtas nominari, cum alios decipere ſic quovis modo tentent, dum ergo quandoque ipſæ decipiuntur, æquiore hoc ferent animo.

DCCXLVI.

DCCXLVI.

Urina mortis ſuſpicionem falſo injiciens.

ANte aliquot hebdomadas paupercula quædam attulit mariti ſui urinam, non ſolum craſſam & multum tinctam, verum & non parum fœtentem, ſimulque retulit, illum jam per plures dies febricitare, tamque graviter decumbere, ut & lectum commaculet; ſimul ergo noſcens, quanta paupertate premantur, quod nec lectum nec veſtes habeant, quibus ſe ſat tegant, quod identidem aut prava & coctu difficilia ingerere, aut famem pati opus habeant, & hinc nil minus quam decentem tanti morbi curam gerere poſſint, medicamentum quidem præſcripſi, at quam parva ſuperſit convaleſcentiæ ſpes, ſimul indicavi; & juxta ſuaſi, ut Uxor, ut in noſocomium publicum recipiatur, curet, quod & obtinuit, ubi is præter omnem ſpem priſtinam ſanitatem recuperavit; at morbo ſuo Uxorem ſic infecit, ut ea, cum vix per aliquot dies decubuiſſet, in mortis prædam ceſſerit: adeo quidem, ne certi quid ex urina prædicere ſubſtineamus, identidem novis exemplis docemur, niſique ſemper fere judicium ſuum ſuſpenderit medicus, ſæpiuſcule falletur.

DCCXLVII.

Icterus à febre initium ſumens.

VIdua quædam prope ſeptuagenaria, affectibus animi, triſtitiæ præſertim, & hinc iræ quoque ſubinde nimium indulgens, ante aliquot hebdomadas inde febri correpta fuit; quæ, quia in principio ſtatim viribus non parum inſidiabatur, &, ut vel per parvum temporis ſpatium extra lectum degere potuerit, non concedebat, adſtantibus metum â gravioribus malis injecit, unde ego vocatus fui, febrisque continuæ quidem non unum ſolum indicium deprehendi, at nullum, quod malignitatis cujusdam ſuſpicionem moviſſet; unde & illam, eo facilius curatum iri, ſperavi, nec ſpes mea me fefellit, nam exhibitis aliquot Potiunculis atque pulveribus ſudoriferis, utut ſudori poſt eas ſumtas non vacarit, febris Dei gratia plane extincta fuit; at reſtitit laſſitudo major, quam quæ ſoli convaleſcentiæ adſcribi potuiſſet, cum præſertim & urina adhucdum tincta humores nondum uti decet depuratos prodiderit; quæ, ut attentius eandem adſpexerim, me permovit, nec fruſtra, nam hoc ipſo icterici quid in ejusdem facie deprehendi, hincque huic jam malo medicamenta oppoſui, quod tamen integre non ceſſavit, donec purgans medicamentum eidem exhibui, quod Dei gratia tantum profuit, ut brevi poſt convaluerit: Et â febri interdum Icterus initium ſumit, nec prorſus fruſtra de hoc, laſſitudine poſt eam reſtitante, & urina adhuc multum tincta cogitabis, ut eo detecto feciliorem curæ finem imponere poſſis.

DCCXLVIII.

Variolis decumbens puer matri metum injiciens.

HOnoratiſſimorum Parentum filiolus, octo ferme annorum puer, olim jam gravioribus morbis defunctus, cum nuper frater ejusdem haud ita difficulter variolas deviciſſet, itidem de malis queri cœpit, quæ hunc morbum plerumque antecedere ſolent, unde & ego vocatus ea remedia, quæ ad promovendas has puſtulas communiter laudantur, eidem præſcripſi; ſicuti vero per primum biduum ea fruſtra fere in uſum ducta fuiſſe, parebat, dum non ſolum febris augebatur, ſed & nec minima quidem macula in toto corpore conſpici poterat, ita non plane nullum graviorum malorum metum injiciebat coloris mutatio, dum puer alias florido faciei colore conſpicuus jam ſic palluit, ut vix agnoſci potuerit, cum aliis febre præſente in hac præſertim ætate conſtitutis non tam palleant, quam potius majori ac olim rubore ſuffundantur genæ, quem metum auxit, quod puer prius alacris, nunc adeo quietus extitit, ut vix verbum protulerit; continuatis tamen ſedulo medicamentis paulatim maculæ ſe exſeruerunt, jamque & ægrotulus cetera ſe melius habuit, febrisque inprimis non parum ſe remiſit, at dum ſic & priſtina alacritas rediit, isque nunc in lecto vix contineri potuit, & quædam delira proferre verba matri viſus fuit, ei inde tantum injecit metum, ut jam non variolis ſed petechiis eundem laborare crediderit, & hinc paulo ante mediam noctem me vocaverit; at cum omnia attentius exploraſſem, nullum prorſus periculum ſubeſſe inveni, hincque Matrem ſolatio erexi, quod vanum non fuit; indies; enim variolis majus incrementum ſumentibus, puer quoque indies melius ſe habuit, & tandem Dei gratia haud ita difficulter convaluit; adeo quidem adſtantes identidem fruſtra ſibi metuunt, uti contra, ubi non ita parvus ſubeſt metus, eum identidem non ſine noxa deponunt.

DCCXLIX.

Febris farciminibus in nimia quantitate comeſtis contracta.

PRopinqua cognatione huic conjunctus, & duobus annis ætate major alius quidam puer, teneræ conſtitutionis, & identidem morbis obnoxius, oblata occaſione farcimina ex carne minutim inciſa parata duo cum dimidio ingeſſit, & huic cibo plus etiam potus, ac aliâs ſolet, ſuperingeſſit, eo ipſo vero ſicuti ſtatim noctem inquietam ſibi fecit, ita & ſequenti die minus bene ſe habuit, quod tamen, ne errorem fateri cogeretur, nemini detexit; at cum tertio die de lecto ſurgere non potuiſſet, mater me propterea conſuluit, quæ tamen & ipſa erroris in diæta ignara ejusdem nullam facere potuit mentionem, ut

ut adeo, niſi per alios mihi innotuiſſet, vix ejusdem rationem habuiſſem, ſic vero ſtatim purgans eidem præſcripſi, quod tum aliquot vomitus, tum plures ſedes movendo, febrem, quæ jam accenſa fuerat, ſic extinxit, ut aliquoties poſtmodum ſumto Elix. Aper. Clauderi brevi convaluerit; farcimen vero, qualia comederat, pondere dimidiamlibram æquaverat: Uti nempe tales febres aliis medicamentis quam purgantibus magis exaſperantur quam curantur, ita ii, quibus revera curæ cordique filiolorum ſuorum eſt ſalus, ne tantum cibi ingerant, plurimum ſunt ſoliciti.

DCCL.

Funiculi umbilicalis loco partem abdominis conſtringens.

IN obſtetricum litibus dirimendis nuper occupatus, inter alia notavi, quod quædam aliam accuſavit, quod ab hac hinc inde diffametur, ac ſi obſtetricio muneri, dum nempe viſu minus polleat, uti decet, præeſſe non poſſit; quod accuſata negavit quidem, at retulit, ſe aliquando una cum hac adſtitiſſe cuidam parturienti, dumque ipſa hanc minus bene poſt partum ſe habentem tractarit, illi ſe fœtum enixum commiſiſſe, poſtmodum vero inquiſiviſſe, quomodo præſertim funiculus umbilicalis ſe habeat, una cum hoc vero & abdominis quandam partem illam conſtrinxiſſe, hincque hoc illi ſe exprobraſſe, & quomodo tractandus ſit hic funiculus? docuiſſe; quoniam vero inſcitiæ ut negligentiæ hoc adſcribere noluerit, viſu debiliore ſe eam potius excuſare, quam accuſare voluiſſe; nec vero altera hoc ſic negare potuit, quin haud ita rite tum eam vaſa umbilicalia tractaſſe, conſtitiſſet; ſeu vero revera viſu minus polleat, uti quidem & aliæ teſtatæ fuerunt, ſeu alia de cauſa errorem commiſerit, ſi exinde didiceris, hoc nobiliſſimo ſenſu pollentes obſtetrices ejusdem notatu digno defectu laborantibus omnino præferendas eſſe; interdumque recens natorum continui ejulatus cauſam non adeo inepte & in hoc funiculo quæri, cum tales & ſimiles errores committi poſſe, nullum ſit dubium, fruſtra obſervationem non legiſti.

DCCLI.

Funiculum umbilicalem pro inteſtino habens.

PRæterea hæc ipſa, alteri, quæ ipſam accuſaverat, objecit, quod hiſce demum diebus ad quandam difficulter parientem, ut juxta eandem adſtet, vocata fuerit, cumque funiculi umbilicalis quædam pars ipſum partum anteceſſerit, hanc pro Inteſtinis illam agnoviſſe, & hac ipſa de cauſa, ut alia vocetur, petiiſſe, ſicut vero ipſamet parturiens, cui olim ejuscemodi quid contigerit, quod ſit funiculus umbilicalis, cum ipſa tetigiſſet, notarit, ita hanc jam eo magis urſiſſe, ut & altera vocata fuerit, quæ & ſic ſat dextrè parturienti

adſtitit, dum in fœtus, qui jam & brachiolum exſeruerat, pedes ſedulo inquiſivit, ſicque eundem mortuum in lucem produxit, nec hac in opera funiculus umbilicalis ipſam vel minimum impedivit, qui poſtmodum feliciter cum ſecundina ſeceſſit; tam craſſa vero ignorantia ſicuti merito ſumme improbata fuit, ita in hac originem debuit non tam informationis defectui, quam quia ante tempus, & nondum examini ſubjecta artem exercuit, quæ aliâs funiculum umbilicalem ab inteſtinis non potuiſſet non dignoſcere.

DCCLII.

Secundinam jam excluſam in utero adhuc latitare credens.

ALia accuſata fuit, quod cuidam adſtiterit, quæ ſecundinam jam excluſerit, eam tamen nihilominus urſerit, ut hanc quantum in ſe ſit, promoveat, & quidem per quadrantem horæ, donec alia excluſam ſecundinam monſtrarit, quam in vaſe ſuppoſito invenerat, ſineque dubio obſtetrice non obſervante ſponte ſeceſſerat, ipſa vero in uterum ſe condidiſſe, crediderat; quem errorem hæc faſſa fuit, utque in poſterum diligentius muneri ſuo præſit, monebatur: dum vero ex hac obſervatione conſtat, quod aliquando ſecundina jam excluſa in utero quæſita fuerit, ſi forſan ejuscemodi quid & in poſterum contingeret, ejusdem memor facile errorem detegere poſſet.

DCCLIII.

Variolis ſuccedens diarrhoea.

VAriolis hoc ſeculi hujus ultimo anno jamjam ad exitum vergente plures quam jam per plures annos corripiebantur, quæ tamen benignarum nomen omnino merebantur, dum non ſolum vix unum, quantum quidem ad meas pervenit aures, vivorum numero ſubtraxerunt; verum & multi iisdem decumbentes tam facile convaluerunt, ut vix medicamento opus habuerint, quin nec omnes ſemper in lecto ſe detinuerint, unde &, utut non pauci conſilio meo uſi fuerint, pauca tamen occurrerunt, quæ notatu digna fuiſſent, qualia tamen cum ſequentia eſſe, vix dubitem, ea producere juvat: Decubuêre inter alios etiam Mercatoris cujusdam filiolæ binæ, altera quidem ſexennis, altera quatuor annorum puellæ, ambæ tenerioris conſtitutionis, quæ tamen quamdiu medicamenta â me præſcripta in uſum duxerunt, & diætam commendatam ſervarunt, ſic ſat bene ſe habuerunt; at cum cereviſiam ſumme deſiderantibus & ſæpius expetentibus mater tandem ſuggeſſiſſet, inde ambabus inprimis vero natu minori alvus nimium fluere cœpit, quod matri non parvum injecit metum, quæ quippe ſæpius audiverat, in hoc morbo minus ſalutares eſſe ejuscemodi alvi fluxus; unde me propterea vocavit, & ego cereviſiam iterum ſeponere, huicque nunc decoctum Carn. Cydon. ſicc. ſubſtituere, ſimulque

que Eſſ. Catech. ter quaterve de die, prout alvi fluxus aut tardius aut crebrius revertatur, exhibere juſſi, quæ tamen per aliquot dies quaſi fruſtra in uſum ducebantur, quia alvi fluxus ſemper inſtabat, â quo tamen viribus non inſidiante nunc minus mater ſibi metuebat; ego vero iterum accedens ambabus Rhabarbarum toſtum, alteri quidem ejusdem grana XIII. alteri vero undecim præſcripſi, quo ſumto alvi fluxus ſic ceſſavit, ut jam Dei gratia integre convaluerint: Utut nempe cereviſia non paucis absque ulla noxa concedi poſſe videatur, quin tamen longe tutius eadem interdicatur, mihi nullum eſt dubium, cum præſertim ſiti urgente nimium plerumque ejusdem ingeratur, quod ſi vel maxime alia mala non produxerit, non raro tamen vel convaleſcentiam tardiorem reddet.

DCCLIV.

Variolis ſuccedens dolor pedis.

ALia quædam duodecim annorum puella, itidem tenerrimæ conſtitutionis, cum juſſis meis ſedulo paruiſſet, nec quicquam quod merito accuſari poſſet, commiſiſſet, variolas etiam ſic devicit, ut jam iterum ſanis annumerari potuerit, ut tamen quæ forſan in primis viis ſupereſſent materiæ peccantis reliquiæ, evacuarentur, ſicut aliis ſoleo, ita & huic lene purgans præſcripſi, quod ſumtum vomitum unum, & quinque vel ſex ſedes movit, at ſimul dolores in pede dextro tanti ſucceſſere, ut integram fere noctem inſomnem duxerit, & ſequenti die iterum in lectum ſe contulerit; quod cum ad me delatum fuiſſet, Tincturam Bezoarticam ipſam ſumere, & ſudori vacare juſſi, quod cum feciſſet, Dei gratia & hic dolor ceſſavit, ſicque illa jam integerrima fruitur valetudine: omnino nempe reſtabant quædam materiæ peccantis reliquiæ, quarum major quidem pars per alvum evacuata, at quædam hinc mota in pedem translata fuit, quam ſudor diſcuſſit.

DCCLV.

Variolarum metum injicientes menſes inſtantes.

MUlier quædam fere quinquagenaria, quæ hactenus nunquam Variolis laboravit, cum nuper filiola ejusdem ab hoc malo convaluiſſet, ipſaque primo laſſitudinem totius perciperet, & paulo poſt dolore capitis, appetitu proſtrato, frigore & calore ſe invicem excipientibus, pruritu quodam extremarum partium, ſiti & anxietate cordis corriperetur, primo quidem â febre maligna, qua tum paſſim quidem decumbebant, ſibi metuit, hinc vero variolas ſubeſſe, ferme tota credidit, & me in conſilium vocatum de hiſce inprimis interrogavit, ; ſicuti vero omnino fieri poſſe, ut & in hac ætate conſtituti variolis defœdentur, vel exemplo probare potui, ita tamen certi quid præ-

dici poſſe, omnino negavi, cum quotidie fere, quam incertæ & de variolis ſint prædictiones, magis experiamur; ea tamen medicamena, quæ in talibus caſibus exhibere ſoleo, & huic exhibui, unde ſtatim calor præternaturalis aliaque ſymptomata ſic ſe remiſerunt, ut ſequenti die longe melius ſe habuerit; quoniam tamen de laſſitudine inſtante conquerebatur, minime fidendum ratus præſcripta medicamenta alexipharmaca eandem continuare juſſi, unde jam menſium fluxus ſupervenit, cui adeo prorſus omnia reliqua mala ceſſêre, ut tertio die jam iterum rei domeſticæ præeſſe potuerit: aliunde itaque quam â ſanguine menſtruo in motu conſtituto, & forſan particulis quibusdam peregrinis imbuto recenſita mala originem non traxerunt; quia vero hæc â febrium malignarum principiis difficillime dignoſcuntur, qui alexipharmaca iisdem opposuerit, vitii vix accuſari poterit.

DCCLVI.

Vinum pueris innoxiè conceſſum.

IN ſatyrico quodam ſcripto cum nuper legiſſem, ab Auctore pueris Vinum pro tam noxio haberi, ut & vel loco vehiculi illud iisdem tuto concedi non poſſe, aſſerat, recordatus fui, quod ſæpius tum medicos quosdam, tum præſertim mulierculas in hac ætate conſtitutis adſtantes idem aſſerentes audivi, hincque nullum eſt dubium, quin hæc ſit ſat antiqua traditio; an vero Experientiæ ſit innixa, eſt quod ego quidem totus dubito, dum non ſolum (cujus rei forſan albi memini,) duas virgines novi, quæ haud ita diu poſtquam editæ fuerunt, vinum aqua dilutum bibere cœperunt, & per integrum biennium biberunt, ſanitate vero hodie integerrima fruuntur, dum frater illorum, cujus potus aqua extitit, ſexto ætatis anno catarrho ſuffocativo abreptus fuit, & ſoror natu minima itidem hydropota continuis fere catarrhis divexatur; ſed & ipſemet in propriis filiis notavi, quod poſt ſumtum unum alterumque cochleare vini tam bene ſe habeant, ut illud per primum præſertim biennium continuare nullus dubitem: nec ſane deſunt rationes, cur pueris in parca quantitate vinum concedi poteſt, cum plerumque humores viſcidi atque pituitoſi in iisdem abundent, quos hoc conſumit; nec habes quod in ſuccipleno præſertim & pingui puerulo metuas, ne vinum illum nimium conſumat, modo in quantitate non excedas, quæ tam parca ſit, oportet, ut non tam ſitis hoc potu ſedetur, quam is inſtar medicamenti adhibeatur, quorum quædam & pueris commendata hoc magis calefaciunt.

DCCLVII.

Pulvis in longe majori ac juſſum ſuerat, doſi exhibitus.

PRæſcripſeram hiſce diebus puero cuidam Variolis decumbenti, uti quidem ſoleo,

ſoleo, ceteris quibusvis bene ſe habentibus, pulverem ex Unic. foſſ. C. C. Phil. calc. & Antim. Diaphor. aa. ℨj conſtantem, ſimulque juſſeram, ut adſtantes poſt ſingulas octo horas, quantum quidem cuſpide cultri teneri poteſt, exhiberent; quæ vero minus obſervantes verba mea, ſicuti hactenus quasdam Potiunculas, ita hunc pulverem in tres partes diviſerunt, & viginti quatuor horarum ſpatio eum omnem puer deglutiit; defendereque hunc ſuum errorem voluerunt, quod & inſcriptio formulæ ſic exhibere medicamentum juſſerit, quæ tamen ſicuti rectè ſe habuit, & expreſſe indicavit; poſt ſingulas octo horas aliquid hujus pulveris dandum fuiſſe, ita nunc hoc unice ſolatio iisdem fuit, quod ægrotulus inde non tam pejus quam melius ſe habuit, jamque ut in poſterum modo â me præſcripto pulverem continuent juſſæ, monitis ſe diligentius parituras promiſerunt; ſicuti vero exinde confirmatur, quantum ſoliciti debeant eſſe medici, ut adſtantes illorum mentem recte percipiant, cum identidem & ab iis, quos pro maxime prudentibus haberes, errores committantur; ita pulveres in non ita exigua doſi pueris etiam (hic vix octennis erat,) absque noxa exhiberi poſſe, itidem ex hac obſervatione patet, quin ſi in malignis præſertim morbis hi ipſi pulveres in majori ac communiter fieri ſolet, doſi exhiberentur, hi forſan facilius curarentur, tutoque hoc, caſu hoc fortuito præeunte, tentari poſſet.

DCCLVIII.

Febris in maculam totum pectus obtegentem deſinens.

NObiliſſimorum Parentum filiola, quatuor annorum, antea ſaniſſima parens, ſubito dolore capitis prehenditur, quem comitans calor p. n. tantus erat, ut nec per momentum quidem temporis extra lectum ſe continere potuerit, & difficulter admodum reſpirarit, ut mater ſolicita, ne variolæ ſubſint, me vocari curarit, & ut harum eruptionem promoveam, ſedulo rogarit; præſcripſi ergo, cum calor jam tantus extiterit, ut in tam tenella ætate vix majorem gradum acquirere potuiſſet, non tam Tincturam Bezoarticam, quam mater exhibere volebat, quam pulv. ex Pannon r. & Lap. Bezoart. præcipue conſtantem, quo ſumto calor ſtatim multum ſe remiſit, & macula rubra totum pectus occupans in eadem comparuit, unde pulverem uti juſſeram ſedulo continuavit, hincque puella ſemper melius ſe habuit, & antequam redii, non ſolum omnis calor nimius diſcuſſus fuit, ſed & macula modo memorata penitus diſparuit; continuare vero nihilominus per biduum adhuc hos pulveres juſſi, ut ſi forſan reliquiæ quædam ſupereſſent, & hæ diſpellerentur, quod Dei gratia feliciter ceſſit, dum hoc tempore elapſo puellam alacriter ludentem inveni: Seu vero variolæ ſubſint, ſeu aliud malum latitet, ſemper in ejuscemodi febribus alexipharmaca tuto exhibebuntur.

DCCLIX.

Salivatio mercurialis ulcera fiſtuloſa cum obſtructione menſium curans.

IN ſcripto illo ſatyrico, cujus nuperrime mentionem injeci, dum inter alia etiam in contraindicantia Salivationis mercurialis inquiritur, & inter hæc tum menſium obſtructio tum ulcera antiqua referuntur; ſequentia mihi in memoriam revocata fuerunt: Plures jam elapſi ſunt anni, quod hic Virgo quædam elegantis formæ ulceribus in ſuperiore pedis parte tam refractariis laboravit, ut iisdem unanimiter fiſtularum fuerit impoſitum nomen, quibus licet varia oppoſita fuerunt remedia, nunquam tamen cicatrix induci potuit; ut adeo vel hac de cauſa plures tum medicos tum chirurgos conſuluerit, inter quos tandem unus acceſſit, qui Salivationem mercurialem commendavit, quæ Dei gratia tam feliciter ceſſit, ut non ſolum menſes hactenus obſtructi, & ſine dubio malum non parum foventes inde fuerint moti, verum &, nullo remedio externo oppoſito ulcera ſponte occaluerint, unde ab illo tempore hæc ipſe curatio pluribus commendari cœpit, licet, non ſemper habita debita quarumvis circumſtantiarum ratione, non quibusvis æque feliciter ceſſerit: nec tamen menſium obſtructionem nec ulcera antiqua ſemper inter contraindicantia locum mereri, quin potius ſæpius pro indicantibus habenda eſſe, ex hac obſervatione non parum eluceſcit; cujus, ſi vel maxime alibi jam meminiſſem, hunc tamen in finem ibi non fuit producta, omninoque juvat, ubicunque occaſio ſe offert, Tyronum menti evellere falſas de contraindicantibus opiniones, quæ ſemel nimium impreſſæ mirum quantum nocent: non ex hoc vero ſolum exemplo conſtat in hiſce malis ſalivationem dictam cum fructu adhibitam fuiſſe, ſed plura vel in meis ſcriptis occurrunt.

DCCLX.

Bontekoeana cura cuidam ſumme proficua.

ARtifex quidam celebratiſſimus, ſæpius in Itineribus conſtitutus, cum aliquandiu & in Helvetia ſedem fixiſſet, ibi locorum catarrhis tantum fuit divexatus, ut non ſolum ab ab iisdem oculis inprimis inſidiantibus ne horum lumine aliquando penitus privetur, ſibi metuerit, verum & vitam ejusdem exinde abbreviatum iri, nonnulli prædixerint, cum præſertim varia in uſum ducta remedia malum nec minimum quidem deliniviſſent: incidit autem forte fortuna & ſua fortuna in famoſi illius medici Cornelii Bontekoe ſcripta, quæ nempe tum tantum non in omnium ore verſabantur, in iisque inprimis fumum Nicotianæ, ac Decocta & Infuſa calida commendata inveniens illius præſertim uſum elegit, & hinc ſæpiuſcule fumo ſe delectavit, aliquoties vero

etiam

etiam Decoctum Caffee eidem ſubjunxit, hincque Dei gratia tam bene ſe habuit, ut ab illo tempore catarrhis plane ceſſantibus, tabacco nunc ſingulis diebus aliquoties utatur, & huic ſoli recuperatam ſanitatem adſcribat: Non omnino contemni meretur fumus nicotianæ, cum plurimum ſalivæ ê vaſis lymphaticis eliciat, & hinc ſine dubio hanc peccantem corrigat, ſicque apophlegmatiſmis Veterum ſat commode ſubſtituatur, at ſicuti hi, non quibusvis conducit, & ut juvet, methodice eſt adhibendus, modusque inprimis ſervandus.

DCCLXI.

Cucurbitulas admovendi modus idoneus.

IN ſingultu nuper cuidam cucurbitulæ ſine ferro ut applicarentur, juſſi, quod cum præter meam opinionem, Chirurgus, qui alias hanc operam balneatoribus committere ſolent, in ſe ſuſcepiſſet, primoque fruſtra plane & hoc remedium adhibitum fuiſſet, ut ſequenti die in præſentia mea iteraretur, deſideravi, ut nempe an parti affectæ impoſita fuerit Cucurbitula conſtaret; ubi utut iterum remedium olim tantum commendatum, & â me quoque aliquando proficuum repertum malum nec minimum quidem mitigaverit, modus tamen applicandi tantum mihi placuit, ut communicatione dignum judicaverim; impoſuit vero is parti affectæ mediante emplaſtro candelæ cereæ parvæ partem breviuſculam, hancque alio lumine accendit, ſicque non cucurbitulam ſed vitrum parvum aliud, aliâs vini potui diſtinatum ſuperimpoſuit, quod ſic ſcopo huic ſatisfecit, ac quidem expectari potuit; ſicuti vero candelæ cereæ particula etiam absque emplaſtro cuti admoveri, ſicque accendi poteſt, quin & alia facile ignem capientia e. gr. charta hunc ipſum in finem adhiberi, nec hæc ardentia, cum Vitro impoſito ſtatim extinguantur, cutim vel minimum lædant, ita ſi quis cucurbitulis opus habeat, nec ſtatim ſint ad manus, qui aliâs easdem applicare ſolent, per unumquemque adſtantium hoc modo petito medici ſatisfieri poterit: licet vero ii, quibus hæc jam innotuerunt, ſine dubio ea minimi habebunt, ita non deeſſe contra, quos hic modus adhuc latuit, quibusque aliquando ê re eſſe poterit, proprio meo exemplo doctus non dubito: Hiſce ergo non vero illis ſciolis hæc ſcripta ſunto.

DCCLXII.

Mithridatium Infantibus applicandi modus.

HOc ipſo die de ſequenti remedio quid mihi videretur? interrogatus fui: Suaſit nempe Matrona quædam, quæ multorum annorum praxi in tractandis infantibus experientiam quandam acquiſivit, ut cuidam puerulo, qui plerasque noctes inſomnes duxit, Mithridat. Damocr. ſequenti modo applicetur: Inducatur nempe alutæ in formam plantæ pedis adornatæ, quam tenuiſ-

ſime, hoc electuarium, hæcque aluta plantis inponatur, hincq; ſimili modo carpis ut & temporibus adhibeatur, & per triduum ſic impoſitum relinquatur, niſique juverit,(uti quidem multos juvaſſe conſtet,)cervix quoque & vertex eodem modo Mithridatio obtegantur, ſic enim pluribus, quibus antea nullo fere modo potuit, ſomnum conciliatum fuiſſe, ea, quæ remedium communicavit, teſtata fuit; ubi ego pro ſic ſat tuto remedio eſſe habendum, reſpondi, licet enim opiata externe applicata non ſemper ſomnum inducant, tam multis tamen partibus impoſita non calefacta quasdam ſomniferas etiam particulas ſanguini communicare, quæ modo quod deſideratur præſtiterint, tam copioſe tamen ſanguini non communicantur, ut inde vel minima noxa ſit metuenda.

DCCLXIII.

Sulphure reſuſcitatus infans pene mortuus.

SIngultu diu inſtante cuidam laboranti commendaveram præter plura alia remedia etiam illud, cujus in Ephemeridibus Naturæ Curioſorum fit mentio, quod nimirum cuidam fumus ê ligno Sulphurato accenſo forte fortuna ad nares delatus illico moleſtum hoc malum ſedarit; quod & ſic eidem arriſit, ut ſtatim talia ligna afferri curaverit, ipſeque accenderit & naribus obverterit, quæ quidem nunc exoptatum effectum ſtatim non exſeruerunt; at quod ſibi tantum arriſerit remedium, ſequentem reddidit rationem; ſe nempe ſæpius à Parentibus ſuis beate defunctis percepiſſe, quod in lucem editus tam debilis extiterit, ut præter obſcurum quendam cordis motum, vix ullum vitæ indicium notare potuerint adſtantes, hinc vero obſtetricem inprimis ut ligna Sulphurata afferantur, petiiſſe, hæcque allata atque accenſa naribus ſuis obvertiſſe, unde illico quaſi revivixerit, & vita jam per quadraginta & ſex annos fruatur; hujus rei etiam ſignum adhuc reſtitans monſtravit, maculam nempe parvam coeruleam manui inuſtam, quam à gutta ſulphuris tum accenſi forte fortuna in hanc delapſi originem trahere, itidem beati ſui Parentes ſæpius retulerint: Deficientibus itaque aliis rebus in excitandis pene mortuis recens natis infantibus, ſulphur quoque ſat commode quin utiliter adhiberi, ſicut hæc obſervatio docet, ita quam pertinaces illud inurat maculas, itidem ex eadem conſtat.

DCCLXIV.

Oſtrearum eſum ſubſequens diarrhoea.

VIr quidam nobiliſſimus, cum non abſque delectatione quadam oſtreas comediſſet, harumque utut non ita recentium & hinc aliquantum fœtentium multas nihilominus ingeſſiſſet, ne inde malum quoddam ſit contracturus gravius, fere quibusdam metum quendam injeciſſet, quos ipſe tamen riſit, certus, quod haud ita diu in corpore ſint ſubſtituri inde forſan generati crudiores

diores humores, nec ſpe ſua falſus fuit, ſequentibus enim proxime diebus alvi fluxus ſucceſſit, quo non ſolum oſtrearum reliquias, verum & plures in corpore collectos pravos humores depoſuit, optimeque poſtmodum ſe habuit; ſimul, cum hæc narraſſet, teſtatus, quod, qualiacunque coctu difficilia ingerat, quin ſi & ira efferveſcat, ſemper alvi fluxus ſubſequatur, quo vel modo generati vel & antea in corpore collecti pravi humores ſic evacuentur, ut nullum aliud inde ſentiat incommodum: ne vero nimium fidat huic viſcerum inſigni beneficio, hic opus habet, facile enim eodem aliquando deſtitutus in graviſſima mala incidere poſſet.

DCCLXV.

Veſicatoria male ſuſpecta facta.

Accidit hiſce diebus, quod cuidam fœminæ febre maligna decumbenti adſtiti, & quoniam non ſolum delirabat, verum & perpetua quædam ſomnolentia acceſſerat, ut veſicæ poſt aures excitarentur, juſſi; ubi quidem adſtantes dictis meis paruêre, at acceſſit quidam nec ſcientia quidem nec profeſſione medicus, ſæpiuſcule tamen de rebus medicis ſic ſat audacter judicans, hic, cum de his veſicis certior factus fuiſſet, remedium, quod non absque periculo adhibeatur, hoc vocavit, hincque eos monuit, ut, quando aperiantur ſedulam gerant ægrotæ rationem, ſub ipſa enim veſicarum apertione graviſſima ſupervenire poſſe mala, quod quidem maritum ſic perterruit, ut ſub primam noctem me acceſſerit, utque interſim huic, quam is tam periculoſam nominarat, apertioni, rogarit; ubi cum interrogatus ſimul reſpondiſſet, qua morbum nec minimam interea interceſſiſſe mutationem, mea præſentia minime opus eſſe, indicavi, omnemque metum propter veſicas maritum deponere, ſimul vero præſcripta medicamenta diligenter continuare juſſi; feliciter quoque ſucceſſit earum apertio, dum non ſolum tum aliud gravius ſymptomata non ſupervenit, verum & multum ſeri peccantis per easdem profluxit; licet, quod omnino etiam addendum eſt, malum inde nec minimum quidem mutatum fuerit; uti vero aliis mirum quantum profuiſſe Veſicatoria, vel ex pluribus meis obſervationibus conſtat, ita peſſime hujus ſortis homines falcem in meſſem medicam ſic mittere, nemo negabit, qui vel paululum conſiderarit, quod non ſolum metus utut fruſtraneus injectus ipſis decumbentibus ratione præſertim non carentibus ſumme ſit noxius, ſed & plures ab ejuscemodi remediis admittendis deterreantur, quibus ſine dubio ſumme profuiſſent.

DCCLXVI.

Spasmus à terrore productus.

Virgo quædam nobiliſſima, duodecim annorum, cum ob ſummum dentium dolorem aliquot noctes inſomnes duxiſſet, matrem permovit, ut

me propterea in conſilium vocaverit, ubi catarrhis quidem dicatum medicamentum præſcripſi, at quia dentem carioſum, & juxta illum ulcus quoddam inveni, niſi hic extrahatur, vix perfectam curam ſperandam eſſe, judicavi, quod & facilius perfici potuiſſet, quia dens ſimul vacillavit; quoniam vero gingiva tumefacta fuerat, donec tumor hic diſparerer, extractio protracta fuit; at diſcuſſo ſequenti die tumore, ne ulterius differatur, conſultum duxi, tum ut eo citius à doloribus liberetur ægrota, tum ne forſan pus os maxillæ erodat, hincque eam blandis verbis permovi, ut operationi ſe ſubjicere voluerit, juxta tamen tam perterrita fuit, ut non ſolum expalluerit, verum & de digitorum ſummo dolore queri cœperit, quos inſpiciens â ſe invicem diſtortos,& quaſi immobiles interdum,interdum incurvatos inveni,unde de ſpasmo certus, ne hic in convulſiones graviores mutetur, extractionem iterum differre juſſi, manibus vero, tum illita aqua quadam apopleptica tum calidis linteis applicitis, quantum fieri potuit, conſului, unde & ſiniſtra brevi priori reſtituta fuit ſtatui, at dextræ digiti motum priorem ſic non recuperarunt, unde illam Ol. Amygd. dulci inunxi, hincque & hac iterum uti ſicut olim cœpit: Tam noxius vero eſt terror, hunc ergo ſi quovis modo ab ægrotis Tuis avertas, iisdem non parum conſules.

DCCLXVII.

Herniam tum pro non prolapſa, tum reſtituta falſò habens.

VIr quidam quadraginta ſex annorum, cum jam ante viginti, & quod excurrit annos ſcrotum ſuum, ſicuti debet, ſe non habere notaſſet, hincque identidem torminibus laboraſſet, uti horum cauſam alibi quæſivit, ita illud malum penitus neglexit, donec tandem,antequam conjugium iniit, malum Chirurgo cuidam detexit, qui illud minime negligendum eſſe, indicavit, ſimulque ipſi de ſubligaculo proſpexit, at & hoc ſe opus habere non credidit, hincque non tam parti affectæ ſuccinxit, quam in ciſta aſſervavit; & dolores colicos ſæpiuſcule redeuntes flatibus inprimis adſcribens contra hos varia remedia at omnia omnino fruſtra in uſum duxit; donec tandem à me monitus ſubligaculum gerere cœpit, quod in principio tantum profuit, ut non parum ipſum pœnituerit, quod citius in illo remedium non quæſivit; at laxatis paulatim vinculis, inteſtina, quæ olim ſcrotum diſtenderant, hoc iterum occupare cœperunt, unde haud ita pridem doloribus inferioris ventris tantis correptus fuit, ut media nocte propterea me in conſilium vocaverit, ubi, uti in his caſibus ſoleo, ante omnia in alvum inquiſivi, quam bis heri demum apertam fuiſſe retulit, unde nunc, quomodo hernia ſe habeat? interrogavi, & is, hanc optime ſe habere, reſpondit, cum vero monſtraſſet partem affectam, ſcrotum maxime tumidum inveni,hincque dolores deducendos eſſe, nullus dubitavi; licet vero medicamenta

camenta quædam præſcripſerim, ut tamen inprimis inteſtina ſcrotum diſtendentia ſedi ſuæ reſtituantur, opus eſſe judicavi, & hinc Chirurgum vocare juſſi; qui, poſtquam ego diſceſſi, acceſſit, & ægroto perſuaſit, inteſtina jam priſtinum occupare locum, quod mihi redeunti æger retulit, fereque verbis ejusdem fidem adhibuiſſem, quia vomitus, qui prius etiam moleſti extiterant, remittebant, at quoniam dolores ea qua prius vehementia inſtabant, de vera inteſtini repoſitione ſubdubitare cœpi, & hinc ipſemet iterum locum affectum inſpexi, cumque ſicuti priore nocte conſtitutum deprehendiſſem, dolores non remittere, non fui miratus, eo magis vero nunc iterum urſi, ut mali hujus præcipua habeatur ratio; unde Chirurgus denuo vocatus majorem quidem diligentiam adhibuit, & ſcrotum quidem quodammodo imminuit, at non omne, quod in illud prolapſum fuerat, priſtinam ſuam ſedem occupaſſe, tum oculis patuit, tum dolores inprimis reſtitantes docuere; unde jam ipſemet manus adhibui, & Dei gratia ſic ſat feliciter quicquid in ſcroto peregrini delituit, abdomini reſtitui, utque ſubligaculum rite adaptetur, nunc ſolicitus fui: Ex narratis vero inprimis diſcas, quod nec herniis laborantes eas ſemper pro prolapſis habeant, nec Chirurgis, qui eas ſe repoſuiſſe gloriantur, ſemper fidendum ſit; nunquam autem dedecebit medicum ſi in ejuscemodi caſibus tum ipſe partem affectam inſpiciat, tum, ſi opus fuerit, manum admoveat: Fruſtra enim remediis vel decantatiſſimis tam diu pugnabit, donec inteſtina ſuæ reſtituta ſint ſedi.

DCCLXVIII.

Alvus léniſſimo laxante aperta.

Sicuti vero de reſtitutione inteſtini apud hunc Virum non parum fui ſolicitus, ita ut alvus pertinaciter obſtructa aperiretur, non minorem geſſi curam, & cum primo ſtatim Ol. Amygd. dulc. non ita exiguam quantitatem fruſtra exhibuiſſem, Clyſteres etiam applicati fuerunt, alternatimque jam horum uſu, jam ſuggeſtis variis laxantibus ſcopum meum obtinere tentavi, purgantia enim fortiora dolores potius augentia quam alvum in ejuscemodi caſibus moventia, quantum potui, vitavi; licetque aliquando cum ☉ri fulminantis granis ſeptem, quinque Mag. Jalapp. grana ſumſerit, vomitum quidem hoc medicamentum, at alvum nec minimum movit, unde jam laxantibus inſtiti, & die quarto Potiunculam ex ſola Fol. Sen. Paſſ. Crem. ♀. & Sem. Anis. infuſione conſtantem eidem exhibui, qua bis ſumta interpoſitisque binis Clyſteribus Dei gratia alvus aperta ſucceſſit: ſemper vero in hiſce caſibus plus laxantibus, quam vel vehementiſſimis purgantibus proficimus, tumque optime medicus non tam de aliis medicamentis, quam ut laxantia ſedulo continuentur, eſt ſolicitus.

DCCLXIX.

Theriaca Cœleſtis intempeſtive ſumta.

UT vero dolores poſt alvum apertam eo certius mitigarentur, ſecundo die Theriacam Cœleſtem præſcripſi, at non niſi ea reſerata ſumendam, quod & æger probe novit, & Uxor ejusdem monuit; at quoniam dolores ſemper increſcebant, is eam, ut ſaltem hi delinirentur, obſtructione adhuc inſtante deglutiit; ſicuti vero dolores inde nec minimum quidem mitigati fuerunt, ita ſine dubio hoc quoque medicamentum impedivit, ne reliqua præſtare potuerint, quod aliâs præſtare ſolent: ubi itaque habes quod metuas, ne ejuscemodi error committatur, non facile opiatum præſcribes, niſi alvum jam apertam eſſe certo noveris.

DCCLXX.

Oleum Lini, quod ano injici debebat, deglutiens.

OLeum vero Lini inprimis elegeram, ut loco Clyſteris injiceretur, non ſolum nempe emolliens & blande irritans, verum & inteſtina minime lædens, (dolorem enim non parvum intulerant ſuppoſitoria acriora itidem fruſtra adhibita) quod, cum tertio die itidem bis terve fruſtra injectum fuiſſet, ſub noctem hac de re me per ancillam certiorem reddiderunt, tum vero Aurum fulminans præſcripſi, & ut hoc ad votum non operante, Clyſteres continuentur, ſuaſi; at ancilla me, ut oleum Lini ſumat, juſſiſſe, retulit, unde & ejusdem non ita exiguam quantitatem hauſit, quod cum ſequenti die mihi retuliſſet, nullam quidem noxam inferre potuiſſe judicavi, at quoniam ſic alvum non aperuit, quod ſic rarius Clyſteres applicati fuerunt, dolui: diſces vero exinde quam parum tuto ancillis fidamus, quæ utut ſe nos optime percipere, aliquoties ſedulo teſtentur, identidem tamen aliena prorſus domi referunt.

DCCLXXI.

Alvus falſo aperta credita.

JAm ſecundo die hic ipſe æger retulerat, ſe alvum quidem apertam non habuiſſe, at medicamenta per eandem reddidiſſe, quod ſicuti de Clyſteribus quidem facile credebam, ita de iis, quæ ore ſumſerat me tum dolores inſtantes, tum quia idem Uxor ejusdem negavit, dubium reddiderunt, hincque, ut medicamenta convenientia propterea ſepoſuiſſem, minime commotus fui, at cum quarto die mane acceſſiſſem, nuncque non ſolum æger affirmaſſet, alvum nunc eſſe apertam, ſed & adſtans Chirurgi ſocius idem aſſeruiſſet, ferme fidem iisdem adhibuiſſem, niſi iterum dubium quoddam dolores adhuc inſtantes mihi injeciſſent, quod me permovit, ut ipſe excrementa inſpicere voluerim, at præter oleum

Clyſtere

Clyſtere injectum nil quicquam inveni, hincque eo diligentius medicamenta continuavi, inter quæ quale profuerit, nuperrime legiſti: quam ſedulo ergo medicus in quævis inquirere nec ſemper tum adſtantibus tum ipſimet ægro fidere nimium debeat, ſicuti hæc quoque obſervatio confirmat, dum nempe ſi nimium hîc fidiſſem, & hinc laxantium uſum ſepoſuiſſem, ſine dubio obſtructio majores egiſſet radices, & longe difficilius poſtmodum tolli potuiſſet, ita medicum genuinum talis inſpectio minime dedecet, modo ea non tam ut præ aliis officioſus pareat, & hinc in iis etiam caſibus, in quibus minime requiritur, ſed ubi neceſſitas ſic poſtulat, inſtituatur.

DCCLXXII.

Singultus alvi obſtructioni ſuccedens pertinax.

Licet vero brevi poſt ſic ſat feliciter & ſufficienter huic alvus aperta fuerit, cum tamen vix beneficio hoc gaudere cœpiſſet, ſucceſſit ſingultus, qui pertinacia ſua majorem ferme priori malo metum injecit, cum enim in principio ſtatim opiata eidem opponere non auderem, quoniam metuebam, ne ſic alvus denuo obſtrueretur, licet laudatiſſima in hoc malo præcipitantia ex Cryſtall. mont. pp. Coral. r. pp. C.C. Phil. calcin. (quod â nonnemine multum commendatur,) & ſimilibus, Cinnabar. item & Caſtoreo adjectis conſtantia diligentiſſime ſumſerit, ſemper tamen malum augmentum ſumſit, ut nec per momentum quidem â ſingultu immunis vixerit, & integras noctes inſomnes duxerit; unde, cum jam alvus partim ſponte aperiretur, partim Clyſteribus facile reſeraretur, opium paulatim aliis medicamentis addere cœpi, & præter alia bis ſub noctem primo quidem Extr. op. Cydon hinc Laudani opiati grana tria, illud cum Mithridat. Dam. ℨj. hoc vero cum duobus Ther. Coeleſtis granis exhibui, prætérquam autem, quod per ſeſquihoram ferme ſomnum hæc induxerunt, nec minimum quidem profuiſſe videbantur; continuati tn. ſedulo nihilominus fuerunt pulveres, jam opii jam Ol. deſtillatorum viribus aucti; externe etiam præter varia cataplaſmata cucurbitulæ aliquoties applicatæ fuerunt, & fumus ſulphuris naribus ſuſceptus itidem huic malo opponebatur: At omnia omnino fruſtra, donec inteſtina ſubito iterum in ſcrotum prolapſa inſignem terrorem ægroto injecerunt, inde enim per quatuor horas ceſſavit ſingultus, at iisdem reſtitutis ſicque diſcuſſo timore is paulatim rediit, unde nunc pulveres abſque opio cum Ol. deſtillatis inprimis continuavit, ſulphur accenſum aliquoties denuo naribus admovit, & tres cucurbitulus juxta ſe invicem abdomini applicari curavit, ſicque paulatim, cum per quatuor dies inſtitiſſet ſingultus, tandem penitus Dei gratia diſcuſſus fuit: Inter remedia vero uti terror fortuito accedens ſic profuit, ut illico notari potuerit, ita æger ſulphuris fumo non parum tribuit, cucurbitulas etiam

etiam plures applicatas levamen attuliſſe notavit, quævis vero reliqua aliquid contribuiſſe, ego nullus dubito.

DCCLXXIII.

Mammæ ab animi affectibus conſumtæ.

VIrgo quædam honeſtis edita Parentibus, & ſuavibus atque modeſtis prædita moribus, viripotens conjugium, modo fortuna faviſſet, lubentiſſime iniiſſet, cumque cupiditatibus ſuis illicito tamen modo minime indulſiſſet, inde non ſolum colorem illum, qui alias quoque eadem cum ipſa fortuna gaudentes defœdat, verum & hanc comitantia mala, difficilem nempe reſpirationem, laſſitudinem, & dolorem ventriculi gravativum contraxit; at ſicuti mammæ prius ejusdem quoque pectus exornaverant, ita hæ inde non quidem auctæ ſed nec imminutæ fuerunt, donec ante tres fere vel quatuor annos contigit, quod Viduus quidam ejusdem amorem ambiit, quem ut redamet, cum quidam quidem ex amicis ſuaſiſſent, plures tamen, & inter hos ii, qui reliquis plus valebant, idem nec absque rationibus ſufficientibus diſſuaſiſſent, inde jam ſpe eodem potiundi erecta, jam iterum metu, ne ſpes hæc ſit fruſtranea, dejecta ſic afflicta fuit, ut, cum inprimis tandem amicis conjugium hoc diſſuadentibus non potuiſſet non parere, brevi illo temporis ſpatio mammæ penitus conſumtæ fuerint, ſic, ut in hunc usque diem illarum præter papillas vix ullum reſtet indicium, quod, cum nuper febris albæ inſtantis ergo me conſuluiſſet, amici ejusdem mihi narrarunt: Multum nempe negotii utero cum mammis intercedit, illo itaque in hac ob ſpem fruſtratam indignante hæ paulatim emarcuere, nec facile, niſi in tempore voti ſui damnetur, priſtinam acquirent magnitudinem: In pluribus eadem de cauſa mammas imminui, nullum eſt dubium, licet pauciſſimæ fateantur, quin, cum haud ita multum interſit, nec facile medicamentis hæc magnitudo reſtituatur, vix medicus propterea conſuletur, cum præſertim deſtitutæ hoc mulierum inprimis virginum ornamento variis dolis ſibi conſulere poſſint, quibus ſæpe efficiunt, ut aliis magis mammoſæ pareant.

DCCLXXIV.

Caſeum revera abhorrens.

IN illuſtri quodam conſeſſu illorum quoque qui â certis quibusdam cibis abhorrent, mentio injiciebatur, ubi cum ego interſeruiſſem, non deeſſe quoque, qui ſibi imaginentur, ſe ab hoc illove cibo ahhorrere, quo deinde forte fortuna ingeſto vix exſatiari poſſint, præſens quædam Illuſtris Matrona narravit, ſe vero revera â Caſeo abhorrere, olim ipſo opere expertam fuiſſe, cum enim primò gravida amicum quendam viſitaverit, isque Caſeum bonum appoſuerit, hunc adeo ſibi tum placuiſſe, ut & adſidentibus hoc detexerit, ſimulque

que ſubjecerit, licet caſeum aliâs faſtidiat, hujus tamen comedendi ſe ferme deſiderio ferri, quæ hinc ob graviditatem præcipue ſe inſtigarint, ut deſiderio huic ſatisfaciat, ſeque ejusdem parvam quantitatem & quidem absque nauſea deglutiiſſe, at hanc vix in ventriculum delatam tantas ibidem turbas moviſſe, ut ſecedere, & quæcunque ingeſta una cum caſeo vomitu rejicere opus habuerit; Plures vero tales obſervationes vel ideo produco, ut eæ, quando judicium de idioſyncraſia eſt ferendum, cautiores nos reddant.

DCCLXXV.

Febris maligna diu neglecta letalis.

FOEmina quædam duobus annis quadragenaria minor, non ita malæ conſtitutionis, nec multis obnoxia morbis, cum ſorori, febre maligna, quæ aliquot ſub finem anni ſecularis brevi abripuit, laboranti, juxtaque paupertate preſſæ ſic adſtitiſſet, ut commode in noſocomium publicum transferri potuerit, pauloque poſt eodem malo correptæ privignæ itidem decentem curam geſſiſſet, inde male ſe habere cœpit; quod licet jam tum notaverit, cum funus ſororis interea mortuis aſſociatæ comitandum fuiſſet, non ſolum illud nihilominus comitabatur, verum & per quatuor adhuc dies negotia quævis domeſtica perficiebat, nec niſi de nocte in lectum ſe conferebat, donec maritus notans illam ſemper pejus ſe habere, vel refragante ea me in conſilium vocavit, ubi eam veſtitam quidem at febricitantem inveni, & quoniam de Cordis anxietate non ſolum conquerebatur, verum hanc ſæpius iterata ſuſpiria prodebant, malignarum febrium numero inſerendam eſſe eam, qua laboret, nullus dubitavi, hincque non ſolum ſtatim juſſi, ut lectum repetat, verum & medicamenta convenientia ordinavi, quæ diligenter ſumſit, & ſudori identidem vacavit; utut vero hic rite ſucceſſerit, nec unquam nimius extiterit, utut petechiæ hinc inde in non exigua quantitate conſpici potuerint, utut per aliquot dies pulſus cum morbo convenerit, & celeriter quidem, juxta tamen ſic ſat valide manus ferierit, primum tamen quod me perterruit, fuit, quod urinam excrevit, quæ non ſolum ſtatim turbida reddebatur, ſed & nulla arte priori claritati reſtitui poterat, hinc vero, quod die vero ſeptimo, poſtquam ego vocatus fui, ſic veræ rationis uſu deſtitui cœpit, ut lectum commacularit, unde, licet ſedulo medicamenta alexipharmaca continuarit, indies tamen plura ſpirituum præſertim animalium ſemper magis magisque deficientium ſigna ſe exſeruerunt, dum non ſolum corpus gravius factum fuit, ſic ut caput erigere ulterius non potuerit, verum & alii ſenſus defecerunt, auditusque inprimis gravitas ſupervenit, continuoque fere eandem dormire, adſtantes crediderunt, nec niſi, quod eſuriat atque ſitiat, unquam quicquam conqueſta fuit, donec die decimo convulſiones ſupervenerunt, quæ ſequenti die eam mortuorum numero aſſociarunt, pulſu etiam biduo ante mor-

tem ejusdem inſtantis quædam indicia præbente: Sicuti vero hanc febris maligna non ſtatim proſtravit, eo ipſo vero firmiores egit radices, ita qui febribus talibus graſſantibus vel minimis malis correpti ſtatim medicamentis alexipharmacis utuntur, non tam vitii accuſandi erunt, quam potius tanquam ſanitatis ſuæ decentem gerentes curam laudari merentur; nec ego quidem dubito, quin hæc, ſi principiis ſtatim obſtetiſſet, ſervari potuiſſet, felixque hinc omnino nominandus eſt, qui tam occultorum morborum principia ſtatim obſervat, qua tamen felicitate non ſemper omnes fruuntur.

DCCLXXVI.

Febris maligna in diarrhoeam ſalutarem deſinens.

HUjus beate defunctæ privigna altera, octodecim annorum, & hactenus Dei gratia ſanitate ſic ſat integra fruens, ſub illud ipſum tempus, quo ad matrem vocatus fui, male ſe habere cœpit, tum de capitis dolore tum pondere cor gravante conqueſta, quæ cum ad me detuliſſent, & reliqua indicia ipſam itidem graviter febricitare indicarent, ſtatim eidem, quæ convenire videbantur, præſcripſi medicamenta, quæ primo quidem ſumere detrectavit, at malo ſemper increſcente tandem monitis adſtantium aures præbuit, & ea ad juſſa mea in uſum duxit, ubi quidem quarto fere die ſanguinis motus ſic interturbatus fuit, ut ejusdem reſtitantis non niſi parva indicia in pulſu deprehendi potuerint, petechiæque ſimul hinc inde comparuere, quibus devincendis vix parem futuram inſignis virium proſtratio metum injecit; ſed medicamenta, quibus inprimis volatilia maritavi, nihilominus diligenter continuavit, unde tandem circa initium ſeptimi diei diarrhoea ſupervenit, de qua adſtantes ſic me certiorem reddiderunt, ut eas omnem jam ſpem depoſuiſſe ſic ſat patuerit; Non item tamen nunc & ego, cum præſertim pulſum explorans eum jam æqualem & fere naturalem inveniſſem, ceteraque ægra non tam pejus quam melius ſe haberet; pro critica habendam eſſe, judicans, & medicamenta, quibus jam adſtringentia quædam adjeci, continuare jubens, quod & Dei gratia tam feliciter ſucceſſit, ut brevi poſt integram recuperarit ſanitatem; felix, quoniam in principio ſtatim morbo ejusdem fuit obviam itum, felix, quod diarrhoea critica extitit, quæ aliâs merito metum injicit; adſtringentia vero reliquis medicamentis adjeci, non tam ut alvi fluxum inhiberem, quam, ne nimius fieret, impedirem, ſimulque talia elegi, quæ ſimul alexipharmacis ſunt inſtructa viribus.

DCCLXXVII.

Tinnitus aurium fruſtraneum terrorem injiciens.

MErcator quidam præcipuus, cum diu catarrho decubuiſſet, eique varia medica-

dicamenta fruſtra ferme oppoſuiſſet; quadam nocte evigilans, in aure dextra tinnitum non conſuetum percepit, hocque aliquamdiu inſtante, Uxorem excitat, quæ per ſe ſolicita ſtatim peſſima quæque, & hunc ipſum apoplexiæ prodromum eſſe metuit, tamque multis verbis hunc metum ſuum marito exponit, ut & ipſe eum pro juſto habuerit, hincque, ut media nocte ego vocatus fuerim, juſſerit; cum vero ad petitum ejusdem ſtatim acceſſiſſem, & ſedulo quibusvis exploratis nullum aliud hujus mali inſtantis indicium deprehendiſſem, â tanto hoc metu illorum mentem liberavi, nec hic tinnitus alia, quam quæ communiter laudantur, requiſivit medicamenta, quin haud ita diu poſt, nullo alio ſuccedente malo, Dei gratia penitus diſcuſſus fuit: Licet nempe interdum tinnitus aurium quoque Apoplexiam antecedere ſoleat, hic ſolus tn. nunquam tanti mali peritis in arte metum injiciet, cum vel leviſſimis de cauſis ſuboriri poſſit.

DCCLXXVIII.

Pueris medicamenta nocere peſſime perſuaſa.

MUlier quædam, quæ olim familiariter cum meis vixerat, cum hiſce diebus iterum nos viſitaſſet, & inter alia filioli ejusdem nuper mortui mentio fieret, ſponte faſſa eſt, quod, utut per pluſculas hebdomadas is minus bene ſe habuerit, & inprimis convulſionibus tortus fuerit, nullum unquam medicum conſuluerit, perſuaſa â quibusdam vicinis, quod pueris medicamenta noceant, & medici convulſiones non tam curent, quam quaſi retropellant, unde deinde varia alia graviſſima mala ſuboriantur, quæ nulla arte tolli poſſint, quibus dictis ſic fidem adhibuerit, ut ſperando ſemper ſponte convaliturum puerulum, quod hæ itidem promiſerint, omnia, quæ huc aliquid conferre potuiſſent, neglexerit; verum enim vero non tam ſponte ſe remiſiſſe inde convulſiones, ſed potius quotidie incrementum ſumſiſſe, tandemque abdomine intumeſente, reliquo vero corpore decreſcente filiolum dilectiſſimum fatis ceſſiſſe; hujus vero negligentiæ tantum ſe nunc pœnitere, ut interdum huic ſoli mortem ejusdem adſcribens non parum triſtetur: audaculæ vero non paucæ mulieres de morbis præſertim puerorum, quin interdum & aliis judicant, & non raro ea proferunt, quæ ſicuti omni prorſus fundamento ſunt deſtituta, ita non poſſunt non ſumme nocere; quo magis vero & per exempla conſtabit, quam parum tuto iisdem fidatur, eo minus ſe excuſare poterunt, quæ nihilominus tales errores comittunt.

DCCLXXXIX.

Hæmorrhoidum dolor conceptione inhibitus.

AUrifabri cujusdam Uxor, cum non ita diu in conjugio vixiſſet, de dolore hæmorrhoidum præſertim conqueri cœpit, qui interdum ſic auctus fuit, ut & convulſiones imminuerint, unde quidem plura eidem oppoſuit remedia,

at pleraque ferme fruſtra, donec Chirurgus quidam neſcio qualem liquorem commendavit, qui illitus levamentum quoddam attulit; notavit vero hæc, cum jam per aliquot menſes duraſſent dolores, quod hi nunquam magis ſint moleſti quam menſibus inſtantibus, quodammodo vero tum mitigentur quoque, quando aliquid ſanguinis per venas has hæmorrhoidales excernatur; ſicut autem, cum ante quinque fere menſes concepiſſet, menſium fluxus inde inhibitus fuit, ita & dolores hi penitus ceſſarunt, nec interea vel minimum moleſti extiterunt, quod mater ejusdem hiſce diebus mihi retulit, ſimulque interrogavit, an poſt partum ſint redituri hæmorrhoidum dolores? quod omnino fieri poſſe, reſpondi, cum mala â graviditate ceſſantia poſt partum ſæpiuſcule redeant: confirmatur interim hiſce Vaſorum ad uterum & inteſtinum rectum ſanguinem vehementium revehentiumque arcta connexio, nec ita difficulter ratio reddi poteſt, cur quædam non tam per uterum quam per vaſa hæmorrhoidalia tributum lunare ſolvant.

DCCLXXX.

Manna catatrhoſos juvans.

VOcatus nuper fui ad Mercatorem quendam quinquagenario majorem, qui variis curis diſtrictus in catarrhum incidit ſic ſat pertinacem, cum licet plura eidem oppoſita fuerint medicamenta, ſemper tamen inſtiterit, & interdum ſic ſat gravia minatus fuerit mala, licetque tum Caſſia, qua olim aliquoties cum fructu uſus fuerat, tam Pilul. FF. aliâs hunc in finem laudatis ſæpius abundans vitioſum ſerum ſubtrahere conatus ſit, nullum tamen unquam poſt hæc medicamenta ſumta levamentum ſenſit, ſemperque hinc de reſtitante adhuc materiæ peccantis non parva quantitate conqueſtus fuit, utque hunc ſubducam, non ſemel rogavit, unde tandem Mannæ in Vino ſolutæ ℥ij. eidem exhibui, quod medicamentum ſicut lubentiſſime ſumſit, ita quinquies alvum aperiendo Dei gratia tantum profuit, ut ab illo tempore catarrhus non parum ſe remiſerit, qui tandem iterata bis adhuc Manna penitus ceſſavit: Non tamen tantum Mannæ quam reliquis quoque in uſum ductis medicamentis adſcripſiſſem, niſi brevi poſt me Vidua quædam ſeptuagenaria major vocaſſet, catarrho etiam reſpirationi præſertim inſidianti jam per aliquot dies detenta, huic enim, cum itidem ejusdem uſum eodem modo commendaſſem, hic tantum profuit, ut alio medicamento vix opus habuerit: niſi enim in catarrhis extravaſati jam humores ſubducantur, ſæpe ſat diu fruſtra hoc malo detentis adſtabis, cumque fortiora purgantia nec quivis æque ferant, nec quibusvis conducant, quin catarrhos plerumque potius exaſperent, quam demitigent, omnino manna aliis præferenda erit medicamentis, cum præſertim & dulcedine ſua partes â catarrhis eroſas & cõcuſſas ſoletur, nec cuiquam vel minimum mali haſtenus intuliſſe, ego quidem notaverim, qui tamen ſæpius eandem præſcribo.

DCCLXXXI.

DCCLXXXI.

Arthritico non ſemper eodem modo conducens Balſamum album.

COnquerebatur nuper Artpriticus quidam in litteris ad me exaratis, quod bis terve quidem Balſamum illud Schaurianum, quod album nominant, non absque levamento quodam partibus dolentibus illeverit, jam vero cum doloribus redeuntibus idem remedium denuo applicaverit, illud ut olim non profuerit, doloresque nec minimum delinierit; cui ego reſpondi, communem hanc eſſe remediorum antarthriticorum externorum fortunam, quod, nempe, ſi vel maxime bis terve profuiſſe viſa fuerint, poſtmodum non tam prodeſſe, quam nocere videantur, quod ego quidem facile pluribus exemplis probare poſſem; & hæc tantum non præcipua cauſa eſt, quod ego non niſi rariſſime externa medicamenta in hoc malo commendo, quin, ſi dictis meis paruerint ii, qui hoc in malo me Conſultorem habent, præter lintea calefacta raro aliud remedium partibus dolentibus applicabunt; Internis præſertim ad hoc malum oppugnandum opus eſt remediis, ubi inter hodie nota potus calidi facile aliis palmam præripiunt, qui, ſi præcipue decens juxta ſervetur diæa, non raro malum niſi tollunt, multum tamen demitigant.

DCCLXXXII.

Nephritici dolores purgante excitati.

MAtrona quædam ſeptuagenaria, pinguis & gravis, hincque ſedendo atque decumbendo omne fere tempus conſumens, cetera tamen Dei gratia vix habens de quo queratur, niſi quod interdum doloribus nephriticis non parum moleſtis torquetur, quos ipſa vaſa ſanguiveha renum aperire ſubſequens urina cruenta prodit, cum nuper appetitus etiam deficeret, & vel gratiſſima oblata guſtui ejusdem tamen minus grata exiſterent, mihique propterea in conſilium vocato ſimul indicaret, quod jam per plures quam quatuor dies alvum obſtructam habeat, inprimis ab hujus apertione curæ innitium faciendam eſſe, judicans, lene purgans eidem præſcripſi, quod quidem huic ſcopo ſatisfecit, dum alvus inde, quantum requirebatur, fluxit, at ſimul dolores nephriticos ſic concitavit, ut hiſce, cum præſertim urinam nunc etiam retinuiſſent, pene ſuccubuiſſet; medicamentis etiam, quæ hactenus aliquoties juverant, fruſtra hac vice in uſum ductis, nec enim Infuſum Veron. nec pulv. ex Lap. ♋. & Terebinth. paratus, nec Balſam Copaiv. nec applicata plura externa medicamenta vel minimum levamentum afferebant; Donec tandem pulv. ex lapid. ♋. Balſ. Peruv. ſicc. & Cinnab. nat. pp. conſtantem ter de die bis terve ſumſit, qui Dei gratia non ſolum dolores ſopivit, ſed & urinam ſic movit ut jam iterum ſic ſat bene ſe

habeat: Tam diverſos vero eadem medicamenta diverſo tempore diverſisque ſubjectis data poſt ſe relinquunt effectus, quod enim nuper cuidam nephriticos dolores diſcuſſerat, medicamentum, hoc huic eosdem concitavit, ut adeo nullibi non ſumma medici requiratur prudentia.

DCCLXXXIII.

Dolor capitis emplaſtro exacerbatus.

IN publico officio conſtituti cujusdam Uxor, cum jam diu doloribus capitis intenſiſſimis identidem decumberet, remediis quamplurimis fruſtra in uſum ductis tandem Emplaſtrum, quod Pater quidam Cappucinus ſub Emerici nomine tum temporis notiſſimus Comitiſſæ cuidam præſcripſerat, huic ſic profuiſſe audivit, ut inde maximum deſiderium eo utendi in ipſa accenſum fuerit, cum præſertim deſcriptionem ejusdem quidam amici communicaſſent, quæ ſequens:

℞. Cerat. de Betonic. ℥jß.
Gumm. Tacamah.
Sandarach. aa. ʒjß.
Hb. Verben.
Betonic. aa. ℥j.
Croc.
Mum. aa. ℈ij.
Cer. Citr.
Terebinth. aa. ʒiii.
M. pro Emplaſtro

paratum itaque, deraſo prius omni capillitio illud toti capiti circumduxit, & jamjam omnes dolores ceſſaturos tota ſperavit; tantum vero abeſt, ut hac ſpe ſua potita fuiſſet, ut potius dolores ſemper incrementnm ſumſerint, adeo quidem, ut tandem me conſulere opus habuerit; ubi, cum præſertim retuliſſet, remoto aliquamdiu emplaſtro dolores remiſiſſe, illud ſtatim penitus removere juſſi, & alia interna inprimis medicamenta commendavi: In doloribus plerisque nempe non tam juvat emplaſtris poros obſtruere, quam materiam peccantem aliis magis convenientibus medicamentis diſſipare.

DCCLXXXIV.

Nephritici dolores periodici.

DEſcribitur ſupra Obſ. DCCXLIII. mulier, quæ ſumto purgante â doloribus nephriticis liberata fuit, qui & tum temporis ſic ſe remiſere, ut tum me dimiſerit; verum enim vero brevi poſt hi ipſi dolores ſic redierunt, ut denuo conſilio meo opus habuerit; licet vero medicamenta antinephritica levamentum

tum quoddam attulerint, & inprimis Emulſio, quam aliâs quoq; in hiſce doloribus non absque fructu comendo, & hic non absque fructu quodam ſumta fuerit, alvus tamen non niſi medicamentis ſolicitata officio ſuo reſpondebat, & dolores vel per totum diem minus moleſti ſub veſperam ſic ingruebant, ut & ſomnum impedierint, quotidieq; aliquoties eadem hora redeuntes febris quandam ſuſpicionem injiciebant; abſentibus tamen quibusvis reliquis ejusdem indiciis, in alvi præſertim apertione iterum ſubſidium eſſe quærendum, judicavi, & hinc Vinum medicatum purgans per aliquot dies mane ſumendum præſcripſi, quod cum blande materiam peccantem ſubduxiſſet, dolores etiam Dei gratia plane ceſſerunt, ipſaq: priori reſtituta fuit ſanitati: ſicuti vero, quia periodici fuerunt hi dolores, reliquis Vini medicati ingredientibus etiam Corticem Peruvianum addidi; ita cum dolores locum nunquam mutaverint, ſed ſemper lumbos occupaverint, commodius ipſis quam nephriticorum nomen vix imponi poſſe, mihi quidem videtur; quod vero non tam alia medicamenta quam purgantia inprimis profuerunt, ab inteſtinis fecibus repletis renibus incumbentibus eosque prementibus derivo, quæ quippe ſic evacuata eos ulterius non gravarunt, unde & in ipſis renibus contenta facilius excerni potuerunt.

DCCLXXXV.

Variolis ſuperveniens hæmorrhagia narium.

INter eos, qui hoc año Variolis decubuerunt, fuit etiam puer quidam octo annorum, â Patre in ſenectute genitus, & vel ideo Parentibus magis gratus, huic ſicut in principio febris inprimis moleſta extitit, dum & deliria illam comitata fuere, ita hiſce remittentibus & variolis hinc inde erumpentibus jam meliora quævis ſperantes adſtantes non parum perterruit, quod die fere quarto multum admodum ſanguinis ê naribus ejusdem profluere cœpit, cum præſertim tam diu hic fluxus inſtitiſſet, ut inde puer expalluerit, unde cum ſub noctem hæc contigiſſent, ante illam mediam me conſuluerunt; egoque ſicuti ſanguinis fluxum lanugine illa, quæ Cydonia inveſtit, inhibere juſſi, ita Mixturam ex Coral. r. & Unic. marin. præſertim conſtantem eidem præſcripſi, quæ Dei gratia ſic profuerunt, ut longe pluribus ac in aliis plerisque ſuccedentibus Variolis Puer poſtmodum integre convaluerit: Sicuti vero hæreditaria fere nominanda eſt hæc hæmorrhagia, dum tum Pater hujus, tum ſoror jam aliquoties cum ſanguine animam ferme profudiſſent, ita UniCornu marinum, ubi vel præſens eſt talis fluxus, vel habemus quod ab eodem metuamus, non absque fructu me hactenus præſcripſiſſe, Tyrones notent.

DCCLXXXVI.

DCCLXXXVI.

Febris non niſi medicamentis adhibitis ceſſans.

BUrſarii cujusdam filiolus ſeptem fere annorum puer, cum frater ejusdem à febre continua acuta convaluiſſet, itidem ſe male habere cœpit, & conqueri de illis malis, de quibus nuper is conqueſtus fuerat; ſeu vero jam avaritia Parentum in cauſa fuerit, ſeu alia de cauſa malum parvi habuerint, niſi quod in principio bis terve Pulv. Pannon. huic puerulo exhibuerunt, aliis medicamentis eidem non iverunt obviam; hinc vero malum tantum acquiſivit incrementum, ut præ anxietate vix reſpirare potuerit æger, & aliquot noctes inſomnes duxerit, unde tandem ſeptimo fere die me in conſilium vocarunt, & ego maxime anxium calentemque eundem offendens, laudavi quidem, quod hactenus ei nullum alium potum quam decoctum C. C. exhibuerunt, at quod tam diu medicamentorum neceſſariorum uſum neglexerint, decenter iisdem exprobravi, cum jam vel vitæ periculum ſubſit, quod in principio non adeo difficulter averti potuiſſet; præſcripſi tamen nihilominus convenientia medicamenta, iisque inprimis volatilia maritavi, quæ Dei gratia tantum profuere, & ſequenti ſtatim die febrem non parum ſe remiſiſſe invenerim, unde ea eo magis ſedulo continuare juſſi, quo factum, ut cum tertio die denuo acceſſiſſem, puerulum hilarem & extra lectum degentem invenerim, reliquiis quoque febris interea penitus diſcuſſis, hincque paucis adhuc medicamentis ad parta hæc bona tuenda in uſum ductis convaluit: Non ſemper itaque nec quivis morbi ſponte cedunt, niſique medicamenta iisdem opponantur, aut tandem letales evadunt, aut mala interdum morte graviora poſt ſe trahunt: In tempore vero adhuc hunc acceſſi, ſi enim diutius dilata fuiſſet cura, ſine dubio & hîc pejora ſucceſſiſſent.

DCCLXXXVII.

Silicibus candentibus alterata aqua pro antarthritica habita.

QUod antarthritica medicamenta continuata identidem tantum non proſint, quantum profuiſſe in principio viſa fuere, cum nuper coram nobili quadam arthritica vel illo exemplo, quod nuper admodum adduxi, demonſtraſſem, illa ſequentia ſubjunxit: ſe habere virginem cognatam, quæ jam per plures annos doloribus his mirum quantum torqueatur, quin ante ſemeſtre tantum torta fuerit, ut per aliquot hebdomadas lectum tenere opus habuerit, cui tum temporis quidam amicus Ulmenſis commendaverit, ut in poſterum aquam, in qua ſilices candefacti prius extincti fuerunt, bibat, quod conſilium cum executa fuerit, inde tam brevi dolores ceſſaſſe, ut illud laudibus ſufficienter extolli non poſſe, judicaverit; quam diligenter vero illud continuaverit, impediri tn. non potuiſſe,

potuiſſe, quin ante aliquot dies dolores majori ac unquam prius vehementia rediiſſent: licet nempe ſilicibus alterata aquâ ſic hîc prodeſſe potuerit, quemadmodum nephriticis prodeſſe creditur, quin tamen tanto malo curando vix ſufficiat, & in hac virgine dolores ſponte potius quam huic medicamento ceſſerint, ego quidem nullus dubito: ſicut vero arthriticis aqua potum ſat convenientem ſuggerit, ita vel hoc vel alio etiam modo alterata magis convenit.

DCCLXXXVIII.

Febris malignæ metum injiciens Variolas antecedens.

ANcilla quædam triginta ſex annorum, olim quidem aliquoties de difficiliori reſpiratione conqueſta fuit, eam tamen quia nihilominus laboribus ſuis vacare potuit, minus curavit, nec aliud, quam ab empirico quodam ſuggeſtum remedium eidem oppoſuit, quod vero itidem minus profuiſſe mihi retulit, cum nuper hanc ipſam magis difficilem quam unquam prius reddi notaſſet, ſimulque frigus, calor, cordis anxietas, laſſitudoque tanta acceſſiſſent, ut hæc mala eam in lectum proſtraverint; quæ quidem, cum accedens pulſum etiam ſic ſat celerem deprehendiſſem, ſuſpicionem febris malignæ injecerunt, unde & alexipharmaca pluries ſumenda ordinavi, quæ Dei gratia ſic profuere, ut ſequenti die non ſolum ipſamet teſtata fuerit, calorem p. n. ſe remiſiſſe, ſed & idem ex aliis etiam ſignis conſtiterit; quia vero laſſitudo inſtabat, nec cetera ſic ſe habebat, ut merito pro convaleſcente haberi potuiſſet, inde ego adhuc, ne anguis in herba latitet, metuens, medicamenta dicta continuare juſſi; hinc die fere quarto puſtulas in cute notavit, quas pro variolis ſtatim habuiſſem, niſi, ſe olim iisdem laboraſſe, indicaſſet, cicatricesque reſtitantes idem prodidiſſent; at continuatis medicamentis paulo poſt conſtitit, veras eſſe Variolas, quibus laboret, cumque jam & laſſitudo imminueretur, in uſum ductis iis medicamentis, quæ aliâs hoc morbo decumbentibus ſuadere ſoleo, ſuo tempore Dei gratia convaluit: Sat vehemens nempe ſubinde etiam ea febris eſſe ſolet, quæ Variolas antecedit, in adultis præſertim, in quibus materia has puſtulas excitans temporis diuturnitate majorem corruptionis acquiſivit gradum, at, niſi aliæ ſubſint cauſæ, raro diu inſtat, ſed puſtulis erumpentibus niſi omnino, multum tamen ſe remittit: Licetque novum non ſit, quod Variolæ pluries quibusdam inſidiantur, hocque ipſo anno quandam Juvenculam tertiò iisdem decubuiſſe, ſat certa fama ad me relatum fuit; raro tamen hoc in iis, qui Juventutis annos transgreſſi ſunt, continget, quin nullum hactenus mihi exemplum innotuit, triginta annis majoris, qui ſecundò vel tertiò variolis laboraſſet.

DCCLXXXIX.

Variolis aureis ſuccedentes veræ.

HOſpitis cujusdam filiolus, cum itidem, antequam Variolæ eruperunt, acute febricitaret, matrem permovit, ut me propterea conſuluerit, quæ variolas ſubeſſe, aſſerenti mihi vix fidem adhibere voluit, quia tres liberorum ſuorum haud ita pridem hoc morbo corrupti, vix ut in lecto propterea decumberent, opus habuerint; dum vero ei, ad quem vocatus fueram, medicamenta convenientia præſcribo, & variolæ jamjam erumpunt, natu major filiola, quam jamjam hoc morbo defunctam mater crediderat, iisdem quibus frater ſymptomatibus prehenditur, hisque etiam Variolæ ſuccedunt, & eodem fere modo in natu minore ſorore eadem notantur; meque interrogante, quamdiu eæ, quæ primo cutim exulcerarunt, puſtulæ inſtiterint? & matre, de quatuor ſolum diebus reſpondente, illas non tam pro veris, quam iis, quas noſtrates aureas nominant, variolis habendas fuiſſe, judicavi: Sic vero, has ſibi invicem interdum ſuccedere, confirmatur.

DCCXC.

Pleuritis ſpuria in gravida.

INſtitoris cujusdam Uxor, tertio gravida, cum aliquamdiu Dei gratia ſic ſat bene ſe habuiſſet, ſubito doloribus lateris dextri tantis corripitur, ut unam alteramve noctem inſomnes duxerit, cumque fruſtra tum neſcio quæ medicamenta externa applicaſſet, tum ſudori vacaſſet, mater ejusdem, ne graviora inſtent mala, metuens Urina allata me conſuluit, ubi cum ex hac nil quicquam perſpicere potuiſſem, quod morbum graviorem prodidiſſet, eaque retuliſſet, & tuſſim & febrim abeſſe, ceteraque filiam non ita male ſe habere, ſtatim de Pleuritide ſpuria cogitavi, quam non tam ſudoriferis & diaphoreticis quam blandis laxantibus pelli, hactenus aliquoties obſervavi; & huic ergo Potiunculam ex Infus Lax. Mannag. & Extract. Rhab. præcipue conſtantem præſcripſi, quam & illi Dei gratia profuiſſe, tum quia ulterius me non conſuluerunt, tum inprimis, quia non ita diu poſt eandem in platea vidi, me non abs re ariolari, nullus dubito; non quivis nempe humores ſic ſunt comparati, ut ſudoriferis diſpelli & educi poſſint, qui tamen ſicuti purgantibus quin laxantibus non ita difficulter cedunt, ita ſi nihilominus ſudorifera continuentur, interdum pejores qualitates acquirunt, ſicque morbus non tam tollitur, quam exaſperatur; quovis vero tempore gravidis etiam ejuscemodi laxantia medicamenta tutiſſime exhiberi, hactenus experientia ſæpius me docuit.

DCCXCI.

Capitis dolor Mariæ glacie depulſus.

VEnerandi cujusdam Viri Uxor cum nuper denuo capitis dolore intenſiore corriperetur, variorumque remediorum externorum injiceretur mentio, de tantum non omnibus, ſe eadem jam in uſum duxiſſe, referebat; licetque pleraque bis terve dolorem aliquantum mitigarint, continuata tamen hæc aut & iterata poſtmodum plerumque nec minimum quidem profuiſſe; inprimis autem aliquando militis cujusdam Uxorem, cum in Patria ſua medicus quidam celebris quamplurima medicamenta fruſtra omnino hiſce doloribus oppoſuiſſuiſſet, commendaſſe epithema ê Glacie Mariæ & aceto acerrimo paratum, quia hoc ipſum ſtatim paraſſe & vertici impoſuiſſe, adeoque hinc omnem dolorem ceſſaſſe, ut jam ſe remedium contra dolorem capitis virtutibus nulli alteri cedens poſſidere nulla dubitaverit; verum & hoc ea qua reliqua fortuna ſe poſtmodum iteraſſe, hincque ſe dubitare, an detur remedium externum, quo dolores hi ſemper ſedari poſſint; in qua re ſicuti me diſſentientem non habuit; ita cum poſtmodum de hac glacie nonnullos auctores evolviſſem, illam ab aliis lapidis ſpecularis nomine inſigniri, â quibusdam etiam Selenitem & â quibusdam Alumen Scajolæ, nominari, inveni, qui lapis in Moſcovia, copioſe item in Hiſpania, Saxonia, Thuringia, Marchia, Miſnia &c. reperiatur, rariſſime tamen niſi ad dealbandam faciem & rugas depellendas adhibeatur: quo ipſo ſicut conſtitit, eam inter alumina (quorum plura apud veteres præſertim in uſu fuerunt,) referri, ita dolore capitis â poris nimium apertis & diſperditione ſpirituum originem trahente, talia epithemata omnino prodeſſe poſſunt, quæ tamen aliis cauſis peccantibus potius nocebunt, quam proderunt.

DCCXCII.

Febris hypochondriacum invadens.

MErcator quidam quadragenario major, tenerioris conſtitutionis, cum pluribus laboribus per aliquot annos tum mentem, tum corpus defatigaſſet, paulatim malum hypochondriacum ſic contraxit, ut ante annum & quod excurrit, conſumtione quoque totius accedente ferme periculum vitæ incurriſſet, quod tamen diligenter in uſum ductis medicamentis præſertim martiatis Dei gratia ſic avertit, ut, cum præterita æſtate acidulas quoque bibiſſet, jam omnino ſe convaluiſſe crediderit; nec habuit, de quo vel minimum queri opus habuiſſet, quamdiu diætam convenientem ſervavit, at cum nuper in convivio, cui interfuit, cibos quoque difficiles coctu ingeſſiſſet, inde ſtatim Ventriculum gravatum notavit, quod tamen per biduum fere neglexit, at cum ſumto Rhabarbaro & alvo hinc aperta, non ſolum hæc gravitas non cederet,

ſed & appetitus proſtratus, laſſitudo inſignis, & ſitis minus conſueta accederent, me propterea vocavit, utque vomitorium præſcribam, petiit; quoniam vero urina tinctior, juxtaque nubecula inſtructa, calor nimius per pulſum ſe exſerens, & reliqua indicia, non tam in primis viis reſtitare, quam intimius jam reliquis humoribus mixtam eſſe materiam peccantem, detegebant, & aliquot alii febribus malignis decumbebant, alexipharmacis potius minus volatilibus, quibus ſemper Specif. Antih. adjeci, morbum aggrediendum eſſe, judicavi, quæ per quatriduum continuata Dei gratia ſic profuerunt, ut paulatim quævis recenſita mala diſſipata fuerint; quoniam vero hiſce medicamentis ſudor ſucceſſit, jam ſibi metuit, ne hic hecticam producat, qui tamen metus, ſponte ceſſante ſudore itidem evanuit, continuatoque poſt hæc aliquamdiu Specif. Cachectici uſu æger Dei gratia convaluit: Non ſemper nempe tuto Vomitoria exhibentur, ut adeo ſi vel unicum contraindicans eadem diſſuadeat, tutius iisdem alia ſubſtituamus in ſubjectis præſertim delicatioribus, quæ mirum quantum iisdem debilitantur, non facile vero te pœnitebit, ſi febribus malignis graſſantibus alexipharmaca aliquamdiu & in febribus minus malignis præſcripſeris.

DCCXCIII.

Nicotianæ uſui intermiſſo ſuccedens Vomitus.

CUm hunc ipſum ægrotum hujus morbi ergo ultimò viſitaſſem, Adfinis ejusdem militem agens, qui itidem eundem convenerat, urgente Uxore ſua retulit, quod ſingulis fere diebus, quando mane evigilet, vomitu parum quidem pituitæ, at cum tanta vehementia rejiciat, ut interdum & ſanguis ſuccedat, cumque ſtatim juxta indicaſſet, ſe â medicamentis quibusvis abhorrere, potum calidum Thee aut Caffee eidem commendavi, quibus vero itidem minus eundem delectari notans, fumi tubacci mentionem feci. qui præ aliis ipſi arriſit, quia præſertim, cum olim eodem uſus fuiſſet, nunquam vomuerit, hincque ipſe ab hujus intermiſſo uſu hos vomitus derivet: at Uxore refragante, utque aliud remedium ſuggeram, urgente, ego tragæam convenientem præſcripſi poſt cœnam inprimis in uſum ducendam, quæ nempe pituitam quam aliâs nicotiona promovit, nunc retentam conſumeret: non facile nempe absque noxa quadam, qui diu fumo nicotianæ aſſueti fuerunt, eum ſtatim omnino ſeponunt, cujus rei ſicuti jam in lineis meis medicis me exemplum adduxiſſe memini, ita ibidem prolata hæc quoque magis confirmant.

DCCXCIV.

Amentia Variolis ſuccedens.

CUm nuper fœminæ cujusdam amentis febre maligna decumbentis curam, quam alius inchoverat, Dei gratia feliciter finiviſſem, poſtmodum in ortum & cauſas hujus amentiæ poſt morbum devictum ut prius inſtantis inquiſivi, Paterque retulit, filiam quidem ad octavum fere ætatis annum usque, ea ratione, qua in hac ætate conſtitutæ ſolent, polluiſſe, nec ullum unquam amentiæ ſignum in eadem notatum fuiſſe, at cum poſtmodum in civitate quadam unius diei itinere ab urbe noſtra diſtante apud aviam ſuam variolis correpta fuerit, hiſce tam graviter eam tum decubuiſſe, ut non ſolum oculorum uſu per aliquot dies deſtituta fuerit, verum & cetera tam male ſe habuerit, ut de ejus convaleſcentia quivis adſtantes deſperarint, unde & ſcriptis ad matrem ejusdem litteris eandem monuerit avia, ſi in hac vita videre filiam adhuc velit, ut iter maturet, quæ & hoc inſtituerit; præter omnem vero ſpem poſtmodum hanc tam periculoſe decumbentem paulatim convaluiſſe, ſed ab illo tempore tam amentem eam exiſtere, ut nulli prorſus labori perficiendo ſufficiat, quæcunque enim ei demandentur, eam aut plane non percipere, aut perverſo plane modo perficere; ſicuti vero in tempore de remediis huic malo opponendis non fuit cogitatum, ita illud per plures quam decem annos jam inſtans vix quisquam aggredietur, niſi æthiopem lavare ſecum conſtituerit: Sine dubio vero in hac fœmina variolæ eas etiam partes, quæ rationi præſunt, aut ſaltem iisdem vicinas ſuo modo occuparunt, ſicque aut perverſa aut & intercepta ſpiritum via hoc malum produxerunt.

DCCXCV.

Variolis decumbens cereviſiam bibens.

HIſce ipſis puſtulis correpta ante aliquot hebdomadas Mercatoris cujusdam filiola ſex annorum, ſicuti unica ita Parentibus dilectiſſima, qui hinc, at omnem diligentiam in eadem curanda adhibeam, ſerio me rogarunt; Sicuti vero facile huic petito ſatisfacere potui, quia variolæ tam benignæ extiterunt, ut veræ magis benignæ vix eſſe poſſint, ita tamen in principio metui, ne puellæ, quia alium quam cereviſiam potum plane non admittebat, hic noxam quandam ſit illaturus, quia cereviſiam noſtratem ejus notæ non eſſe, ut tuto quibusvis ægrotantibus concedi poſſet, una mecum alii quoque experientiſſimi hujus loci medici ſtatuunt; at ut concedam, tum abſtinentia ab omni alio potu tum mater præcipue, cereviſiam etiam me renuente filiolæ exhibens me commoverunt, ut tamen Antimon. diaphoreticum eidem immiſceat, ſuaſi, quod & Dei gratia quævis pejora ſymptomata avertit, niſi quod aliquando alvum poſt quin-

que demum dies apertam tormina valde moleſta comitata fuerunt, quæ tamen Dei gratia ſponte ceſſarunt, ſicque hæc, utut alium quam cereviſiam ſic correctam potum non admiſerit integre convaluit: Quod utut & aliis eodem modo feliciter ceſſiſſe, non ignorem, niſi tamen neceſſitas urgeat, non facile cereviſiam in hoc morbo concedo, cum malignitate præſertim quadam præſente, non poſſit non eſſe noxia.

DCCXCVI.

Clavus periodicus.

ACceſſit me hiſce diebus Lanionis cujusdam Uxor, & conqueſta fuit, quod jam per aliquod temporis ſpatium, hora matutina quarta fere, dolore capitis regionem inprimis oculi dextri torquente corripiatur, qui per octo vel novem horas inſtet, licetque poſtmodum ſponte ceſſet, tantum tamen viribus nunc inſidiari incipiat, ut laboribus ſuis domeſticis perficiendis interdum vix ſufficiat, ut ergo conſilium ſalubre ſuggeram, ſimul hæc rogavit: Sicuti vero ego malum hoc Clavi periodici nomine commodiſſime inſigniri ſtatui, ita ex hac ipſa periodica mali reditione non tam caput per ſe, quam per conſenſum affici, judicavi, hincque Pilul. primo præſcripſi, quæ in primis viis hærentes feces peccantes evacuarent, hiſce vero tempore intermiſſionis ſubjungere juſſi pulverem

℞. Pulv. Cortic. Peruv. ℥ß.
Specif. Ceph. D. M.
Cach. Lud. aa. ʒjß.
M. ad Scatul.

Sign. Pulver/ davon zwey gute Meſſer-Spitz zu nehmen.

qui quippe tum cauſæ, quæ periodicum reddit malum, tum cruditatibus corrigendis, tum ipſi capiti ſolando dicatus eſt, indeque niſi aliæ impediverint cauſæ, non poterit non prodeſſe; productus vero nunc fuit antequam de eventu certi quid innotuit, cum raro â talibus ægriis is nobis denuncietur, tum quia plures Auctores ſic formulas ſuas communicant, tum ut habeant Tyrones, quod imitentur.

DCCXCVII.

Febris puerperalis notatu dignum principium.

FEbris puerperalis apud quandam nunc alia febre decumbentem mentione hiſce diebus facta, ea recenſuit, quod ante pluſculos annos, cum puerperium

rium fere totum ſic ſat ſana Dei gratia jam transegiſſet, aliquando aliquantum per feneſtram proſpexerit, indeque ſubito ſibi viſum fuiſſe, ac ſi caput tantum intumuiſſet, ut illud per feneſtram retrahere non poſſit, vim tamen, ſe ſibi tum intuliſſe quaſi, & ſic retracto capite illico in lectum ſe contuliſſe, ubi febris tam vehemens ſucceſſerit, ut ad vires colligendum vix aliquot dies ſuffecerint; Sicuti vero exinde conſtat, quam male ſibi conſulant puerperæ tenerioris conſtitutionis, & delicatæ educationis, ſi ante tempus corpus aëris cuidam inclementiæ expoſuerint, ita ſenſus capitis magnitudine tam aucti (revera enim non fuerat auctum,) aliunde, quam ab humorum motu primo in hac ipſa parte impedito, hinc vero in orgaſmum acto, commodius derivari vix poteſt.

DCCXCVIII.

Urinam malitioſe corrumpens & permutans.

ACceſſeram hiſce diebus quandam, cujus urinam turbatam dum priſtino ſtatui reſtituebat quædam adſtans Vetula, & à me monebatur, ut impediat, ne per rimas, quod Vitrum, in quo Urina continebatur, habeat, aqua cum eadem permiſceatur, hæc quidem non multum referre, ſi vel maxime ejuscemodi quid contingeret, credidit, jamjam narrandis permota: Se nempe olim ancillatam fuiſſe cuidam medico tum celebri, hunc, quotiescunque allata fuerit urina turbata, juſſiſſe, ut ea in culinam deferatur, ut ibi coqua eandem mediante aqua calida in priſtinum reducat ſtatum, ibi vero aliquoties contigiſſe, quod hæc aquam calidam, ut eo citius ſcopum ſuum aſſequatur, urinæ infuderit, quin bis terve ſe ipſam vidiſſe, quod urina per quandam negligentiam profuſa, hæc ipſa vas arripuerit, & urina, quam tum reddiderit, replerit, ſeque tum adhuc puellam plurimum tamen dubitaſſe, an ſic conſilium, quod herus ſuus ſit daturus, opus habenti prodeſſe poſſit, at inquirentem ſe percepiſſe, quod illi, quorum urina ſic corrupta aut permutata fuerit, nihilominus convaluerint; ad quæ ego quidem regeſſi, hunc medicum ſine dubio tum conſilia ſua non tam juxta ea, quæ ex urina perſpexerit, quam quæ relata fuerint, dediſſe, ſicuti enim per ſe plane dubium ſit ex Urina judicium, ita ex tali præſertim nil quicquam perſpici poſſe, vix alius, quam rationis lumine deſtitutus, dubitabit: Patet vero & ex hiſce, quam multa qua urinam contingant, quæ per ſe fallax ex illa judicium magis fallax reddunt; quo minus vero certus extiterit medicus, ejuscemodi quid non contigiſſe, eo minus urinæ ſoli fidet, & inprimis domui conſultus ſemper fere non tam hanc, quam ea, quæ ex relatione eliciet, reſpiciet, licet & huic ſæpiuſcule non ita tuto fidamus.

DCCXCIX.

Varices nunquam Gravidam incommodantes.

MAtrona quædam honeſtiſſima, quæ jam per pluſculos annos in conjugio ſterili vivit, cum nuper pedes dolere incepiſſent, ab hydrope neſcio qua de cauſa ſibi metuens, an hi intumuerint, an vero recte ſe habeant? ut ego eos inſpicerem, me rogavit, ſicuti vero ne minimum quidem tumidos illos deprehendi, ita tamen in iisdem hinc inde Varices conſpexi, â quibus potius, quam â tumore quodam alio, dolores quibus divexetur, derivandos eſſe judicavi,& hinc medicamentum ſanguinem in vaſis minimis ſubſiſtentem diſcutiens & motui ſuo reſtituens commendavi: licet autem plane novum non ſit, quod varices non ſolas gravidas incommodant,rarius tamen hoc contingit; inprimisque in hac notari meretur, quod, licet in aliis venæ hæ pedum nimium dilatantur, quoniam ſanguis menſtruus non fluit, in hac hic tantum non ſemper nimium fluat, eo ipſo vero particulis pluribus volatilibus privatus poſtmodum motum ſuum in vaſis præſertim â corde remotioribus continuare ut debet non poteſt.

DCCC.

Parotis veſicatorium ſubſequens.

MErcator quidam quadragenario major, cum diu doloribus dentium vehementibus tortus fuiſſet, variaque remedia fruſtra omnino in uſum duxiſſet, tandem etiam mediante emplaſtro veſicam poſt aurem ſiniſtram, ſi rectè memini, excitari curavit, unde quidem hi dolores ceſſarunt, at vix cuticula iterum inducta circa hanc ipſam partem dolorem non parum moleſtum notavit, eaque propius inſpecta patuit, ſupra locum, ubi veſicæ excitatæ fuerunt, abſceſſum generari, qui impoſito emplaſtro maturatus atque apertus fuit, & pus craſſius fudit; quoniam vero nullum notatu dignum ſymptoma illum comitabatur, febris omnino deerat, ægerque Dei gratia optime ſe habebat, â parte quidem affecta parotis, at ob has ipſas circumſtantias omnino benigna malum nominari meruit; ſubfuerunt nempe hîc plures humores peccantes iique ſic conſtituti, ut veſicis excitatis commoti quidem non vero itidem & evacuati fuerint, unde poſtmodum ſtagnantes abſceſſum produxerunt: omnino itaque antequam veſicæ excitantur, prius ſedulo indagandum eſt, num humores ſic ſint conſtituti, ut hoc remedium juvare poſſit, ubi non raro patebit, illud, niſi univerſalium nomine venientia medicamenta præmittantur, magis nociturum quam profuturum, vixque ego dubito, quin hic, ſi Veſicatorio purgans præmiſiſſet, Parotidem impedire potuiſſet,

DCCCI.

Arthritidem antecedens nephritis.

VIr quidam honeſtus, ſexagenario major, cum nuper Uxor ejusdem morbo gravi decumberet, eodem aliquando ſic aucto, ut & mortis periculum ſubeſſe ſibi metuerit, inde adeo perterritus fuit, ut ſequenti ſtatim die & ipſe male ſe habere cœperit, conqueſtus imprimis de doloribus lumborum regionem occupantibus, quibus tn. propter negotiorum multitudinem nullum fere oppoſuit remedium, niſi quod me tum Uxorem viſitante monente, non quidem eam quam deſideraveram, ſed parcam admodum lapidum cancri quantitatem, & quantum novi ſemel ſolum ſumſit. Unde quidem ſe remiſiſſe quodamodo malum viſum fuit, at cauſam ejusdem non tam ſublatam quam aliorſum translatam fuiſſe abunde patuit, quia hos dolores, intenſiores manum ſiniſtram occupantes exceperunt, qui ſicuti prius aliquando Spiritu Vini Camphorato applicato mitigati fuerant, ita nunc eodem exaſperabantur, unde ego eum non tam in remediis externis, quam imprimis in Infuſo Herbæ Thee auxilium quærere juſſi: hodienum vero nephritidem atque arthritidem identidem ſe invicem excipere, hæc obſervatio confirmat.

DCCCII.

Voracitas mala quædam reproducens.

VIrgo quædam triginta prope annorum, cum olim multum admodum ſanguinis per nares perdidiſſet, inde non ſolum aliquoties arthriticos paſſa fuit dolores, verum & caput tantum non continuo doluit, unde td. & tremor manuum ſubinde acceſſit, qui paulatim & reliquas partes ſic occupavit, ut pluries adſtantibus metum convulſionum injecerit; licet autem ab his malis DEi gratia & idoneo medicamentorum uſu aliquoties ſic liberata fuerit, ut aliquandiu ſana paruerit, minimum tn. ſingulis fere annis, (licet interea per aliquot annos ab Hæmorrhagia narium imunis vixerit,) eadem rediere, ut adeo jam aliquoties me propterea conſuluerit, quod cum nuper quoque feciſſet, ſimulque urinam mihi monſtraſſet ex hac tam cruda, ut aquam fere fontanam retulerit, Ventriculum nunc imprimis etiam male ſe habere, judicavi, quod cum fra-

ter præſens percepiſſet, ne mireris quæſo, quod ſoror mea ventriculo male ſe habeat, ſubjunxit, plus enim cibi quotidie & ſæpius ingerit, ac quidem duobus aliis nutriendis ſufficeret, nec ego, licet appetitu valeam, corporisque magnitudine eam longe ſuperem, tantum ingerere poſſem: quod cum & mater confirmaſſet, omnino voracitati huic, quod dicta mala toties reproducantur, adſcribendum eſſe nullus dubitavi; & hinc iterum quidem medicamenta convenientia ordinavi, at ſimul ſerio eandem monui, ut in poſterum non tam voracitate ulterius ſibi noceat, quam cibos in debita quantitate ingerendo corpus decenter alat; ſicut enim voracitas vel ſaniſſimis eſt noxia, ita multo magis nocet illis, quorum viſcera ſanguinis præſertim deperditione ſic ſunt debilitata ut muneri ſuo ſicut olim vix præeſſe poſſint, unde deinde humores corrumpuntur, pluraque excrementa colliguntur, quæ non poſſunt non varia producere mala.

DCCCIII.

Dulcia pleraque Vomitum moventia.

A Variolis convaleſcenti puellæ cuidam ut nihilominus per aliquot adhuc dies adſtem expetierant Parentes, hincque jam quotidie non tam de malo quodam adhuc reſtitante, quam de appetitu ſic aucto, ut cibis vix exſatiari poſſit, querelæ ad me deferebantur; ubi licet omnino, ne in nimia quantitate ſuggerantur, monuerim, nec nimium tn. eosdem eidem ut ſubtrahant, conſultum duxi, cumque qui præſertim eligendi ſint cibi, interrogaretur, ſaccharata imprimis & pleraque dulcia â prima nativitate hanc filiolam ſuam adeo ferre non poſſe, ut ea ingeſta tantum non ſemper vomitum moveant, mater retulit, Paterque confirmavit; hocque toties jam contigiſſe, mater paulo poſt ſubjecit, ut, cum nuper variolis inſtantibus vomitibus correpta fuerit hæc ipſa, hos non tam morbo cuidam imminenti, quam forte fortuna ab aliis ſuggeſtis & comeſtis dulcibus atque ſaccharatis adſcripſerit: Si vero plures tam cito dulcium quorundam noxam perſentirent, ea moderatius ingerendo ſine dubio ſanitati ſuæ non parum conſulerent.

DCCCIV.

DCCCIV.

Dens mortui dentium dolorem abigens.

DEntium dolore per aliquot annos laboraverat Juriſconſultus quidam non ex infimis, cumque plura remedia fruſtra omnino adhibuiſſet, in evulſionem vero dentium corruptorum, unicum fere remedium, quod in dolore hoc ab hac cauſa ſuborto certò juvat, conſentire nunquam voluiſſet, vel propterea hinc inde in nova ſemper remedia eo diligentius inquiſiverat, unde tandem quidam eidem commendavit, ut dente ex mortui cujusdam maxilla evulſo dentes ſuos læſos aliquoties ſcalpat & perfricet, ſic enim dolores certo ceſſaturos; doloribus itaque urgentibus tandem & hoc remedium tentavit, cumque aliquoties illud diligenter adhibuiſſet, dolor dentium ſic ſe remiſit, ut jam per aliquot annos ab eodem immunis degat, & nuper cuidam nobili Matronæ illud ipſum remedium ſummopere commendaverit, quæ vero poſtmodum non tam hoc quam evulſione ſibi conſuluit; horror nempe & nauſea tantum non omnibus ab omnibus, quæ â mortuis deſumuntur, communes, ſpirituum moderatorem, dum talia adhibentur ſic interturbant, ut ſenſum prius moleſtum ulterius non percipiat, ſicque dolores quodammodo ſopiuntur; ſemel vero hoc modo â dentium dolore liberati eosdem puros ſervando non parum ſibi conſulent: Sed hoc ipſo in memoriam mihi etiam revocatur, quod talis dens de collo ſuſpenſus dentitionem quoque promovere creditur.

DCCCV.

Dyſpnoea Gravidæ â terrore.

AUrifabri cujusdam Uxor viginti quinque fere annorum, quarto menſe gravida, audita voce, quod domus, in cujus contignatione ſuperiore tum habitabat, media contignatio ardeat, inde tantum perterrita fuit, ut, licet hoc revera ſic ſe non habere paulo poſt vel ipſis ſuis oculis viderit, vix tn. colligere ſe iterum potuerit, in principio quidem fœtus quendam motum & quidem primo notarit, hinc vero pondus inconſuetum in abdomine ſemper in illud latus, in quo decumbere volebat, vergens perceperit, identidem & toto corpore tremuerit, quæ omnia tn.

eandem vix permoverunt, ut propterea ullum remedium adhibuiſſet, at cum ſequentis diei veſpera difficilis etiam reſpiratio acceſſiſſet, hæcque brevi tantum incrementum ſumſiſſet, ut & â ſuffocatione ſibi metuerit, nocte jamjam ingruente, me ut illico accedam & conſilium ſuggeram per matrem inſtanter rogavit, cui petito cum ſatisfeciſſem, & pulverem quendam cum abſorbente Illuſtris Wedelii fere convenientem præſcripſiſſem, illo vix bis terve ſumto Dei gratia facilius reſpiravit, jamque iis præſertim medicamentis opus habuit, quæ abortum præcavere poſſunt, ab hoc enim nunc non adeo injuſte ſibi metuit; at cum confortantia quædam adhibuiſſet, & venam imprimis ſecari curaſſet, quævis hunc metum injicientia indicia paulatim evanuere; Adeo vero terror prægantibus præſertim nocere poteſt, ut hinc omnino pro viribus ſemper ſit avertendus.

DCCCVI.

Variolarum luna decreſcente invadentium majora veſtigia.

CORripiebatur Viri cujusdam honeſti filiola Variolis, quod vel ideo etiam minus ægre ferebat mater, quia hoc luna decreſcente contingebat, non ſolum ſpei illi communi innixa, quod hoc tempore hoc malo correpti facilius & felicius illo defungantur, nec tam graviter decumbant, verum & tota perſuaſa pauciores & minores hac ipſa de cauſa cicatrices has puſtulas poſt ſe relicturas, ſicque formam filiolæ non inelegantem ſervatum iri; quam jam minus curavit, cum poſtmodum idem malum filiolum invaderet, utut hic creſcente luna cum hoc confligtari cœperit; atat quam parum firmo innixa ſit hæc ſententia fundamento, eventus poſtmodum docuit, in filiola enim, quæ minus quidem graviter fratre ſuo decubuit, longe etiam pauciores variolas habuit, earundem cicatrices & plures & longe profundiores obſervatæ fuerunt, quod mater ipſa ſic ſpe ſua fruſtrata meis oculis expoſuit, & ſane in puero vix quædam veſtigia ſupereſſe, quæ tot, quot fere variolas habuerat in puellæ facie reſtabant, ipſis meis oculis vidi: Adeo quidem ſæpiuſcule Lunæ tribuitur, quod longe tn. aliam agnoſcit cauſam, licetque hic puer eadem creſcente gravius variolis affectus fuerit, in non paucis tn. aliis ejuſcemodi quid non obſervavi, ut adeo & in

hoc

hoc morbo non tum opus habeas, ut lunæ phaſes, quam cauſas ejusdem reſpicias.

DCCCVII.

Febris malignæ principium feliciter depulſum.

MErcatoris cujusdam olim celeberrimi ſuperſtes filius, quindecim annorum, cum ſub aere pluvio & frigido plura negotia perfeciſſet, ſubito inde laſſitudinem minus conſuetam percepit, quam tn. ipſemet minus curaſſet, niſi mater una notans, eum etiam ſicut prius non comedere, faciemque non parum mutatam eſſe, ne mali quid ſubſit, metuiſſet, & hinc me conſuluiſſet, ubi accedens febris præſentis non ita obſcura indicia deprehendi, cui, quia maligna tum aliquot proſtraverat, ſtatim alexipharmaca oppoſui, & quidem feliciter, Dei gratia enim iisdem febris extincta fuit, quæ & continuata laſſitudinem adhuc reſtitantem nec fruſtra ſuſpectam abegerunt, unde quarto demum die ipſi purgans exhibui, quod ſicuti primas vias â fecibus, quæ easdem occupaverant, liberavit, ita Juvenem Dei gratia priſtinæ ſanitati ſic reſtituit, ut biduo poſt negotia ſua ut olim curantem in platea offenderim: Sicuti vero diutius neglecta hæc mala facile in febrem malignam degenerare potuiſſent, ita ſi eadem Methodo talia principia aggreſſus fueris, non facile facti te pœnitebit.

DCCCVIII.

Febrem antecedens & comitans dolor inter ſcapulas.

HOrologiopœi cujusdam Uxor, tribus vel quatuor annis ſexagenaria major, parvæ ſtaturæ & macrioris conſtitutionis ſubito doloribus corripitur inter ſcapulas ſedem figentibus, quibus cum unum alterumve medicamentum domeſticum fruſtra oppoſuiſſet, me in conſilium vocavit, unice rogans, ut doloribus hisce medear, quia vero ego, dum & in reliquas circumſtantias ſedulo inquiſivi, non ſolum urinam tinctiorem deprehendi, verum & alia quædam febris præſentis indicia notavi, ut huic inprimis obviam iretur, conſultum duxi; & hinc pulverem quendam convenientem præſcripſi, cui in uſum ducto cum dolo-

res dicti non ſtatim cederent, iterum atque iterum rogavit, ut hosce præſertim deliniam, quoniam vero ego febrem interea incrementum ſumſiſſe, nec omnem plane malignitatem abeſſe, obſervavi, jam alexipharmacis etiam medicamentis malum aggreſſus fui, quibus per biduum vel triduum diligenter ſumtis, dolor quidem ille interſcapularis plane ceſſavit, at febris adhuc reſtans, ut medicamenta aliquandiu continuare juſſerim, me permovit, quæ & febrem ſic extinxerunt, ut nec minimum quidem ejusdem indicium ſuperfuerit, niſi quod pes ſiniſter intumuit, & hinc, ne incedere potuerit, impediit; cui vero â Chirurgo applicata remedia ſic profuere, ut paulo poſt vix habuerit, quod de hoc queri opus habuiſſet, jamque convaluiſſe ſibi viſa fuerit: Dolores itaque tales febre præſente, nunquam te permoveant, ut alia quam febri dicata remedia præſcribas, cum alias febris incrementum capere & ſic poſtmodum non niſi difficillime debellari poſſit, inſuperque vel maxime ab alia cauſa originem trahentibus doloribus talia medicamenta itidem fruſtra non opponantur.

DCCCIX.

Decoctum C. C. frigus induxiſſe falſo credens.

Vix vero hæc inter convaleſcentes numerari revera poterat, cum â me monita ut nihilominus aliquandiu potum Decocti Cornu cervini continuet, quadam meridie ad me filiam mittit, & per hanc refert, cum hodie vix hunc potum ingeſſerit, inde frigore tam vehemente ſe correptam fuiſſe, ut non niſi difficillime calorem priſtinum revocare potuerit, quod ego tn. non tam pro effectu Decocti revera innoxii, quam reſtitantium reliquiarum febrilium habui, hincque hisce præſertim dicatum medicamentum præſcripſi, quod quidem ſic profuit, ut aliud malum hoc frigus non fuerit ſubſecutum, at ab illo tempore ut Decoctum continuaſſet, perſuaderi vix potuit, ſed cereviſiam huic iterum ſubſtituit, jam ſat ſibi conſuluiſſe credens quia eidem terram ſigillatam injecit, at quam male craſtina obſervatio docebit; Multis nempe noſtratium firmiter inhæret infixa opinio, tam potenter refrigerare Decoctum C. C. ut niſi refrigeratione opus ſit, ſine noxa bibi vix poſſit, quam perverſam vero

ſenten-

ſententiam quo magis una mecum alii quoque ægrotantium mentibus eripuerint, eo magis his conſuletur.

DCCCX.

Febris maligna in declinatione perimens.

DUm vero hæc ſic cereviſiam bibit, & ſitim etiam interdum ſupervenientem eadem ſedat, liceṫque nihilominus interdum frigus quoddam notarit, hoc non tam ut nuper Decocto C. C. huic, quam neſcio cui cauſæ adſcribit, primò quidem de malis quibusdam Scorbutici quid ſpirantibus, quæ inprimis Urina ſalſiſſimum exhalans odorem coloreque cetera naturalis prodere videbatur, conquerebatur, unde his Eſſent. Abietinam oppoſuit, quæ tn. in uſum ducta impedire non potuit, quin frigus aliquoties rediiſſet, absque ullo tn. ſubſequente calore p. n., unde, quia forte parvi illud habuit, vel &, ne cereviſia denuo interdiceretur propterea me non conſuluit, quin jam de negotiis ſuis iterum aggrediendis cogitavit; At cum ſummo quodam mane denuo frigus eandem de ſomno excitaſſet hoc quidem ceſſante obdormiit, & paulo poſt maritum, ut ad conſuetos redeat labores, de ſomno excitavit, huicque interroganti, haud ita male ſe habere reſpondit; At cum is vix dimidia hora elapſa lectum acceſſiſſet, nullum ulterius verbum proferre potuit, unde me denuo vocavit, egoque accedens, utut reliquis ſenſibus eam adhuc pollere, nec motum ablatum eſſe, notarim, nec unicum tn. verbum, niſi quod nomen JESU voce languida expreſſerit, extorquere eidem potui, pulſu celeri, æquali & ſic ſat vehementi de febris reditione teſtante, & medicamenta fruſtra non adhibitum iri, ſpem quandam præbente; At licet hæc interea parata bis ſumſerit, tantum tn. abeſt, ut vel minimum attuliſſent levamentum, ut potius ſemper pejus ſe habuerit, & illo adhuc die in mortis prædam ceſſerit: Uti vero tarde ad cereviſiam redeundum eſſe, poſt febres malignas, hæc obſervatio docet, ita ea frigus poſt easdem reſtitans merito nobis ſuſpectum reddit.

DCCCXI.

DCCCXI.

Vinum in febri maligna ſapori minus gratum.

DEcumbebant nuper in una eademque domo mater & filia febre maligna ſat vehementi, & inprimis, ut Vinum concedatur, aliquoties inſtanter petebant; tum exemplis itaque, quæ vel ipſe notavi illorum, quibus Vinum in hoc malo profuit, permotus, tum quia lingua & fauces optime ſe habebant, tum quoniam ſemper plures medici Vini uſum moderatum in his etiam febribus potius laudant, quam improbant, ut unum alterumve cochleare iisdem exhiberetur, tandem conceſſi; Sicuti vero hoc illarum palato adeo non extitit gratum, ut illo ſemel ſumto, ne ulterius exhibeatur, rogarint, ita nec prodeſſe nec obeſſe multum potuit, necque matris ſubſequens obitus nec filiæ convaleſcentia merito eidem adſcriberentur; communicare tn. hæc volui, cum exinde pateat, Vinum quibusdam vel ſumme appetentibus non ſemper ſapere, quibus & ſine dubio noxium exiſteret, uti contra illis, qui illud cum appetitu in hoc malo bibunt magis prodeſſe poteſt, modo præſertim decenti habito.

DCCCXII.

Apoplexia Paralyſi ſuperveniens letalis,

MAtrona quædam honeſta, quinquagenaria fere, variis iisque graviſſimis ærumnis diu expoſita, eas quidem hactenus ſic ſat forti tulit animo, non tn. plane non ejusdem ſanitati inſidiatæ fuerunt, dum ante quadriennium fere ſubito aliquando ſanguinem ſputo rejicere cœpit, quo ipſo nec quidem immerito valde perterrebatur, quia tn. in principio ſtatim me conſuluit, & Medicamenta convenientia interque hæc inprimis juſcula alterantia ſic ſat ſedulo in uſum duxit, non ſolum hoc ſputum deſiit, verum, quæ alias illud plerumque ſubſequuntur mala, eandem non invaſerunt, indeque jam iterum ſanis annumerari potuit; At cum paulo poſt menſes etiam, quos olim ſæpius nimios habuerat, inordinate fluere inciperent, & interdum obſtructi eſſent, non ſolum caloribus illis, quos volaticos nominant, vexari cœpit, ſed & catarrhi eidem moleſti extiterunt, quibus

quibus malis licet quædam remedia oppoſuerit, ea tn. quia ſimul negotiis ſuis vacare potuit, interdum plane neglexit, unde td. vertigo quoque acceſſit, quæ quia ipſi prodromus apoplexiæ videbatur, in cauſa fuit, ut denuo me conſuluerit, nec porſus non profuerunt medicamenta â me præſcripta, at paulatim vertigini quoque aſſuevit, ſic, ut abſumtis à me præſcriptis medicamentis, ea, ſicuti juſſeram, non iterarit, utut illa non omnino ceſſaverit. Unde ante menſem, & quod excurrit, cum mane quodam iterum calores modo memorati eidem moleſti extitiſſent, ſibique ſe conſulturam crederet, ſi aliquandiu aeri frigidiori corpus exponeret, hoc tantum obfuit, ut paulo poſt peſſime ſe habuerit, & in cubiculum deducta paralyſin lateris ſiniſtri notaverit, licet vero tum ſenſus adhuc integri reſtiterint, tum vox non fuerit intercepta, tum dextri lateris motus nec minimum quidem impeditus fuerit, pulſus etiam naturali plane modo manus ferierit, & ego hinc ſpem quandam conceperim, ſervari eam medicamentis convenientibus poſſe, hæc tn. allata quævis fere vomitu rejecit, hincque ventriculum quoque affectum & ſpiritibus ad illum viam itidem interceptam eſſe, conſtitit; licet vero & huic proſpectum, & medicamenta, quantum fieri potuit, ſedulo continuata fuerint, hæc tn. non impedierunt; quin apoplexia fortis ſuperveniſſet, quæ eam eo adhuc die, quoquidem ſe ſanam de lecto ſurrexiſſe crediderat, mortuorum numero aſſociavit: Sicuti vero minime ſibi conſulere eos, qui caloribus correpti in aeris frigidi admiſſione auxilium quærunt, ex hac obſervatione magis conſtat, ita vomitus paralyſi ſuperveniens merito pro ſuſpecto habetur; reſtituique quidem Paralytici poſſunt, at mali ſui reditioni præ aliis ſunt expoſiti, â principio præſertim, poſt quod, ſi ejuſcemodi quid contigerit, rariſſime evadunt.

DCCCXIII.

Verruca in ulcus cancroſum degenerans.

CUm heri apud Venerandum quendam Senem medici cujusdam jam dudum defuncti mentio injiceretur, is de eodem narravit, quod utut cetera praxin medicam ſic ſat feliciter exercuerit, ſibi ipſi tn. peſſime conſuluerit, dum nempe verrucam juxta nares excreſcentem & quotidie incrementum ſumentem mediante

Bbbb ligati-

ligatione extirpare tentaverit, hinc enim partem affectam exulceratam fuiſſe, poſtmodumque nulla diligentia impediri potuiſſe, quin ulcus hoc in cancrum degeneraſſet, qui non ſolum faciem mirum quantum defœdarit, verum tandem eundem vita privarit: Non ſemper nempe, nec quovis modo æque tuto Verrucæ extirpantur, inprimisque cavendum eſt, ne exulcerentur, cum ab humore mali moris productæ facile in ulcera mali moris degenerent.

DCCCXIV.

Acidularum potum qui abſolverunt non ſemper purgante opus habent.

IDem hic medicus Venerando huic ſeni, qui tum eundem de acidulis conſuluerat, pulverem ſuggeſſerat, cujus dimidiam partem earum potum inchoaturus, dimidiam vero, quando hunc abſolviſſet, ſumeret; hocque interrogante, cur abſoluto potu acidularum purgans ſumendum ſit, cum ſpem habeat, aquis mediantibus, quicquid in corpore vitioſi deliteſcat, ſubductum iri? reſponderat, ſemper poſt acidulas potas reſtare quasdam particulas harum aquarum metallicas, quæ niſi ſubducerentur, inteſtinis moleſta futura eſſent; quod quidem ſicuti poſtmodum huic ipſi Viro acidulas quam maxime ſuſpectas reddidit, ita ut abſoluto acidularum potu purgantia præſertim fortiora ſumantur, ego quidem minime opus eſſe, totus credo, ſi enim acidulæ in corpore non reſtiterint, & aut per alvum, aut urinam aut & ſudorem ſemper brevi denuo excretæ fuerint, ſi inſuper is qui eas bibit, eam, quam juſſus fuit, ſervaverit diætam, purgans in fine ſumtum non tam proderit, quam nocebit: Sic vero nimia quadam ſedulitate tum medicamenta quædam ſæpiuſcule diffamantur, tum ægris ipſis, tam bene ac creditur, non ſemper conſulitur.

DCCCXV.

Fonticulus pallorem inducens.

COnſiliarii cujusdam Electoralis Uxor, cum quinquageſimum fere ætatis annum egreſſa fuiſſet, doloribus dentium tam

gravi-

graviter torqueri cœpit, ut quibusvis commendatis remediis fruſtra omnino adhibitis tandem conſenſerit, ut fonticulus in uno brachiorum excitatus fuerit, qui quidem dolores hos ſic delinivit, ut poſtmodum eidem ulterius non fuerint moleſti, at ſimul ſat floridum, quo prius gaviſa fuerat, faciei colorem ſic ſuſtulit, ut jam palleſcat, quem pallorem, quia cetera Dei gratia optime valet, unice fonticulo adſcribit: Licet vero hæc ulcuſcula artificioſa talem effectum rariuſcule poſt ſe reliquant, quod tn. interdum contigere poſſit, hæc obſervatio probat, non eſt tn. quod talis pallor, ſi cetera bene ſe habeat, qui fonticulum excitari curavit, & levamentum exoptatum inde percipiat, nos terreat, multoque minus, ut aliis hoc remedio opus habentibus illud propterea non commendemus, permoveat.

DCCCXVI.

Auro aurum facere volens emunctus.

VIr quidam cetera rerum chemicarum non plane ignarus, arti autem viliora metalla in aurum commutandi inhians, quævis fere, quæ de eadem aut audit aut legit, tam facile credit, ut jam aliquoties egregie deceptus fuerit, nunquam tn. non hujus artis ſe expertos venditantibus aures præbeat, unde haud ita pridem contigit, cum iterum quidam talis artifex eundem acceſſiſſet, ipſique promiſiſſet, quod mediantibus duabus unciis auri quatuor mercurii vivi uncias in aurum commutare velit, quod & huic fidem adhibuit, qui hinc aurum neſcio quo modo in pulverem mutatum & mercurium per corium mundatum Vitro ad id apto indidit, Vitrum hermetice clauſit, & igni commiſit, quotidieque diligenter inſpexit; & cum octo fere dies ſic præteriiſſent, ſequenti die totum negotium perfectum iri, ſeque hujus hora veſpertina quarta rediturum, & aurum luci daturum promiſit; ſicuti vero fruſtra eundem eo tempore expectavit auri cupidiſſimus homo, ita cum vitrum poſtmodum ipſemet aperuiſſet, illud pice, qua aurifabri uti ſolent repletum invenit, quod ſine dubio illi, cui prius aurum indiderat, doloſe ſubſtituerat profugus jam factus Alchimiſta: Sic vero qui ipſimet volunt, ut decipiantur, ſi voti ſui vel ſæpius compotes reddantur, non habent, quod merito illis iraſcantur, qui riſui eos propterea habent.

DCCCXVII.

Febre maligna inſtante purgans malè ſumtum.

JUvenis quidam triginta fere annorum, aliquoties capitis dolore laborans, cum nuper iterum eodem correptus fuiſſet, utut inconſuetam etiam laſſitudinem comitem habuerit, per biduum tn. pro priſtino dolore eundem habens non niſi conſueta quædam eaque levicula ei oppoſuit remedia; iis vero nil proficientibus tertio die medicum in conſilium vocavit, qui purgante & quidem, uti retulerunt adſtantes, dimidio (qualia hactenus ego nunquam nominare audivi,) eum opus habere judicavit, quod & ſumſit, at paulo poſt conſtitit, febrem malignam eſſe, quæ ipſum proſtraverit, unde huic quidem jam ſedulo medicamenta oppoſita fuere, licetque hæc in principio malum quodammodo imminuiſſe viſa fuerint, ſeptimo tn. fere die deliria graviſſima ſupervenerunt, dum non ſolum medicamenta ulterius ſumere noluit, ſed & ipſe de convaleſcentia ſua deſperavit, unde cum ſub hoc tempus ego quoque vocatus fuiſſem, & ſimul pulſum in eodem notare vix potuiſſem, maculaſque petechiales retroceſſiſſe percepiſſem, nullam vitæ ſpem ſupereſſe judicavi, nec opinione mea falſus ſum, nam ſupervenientibus etiam convulſionibus biduo vix elapſo in mortis prædam ceſſit; quo plura vero exempla teſtantur, quam male ceſſerint purgantia in febribus revera malignis, iis præſertim, qui has non tam diætæ quodam vitio quam alio modo contraxerunt, exhibita, eo cautiorem graſſantibus inprimis talibus malis in iisdem exhibendis ſe geret medicus.

DCCCXVIII.

Fonticulus fonticulum fluidum reddens.

MAtrona quædam non ex infimis, cum ante viginti fere annos catarrhis identidem divevata, tum ut hos imminueret, tum ut graviora mala & inprimis Apoplexiam averteret, tandem conceſſit, ut in ſiniſtro brachio fonticulus excitatus fuerit, qui &, quod quidem tum deſiderabatur, præſtitit, hincque haud abs re ante biennium & quod excurrit, eandem non parum ſolicitam reddidit, quod nullum fere ulterius pus fundere & ferme exſic-

cari

cari cœpit, cum inprimis varia eaque laudatiſſima medicamenta ad hoc revocandum fruſtra omnino in uſum duxiſſet, unde td. conſultum fuit habitum, ut alteri brachio etiam fonticulus inuratur, & ſic per hunc ſubtrahatur, quod jam per tot annos alter reddiderat; optime vero hoc conſilium ceſſit, dum non ſolum novus fonticulus ſuo tempore pus fundere cœpit, verum & ab illo tempore, quo hic ſic votis ſatisfecit, per alterum major fere ac olim materiæ purulentæ quantitas evacuata fuit, qui & hodienum plus talis materiæ reddit, quam is quem in dextro gerit brachio; quo magis vero hac evacuatione opus habet, eo minus conſultum erit, ut alterutrum nunc claudat: Modus vero hic fonticulum fluidum reddendi omnino notatu dignus, vixque tutior in iis præſertim, qui revera fonticulo opus habent, invenietur, cum plerumque iis magis proſit, in duobus locis pus aut aliam peccantem materiam ſubtrahere, quam unum ſolum huic operæ deſtinare.

DCCCXIX.

Faucium inflammationem ſequentia mala febris malignæ metum injicientia.

SEnatoris cujusdam ancilla, ſubito in faucium inflammationem talem incidit, ut non niſi difficillime quævis ingeſta deglutierit, cujus tn. curam, quia cetera ſic ſat bene ſe habebat, non tam internis quam externis medicamentis, injectoque per Chirurgum Gargariſmo perfecit, qui quidem tantum profuit, ut brevi iterum ſicut prius deglutire quævis ingeſta potuerit; ſed reſtitans laſſitudo huicque accedens quædam Cordis anxietas eidem nunc metum injecere, ne febris maligna ſubſit; unde jam hera ejusdem me in conſilium vocavit, ubi utut nec pulſus nec urina vel minimum febrilis effervefcentiæ ſignum ſuggeſſerint, minime tn. fidendum ratus, Potiunculam ex Tinctura Bezoartica & Antim. Diphor. conſtantem terque ſumendam præſcripſi, quæ & tantum Dei gratia profuit, ut ſequenti die vix ſuperfuerit, de quo queri opus habuiſſet; quia tn. nihilominus ſe extra lectum nondum degere poſſe indicabat, pulverem quendam convenientem præſcripſi, quo adhibito brevi ſic convaluit, ut iterum publicum

frequentarit; Sic vero ſæpius utut malignitas nulla ſubfuerit, huic tn. dicatis medicamentis morbos vel parum ejusdem ſuſpectos ſat feliciter aggreſſus fui, eoque lubentius non unum ſolum talem caſum communico, quo magis hac in parte me imitantes ægrotis ſuis profuturos totus ſpero.

DCCCXX.

Malarum ulcera poſt ſingulos menſes aperta ſanans fonticulus.

JUvenis quidam non ex infimis, cum â puero ſingulis menſibus abſceſſibus ad malas talibus corriperetur, ut ii non niſi prius exulcerati ſanari potuerint, quo plures acquiſivit annos eo plus moleſtiæ ex hoc ipſo malo percepit, indeque quibuscunque aliis remediis fruſtra omnino in uſum ductis eo lubentius conceſſit, ut fonticulus, quem nonnemo ſuaſerat, brachio inuſtus fuerit, feliciter vero, cum enim ille vix pus fundere cœpiſſet, ab abſceſſibus omnino liberatus fuit, adeo quidem, ut ab illo tempore, (octo vero interea præteriere anni,) illorum vix memoria ſuperſit, adeo nempe immunis ab iisdem vivit: Sicuti vero is Chirurgus, qui eum olim tractaverat, & poſtmodum fonticulum inuſſerat, hæc eum in finem narravit, ut eorum ſententiam, qui fonticulos omnino rejiciunt, & e foro medico exterminare volunt, refelleret, ita ſane ea, quæ alibi quoque pro hisce ſuo tempore utiliſſimis ulcuſculis attuli, non parum iisdem confirmantur, roganturque ii, qui tantum eadem averſantur, ut vel ſemel ſolum in ſubjecto, in quo per quævis indicantia requiritur fonticulus, quantum proſit, tentent, ſpondeo quod eosdem operæ non ſit pœniturum, modo prius indicantia debito modo examinaverint, non deeſſe enim, quibus & hoc auxilii genus minus prodeſt, nullum eſt dubium, quod tn. cum aliis vel generoſiſſimis remediis commune habet.

DCCCXXI.

Linguæ tumor facili remedio diſcuſſus.

MAtrona quædam nobilis ſeptuagenaria, cum olim jam apoplexiæ quosdam prodromos in ſe notaſſet, eo magis perterrita

fuit,

fuit, & ſuos perterruit, cum nuper ſubito eam linguæ gravitatem incurriſſet, ut verba proferre ut prius non potuerit, unde & ſub noctem hæc notans, ut ſequenti die ſe viſitem, per ancillam me rogavit; quia tn, intumuiſſe linguam ex ejusdem magnitudine aucta collegit, & huic loquelæ difficultatem adſcribendam eſſe, non male credidit, os aliquoties mulſo calefacto eluit, unde tumore diſcuſſo lingua priorem ſuam magnitudinem acquiſivit, ſicque fari ut olim potuit, adeoque priori ſanitati reſtituta fuit, ut, cum ſequenti die eam jamjam viſitaturum me offendiſſet ancilla ejusdem, hæc ut hanc inſumam operam, nunc non eſſe opus, teſtata fuerit, unde & negotiis diſtrictus hac vice eandem non viſitavi; cum vero poſtmodum alia de cauſa eandem acceſſiſſem, modo memorata mihi narravit; non quævis nempe loquelæ difficultas apoplexiam prænunciat, qui ergo in prædicendo fallere ægrotos noluerit, in quasvis cauſas diligenter inquirat, & hac obſervatione excitatus tumoris quoque linguæ interdum recordetur.

DCCCXXII.

Cœcus Sagax.

FActa nuper mentione cujusdam hospitis pagani, de eodem quædam ejusdem cognata narravit, quod is ſex liberos genuerit, qui omnes â prima ſtatim nativitate oculorum lumine privati fuerint, hincque hanc lucem nunquam aſpexerint, ex quibus quidem tres in prima adhuc pueritia in mortis prædam ceſſerint, ê tribus ſuperſtitibus autem, unum quidem filiolum non ſolum oculorum ſed & rationis lumine eſſe deſtitutum, at filiolam jam fila ducere didiciſſe, & filium imprimis natu majorem quævis negotia domeſtica ſic perficere, ut, cum præſertim in oculis ipſis nullum conſpiciatur vitium, niſi quis diutius cum eodem verſetur, eum pro cœco vix ſit habiturus, per totam enim domum absque ductore illum circumcurſitare, coram menſa ſtare, & hoſpitum præſentium juſſa exequi, ſique quatuor, quorum nullam unquam notitiam habuerit, acceſſerint, velque ſemel locuti fuerint, ſimulque nomina ſua detexerint, eum eos ab illo tempore ſic â ſe invicem dignoſcere, ut nunquam in unoquoque nominando poſtmodum ſit erraturus; Viam, ſuper qua ſemel inceſſerit, eum ſic memoriæ inprimere, ut non niſi ſemel ductore

opus

opus habeat, quin ſic iter duorum fere milliarium ingredi auſus fuerit: quæ ſicuti â fide digniſſimâ mihi relata fuere, ita confirmant, quæ alii de cœcorum ſagacitate atque docilitate ſcriptis tradiderunt, ſicque inſignem in iisdem defectum aliis egregiis donis DEus T. O. M. compenſat.

DCCCXXIII.

Dentium doloris remedium paratu facile,

INterrogaverat Comitiſſa quædam Illuſtriſſima filiam cujusdam nobiliſſimæ matronæ, quomodo mater valeat, reſpondenteque hac, quod ſæpiuſcule dentium dolore vexetur, ſequens remedium commendaverat; ut nempe ſumat tres cuſpides farinæ hordei, totidemque piperis in pulverem redacti, & aqua mediante hos pulveres in maſſam redigat, hancque inſtar emplaſtri inductam linteo vel ſerico poſt aures, & ad tempora applicet, ſic enim certo certius dolores ceſſaturos, quin poſtęa nunquam redituros: Audiens hæc adſtans hujus matronæ ancilla, quæ itidem ſæpius hisce doloribus torquebatur, ſtatim ſecum conſtituit, ſe remedium hoc paratu tum facile, quam primum dolores redierint, tentaturam, nec ita diu poſt occaſionem licet non ita gratam experientiam hanc faciendi nacta fuit, & quidem tam feliciter, ut dolores inde illico ceſſaverint; hincque magis hæc heram quoque urſit, ut itidem hoc remedio ſibi conſulat, quæ td. illud adhibuit, & poſtmodum ſancte coram me teſtata fuit, ſe â nullo unquam remedio tantum percepiſſe levamentum, jamque per aliquot dies â dentium dolore immunem vivere, cum prius vix hora abierit, qua non dolor hic moleſtus extitiſſet: Sicuti vero hoc remedium, modo abſit ſuperſtitio, nec in trinario numero quædam fiducia ponatur, ſic ſat tutum nominari meretur, ita cum non poſſit non juvare medicum, ſi pluribus contra hunc dolorem ſit inſtructus remediis, comunicatione hoc quoque dignum judicavi.

DCCCXXIV.

Febris maligna intemperantem perimens.

VIr quidam octo annis quadragenario major, Muſicæ peritus, conſtitutionis quidem inter optimas fere referendæ, at uti quidem

quidem Muſicis plerisque imputatur, humores nimium amans, hincque ſæpius Ventriculum cereviſia inundans, inde hanc bonam conſtitutionem ſic pervertit, ut manus trementes abunde prodiderint, quantum ſint mutati ab illis, qui prius quibuſvis muniis rite præfuerant humores; Vel hac ipſa de cauſa vero, cum non ſolum Uxor hujus Muſici febre maligna abrepta fuiſſet, verum & aliquot ejusdem liberi eadem decumberent, ego quidem ſtatim metui, ne, ſi & is eadem corripiatur, letalis eidem ſit futura; Nec metus hic meus fruſtraneus fuit, cum præſertim, cum quædam hujus febris indicia in ſe notaſſet, non tam hoc ad me vel alium medicum detuliſſet, ſed bene ſe habere per filiam denuncians purgans deſideraſſet, & hoc â me præſcriptum ſumſiſſet, licet enim hoc alvum aliquoties moverit, tantum tn. abeſt, ut inde melius ſe habuiſſet, ut potius ſemper magis patuerit, eum laborare eo morbo, quo jam quinque ex ejusdem familia correpti fuerant, de quo monitus vix tn. perſuaderi potuit, ut Tincturam Bezoarticam & Mithridat ſumſerit, donec quarto fere die ſic proſtratus fuit, ut de lecto ſurgere non potuerit; Unde jam medicamenta quidem in uſum trahere cœpit, quæ tn. impedire non potuerunt, quin deliria ſat gravia ſuperveniſſent, quæ continuatis ſedulo medicamentis aliquantum ſe remiſerunt, ſic ut ſpem quandam convaleſcentiæ concipere potuiſſem, niſi lingua non ſolum plane exſiccata fuiſſet, ſed & nigrum induiſſet colorem, quæ & loquelam ſic impediit, ut non niſi tertiata proferre potuerit verba, licetque ſedulo continuarit medicamenta, pulſusque ſic ſat conſtans, & robur partium motui dicatarum iterum ſpem quadam ſuggeſſerint, ſubito tn. ſeptimo die â decubitu convulſionibus ſupervenientibus vivorum numero ſubtractus fuit: Licet nempe non deſint exempla vel intemperantiſſimorum, qui etiam hunc morbum feliciter devicerunt, ab his tn. ad alios nos non poſſe argumentari, hæc obſervatio docet; quin ſi quasvis circumſtantias rite conſideremus, hos omnino difficilius ab his morbis liberari poſſe quam eos, qui diætam magis convenientem ſervant, vix dubitabimus.

DCCCXXV.

Febris maligna matrimonio intempeſtive inito contracta.

Juvenis quidam figulus cum viduæ cuidam ſic ſat annoſæ inſuperque deformi ſe deſpondiſſet, & hinc tum opificio ſuo valedixiſſet, tum jus quoque civitatis in Patria ſua renunciaſſet, interea illa periculoſa febre correpta, ne ſimul Privilegiis, quæ per hoc conjugium in ſe redundatura ſciebat, privaretur, illud cum eadem adhuc graviter decumbente, iniit; at peſſimo ſuo fato, cum enim ex eo tempore cum eadem etiam concubuiſſet, inde ſecundo ſtatim die febrem malignam, qua ipſa nondum omnino defuncta fuerat, contraxit, cuique tam cito, uti quidem requirebatur, non ivit obviam, ſed die demum tertio propterea me vocavit, ubi, licet medicamenta non prorſus fruſtra ſumſerit, eadem tn. neſcio qua de cauſa quodam die plane ſepoſuit, hincque malum ſic increvit, ut, licet poſtmodum ad medicamentorum uſum redierit, hisce tn. impediri non potuerit, quin convulſiones, quibus olim etiam aliquando obnoxius fuerat, acceſſiſſent, quas licet Uxor â poto ſibi ſuſpecto vino, quia alii duo, qui una cum eodem eo ſe invitaverant, itidem brevi poſt vomitibus minus conſuetis correpti fuerant, derivarit, ego tn. nunc morbi potius vehementiæ originem ſuam debere judicans huic medicamenta ulterius oppoſui, reliquis medicamentis antepileptica maritans, quibus tn. nil omnino profectum fuit, convulſionibus enim ſemper auctis td. in prædam mortis ceſſit; infelix Sponſus, qui, ſi nuptias diſtuliſſet, longiori forſan vita frui potuiſſet: Sunt vero ſubortæ in hoc malo convulſiones plerumque periculoſæ, rariſſimeque evadunt, qui iisdem corripiuntur, licet, cum tn. non deſint exempla eorum, quos & hæ non perimerunt, non ſint derelinquendi.

DCCCXXVI.

Urinæ color â liquore nitri fixo mutatus.

Decumbebat Vir quidam quadragenarius febre continua, quæ eo majorem eidem injecerat metum, quo plures tum temporis hac febre decumbentes moriebantur, ut itaque eo certius mortem averteret, non ſolum duos conſuluit medios, verum & quæ-

quæcunque præſcripta fuerunt, tam ſedulo in uſum duxit, ut aures quoque balneatori accedenti, & præſcriptum liquorem nitri fixum mirum quantum laudanti, hincque, ut in majori exhibeatur doſi, ſuadenti, præbuerit, hincque uti prius cum ſingulis hauſtibus decem vel duodecim, ſic nunc triginta guttas ſumſerit, utut vero urina hinc in majori quantitate & cruda atque aqua ſuccedens medicos in principio ſic perterruerit, ut peſſima quæque prædixerint, cum tn. poſtmodum hujus erroris certiores facti fuiſſent, omnino liquoris dicti nimiæ doſi urinæ tam ſubitam mutationem adſcribendam eſſe judicarunt, & hinc novam ſpem concipientes, curam Dei gratia feliciter finierunt: Urina itaque ſubito mutata in quævis, quæ anteceſſerunt ſedulo inquires, ſeu certi quid prædicere, ſeu & eidem inter indicantia locum quendam concedere volueris.

DCCCXXVII.

Febris maligna pueros tam graviter ac adultos non proſternens.

DEcumbebant in una eademque domo octo Perſonæ febre maligna, ex quibus Dei gratia ſex liberatæ fuerunt, difficilius quidem, quæ annos pueritiæ jam transgreſſæ erant, facilius vero infra hos adhuc conſtitutæ; ſic puerulus octennis, utut nullum fere medicamentum admiſerit, niſi quod aliquoties Sal Volat. Ol. S. ſumſit utut per integrum diem vix in lecto detineri potuerit, elapſis tn. decem fere diebus, & erumpentibus hic inde maculis petechialibus convaluit; quod beneficium citius adhuc conſecuta fuit Sororcula ejusdem anno ferme ætate minor, quia hæc, quoties exhibitus fuit, Pulverem Pannonicum ſumſit, & lectum tenuit, licet & in hac hæ maculæ conſpici potuerint: Quæ ſimiliter depinxerant cutim vix annum primum ætatis egreſſæ natu minimæ puellæ, & hæc tn., licet ei ſola Tinctura Bezoartica exhibita fuerit, Dei gratia convaluit; Tantum nempe in tam tenella ætate malignitas ſe exſerere non poteſt, cum nec humoribus tam arcte jungatur, nec tam copioſum ac in ætate majoribus reperiat pabulum.

DCCCXXVIII.

Febris maligna medicamento per diem integrum non ſumto aucta.

Inter ſorores has natu maxima viginti quatuor annorum, correpta hac febre, in principio ſtatim me vocato, ea medicamenta, quæ alias vix fruſtra adhibentur, diligenter adhibuit, dum nempe poſt ſingulas ſex horas Potiunculas, ex Pulv. Alexipharmaco in App. Diſpenſatorii noſtri Auguſtani deſcripto & Spir. C. C. inprimis conſtantes diligenter ſumſit, prout nempe calor vel decreſcere vel augmentum ſumere videbatur; adjecto hoc Spiritu aut & omiſſo, & Decoctum C. C. per totum morbi decurſum bibit, nec ullum unquam in eadem ſymptoma notatum fuit, quod metum mortis merito injeciſſet: Verum enim vero contigit aliquando, quod, dum per amentem ſororem formulam à me præſcriptam in officinam Pharmacenticam miſerant, hæc eam in via perdidit, quod tn. neſcio qua de cauſa & ſane reprehendenda negligentia ad me non detulerunt, niſi, cum ſequenti die eam iterum viſitaſſem; adeo vero morbus inde adauctus fuit, ut vel exinde, quod error quidam commiſſus fuerit, judicare potuerim, & de periculo ulterius non dubitaverim, quod tn. continuatis ſedulo medicamentis Dei gratia evitavit: Vix tuto vero in hoc morbo â medicamentis vel per diem nos feriari, hæc obſervatio confirmat, licet enim hæc ſervata fuerit, non deſunt tn. ſat triſtia aliorum exempla, qui tam perverſam negligentiam morte luerunt.

DCCCXXIX.

Carnis fumo induratæ pars per bimeſtre in Ventriculo hærens.

Ancilla quædam, quæ jam per plurium annorum ſeriem ſic culinæ ſuæ præfuit, ut heri ſui favorem meruerit, cum nuper malo quodam chronico correpta me conſuluiſſet, inter alia retulit, quod ante aliquot annos quædam aliis, non vero & ſibi ſuſpe-

ſuſpectæ fidei fœmina partem carnis ſuillæ fumo induratæ ſuggeſſerit, quam, quia aliâs quoque hac carne delectetur, ſic ſat avide comederit; ab illo vero tempore ſe minus bene habuiſſe, & inprimis tuſſi divexatam fuiſſe, quæ aliquoties ſuffocationis metum injecerit, cui plura quidem medicamenta at fruſtra omnino oppoſuerit donec quidam Tincturam Coralior. quam tum temporis quidam Pictor paravit, & divendidit, commendarit, hac enim ſumta, & quidem quarta fere Drachmæ parte, turbas eam in Ventriculo moviſſe, quæ paulo poſt iterata eadem hujus Tincturæ doſi tantum incrementum ſumſerint, ut præcedente copioſa ſpuma, aliquot non ita exiguos bolos vomitu rejecerit, quos, quia nocte hoc contigerit, pro hepate habuerit, at ut proprius inſpicere poſſit, in craſtinum ſervarit, ubi carnem fumo induratam eſſe, quam ante octo hebdomadas comederat, patuerit; hujus vero aliquot particulas in ventriculo iterum ſic coiiſſe, ac ſi nunquam ſeparatæ fuiſſent, quod ipſa quidem pravis artibus, herus vero, quod forſan caro una cum conglutinante quodam ſimplici, quale. e. gr Radix ſymphiti eſt, cocta fuerit, adſcripſit, at ego carnem non ſufficienter maſticatam tam diu in ventriculo hærentem, humoribusque hinc imbutam ſic magnitudine auctam fuiſſe, ut plures partes iterum coiiſſe paruerit, ariolor: Uti vero carne hac rejecta convaluit hæc ancilla, ita ex hac obſervatione denuo diſces, quam diu ſubinde coctu difficilia Ventriculo inhæreant, inprimisque notabis, quod talia interdum etiam tuſſim excitent, atque hujus cauſa aliquoties in ventriculo quoque ſit quærenda.

DCCCXXX.

Vertigo menſes antecedens Apoplexiæ metum injiciens.

MAtrona quædam quadragenaria major, pituitoſa & habitus craſſioris diu jam catarrhis obnoxia eos vel ideo minoris habuit & hinc neglexit, quia tam ſæpe rediere, minus tn. hactenus nocuere; at cum nuper quædam apoplexia correpta ſubito vitam finiviſſet, jam ne tali malo corripiatur, ſibi metuit, cum præſertim nudius-tertius vertigo acceſſiſſet, hanc ſiquidem pro ſic ſat certo hujus mali prodromo habens, me propterea vocavit, & ut, quæ ad tantum malum avertendum conveniant, præſcribam

medicamenta; rogavit; ubi ego quidem ante omnia humores non ita inepte pituitoſorum nomine inſignitos ſubducendos eſſe judicans, Pilulas huic ſcopo ſatisfacientes præſcripſi, quæ & quod exoptatum fuerat, præſtitere, & menſibus ſimul ſuccedentibus jam demum recordata fuit, quod alias etiam horum fluxum vertigo talis antecedat, & hinc metum ſuum deponere cœpit: Nihilominus tn. Sal. Volat oleoſum Sylv. quod ipſi commendaveram ſe continuaturam promiſit: In fœminis ergo, de quibuscunque etiam malis conqueſtæ fuerint, haud inepte ſolicitus eris, de iis ſymptomatibus quæ alias menſes antecedere ſolent, ſic enim & de eventu morborum talium certius quid prædicere, & ipſis quoque morbis felicius occurrere poteris.

DCCCXXXI.

Convulſiones aurium ulcera occluſa ſequentes.

MErcatoris cujusdam Uxor non inelegantis formæ, & tenerioris conſtitutionis, quæ jam diu quidem de dolore ejus abdominis partis, ubi calculos ſubinde latitare, nullum eſt dubium, conqueſta fuit, & hinc identidem, ut balneo utatur, medicus ejusdem ordinarius ſuaſerat, quod tn. quia poſt illud adhibitum dolor hic augebatur, averſabatur, haud ita pridem nil minus cogitans convulſionibus tam gravibus correpta fuit, ut adſtantes eam iisdem haud ita diu ſuperfuturam, nulli dubitaverint, quia præſertim una dolor modo memoratus abdominis ſic augebatur, ut vix à convulſionibus vires colligens, quin iisdem adhuc inſtantibus, & loquelam inhibentibus vel geſtibus de eodem imprimis querelas moverit, unde & in principio hinc has convulſiones originem trahere credebatur, & antinephritica calculumque præſertim moventia medicamenta in uſum ducebantur, poſt antepileptica malo non tam inminuto quam aucto, nec ego vocatus in principio huic ſententiæ contrarius fui; at quia calculum arctius ureteri infixum eſſe, quam ut promoveri poſſit, ariolabar, non tam moventia, quam dolores demulcentia medicamenta antepilepticis fixioribus jungenda, hæcque ipſa ſæpius iteranda eſſe, judicavi, quibus quidem tantum proficiebatur, ut dolores hactenus tam moleſti omnino ſe remiſerint, non itidem vero & convulſiones, de quibus quia ſimul ægro-

ægrota, has non tam anteceſſiſſe dolores, quam hos ipſos a convulſionibus demum excitatos fuiſſe, referebat, in alias cauſas inquiſivi, commodeque tum narrabatur, quod per aliquot annos aurium exulceratione laborarit, & per has ipſas partes plurimum puris profuderit; quia vero non ſolum hæc ipſa puris profuſio moleſta extiterit, dum præſertim & fœtorem minus gratum comitem habuerit, ſed & auditum graviorem reddiderit, eam omnem lapidem moviſſe, ut ab hoc malo liberetur, & internis medicamentis tam cito tantumque ac quidem ſperaverat, non juvantibus, neſcio quale oleum comunicante pharmacopœo quodam auribus inſtillaſſe, unde hi naturales fonticuli ſic exaruerint, ut ab illo tempore nullum ulterius pus per eosdem evacuatum fuerit: Hinc ergo præcipue convulſiones derivandas eſſe, ego quidem nullus dubitavi, hincque veſicas poſt aurem ſiniſtram & in hujus partis (quia hæc inprimis convellebatur,) brachio excitare juſſi, quibus ſerum fundentibus convulſiones ſic ceſſarunt, ut jam ſpes optima convaleſcentiæ affulſerit, unde ego ſtatim fonticulum quoque huic brachio inurere juſſi, ut nempe & in poſterum convulſiones averterentur; Antequam vero hoc perfici potuit, convulſiones rediere & quidem jam dextrum præſertim latus occuparunt, unde nihilominus quidem fonticulus inurebatur; at ſimul emplaſtrum veſicatorium dextro quoque brachio duplex imponebatur, juxtaque ſedulo pulvis ex Specif. Ceph. D. Michael. & Ungul. alc. a ʒj. imprimis conſtans continuabatur, hincque convulſiones ſic profligabantur, ut DEi gratia jam ab iisdem immunis vivat: Non impune nempe ulcera tam diu pus fundentia occluduntur, niſique prius corpus variis modis probe purgetur, & puri alia monſtretur via, niſi modo memorata alia tn. graviora mala facile ſuccedent, in quibus hanc cauſam agnoſcentibus Fonticulis atque Veſicatoriis multum admodum proficies.

DCCCXXXII.

Convulſiones ab aeris intemperie brevi interimentes.

MOlitoris cujusdam Uxor prope ſexagenaria, cum jam olim diu catarrhis graviſſimis laboraſſet, & bis terve etiam hecticæ periculum incurriſſet, ab hiſce malis toties etiam DEi gratia

ſic li-

ſic liberata fuit, ut negotiis ſuis domeſticis præeſſe iterum potuerit, quia tn. vel parum bene ſe habens medicamenta non continuavit, nunquam tuſſis ſic integre ceſſavit, quin phthiſici quid ſubeſſe exinde ſic ſat conſtitiſſet, licetque huic tuſſi paulatim tumor quoque pedum acceſſerit, quem dolor comes tam moleſtum reddidit, ut per aliquot hebdomadas lectum tenere opus habuerit, non tn. niſi medicamenta, quæ domeſtica vocant, eidem oppoſuit, cumque quod dormire hactenus non potuit, non tam hisce malis, quam, quia in hypocauſto hactenus dormierat, adſcripſiſſet, quadam nocte ſubito locum mutavit, & cubiculum repetiit, at infeliciter, cum enim ibi aerem minus temperatum hauſiſſet, vix dimidia nocte tranſacta non ſolum difficilius reſpirare, ſed & toto corpore tremere cœpit, quod quidem maritum permovit, ut de lecto ſurrexerit, & lumine accenſo, quid mali ſubſit? explorarit, ubi quidem eandem in tam pravo ſtatu reperit; ut illico propterea Sacerdotem vocaverit; licet vero primo mane & ego vocatus acceſſerim, & convulſionibus eandem correptam inveniens medicamenta tum hisce tum difficili reſpirationi dicata præſcripſerim, tantum tn. abeſt ut vel primis labiis deguſtaſſet medicamentum exhibitum, ut potius vix ori eodem admoto convulſiones redierint, & eam mirum quantum torſerint, quod & aliis confortantibus vel & juſculis exhibitis ſucceſſit, unde jam eo minus ſpei ſuperfuit, eam ê tantis malis emerſuram, ne tn. (cum pulſus ſemper bonus extiterit,) quippiam intentatum relinqueretur, & huic veſicatoria applicari juſſi, at ſeu applicata fuerint, ſeu non, (anenim dictis paruerint? poſtmodum mihi non fuit relatum,) brevi tn. poſt mortem ſuceſſiſſe ſequenti die mihi indicarunt: Non facile itaque aeris intemperiei corpus committent talibus pectoris malis decumbentes, nec tumorem pedum quoque parvi habebunt, niſi cum hac graviora mala ſibi conſciſcere, & mortem maturare velint.

DCCCXXXIIII.

DCCCXXXIII.

Auditus in auribus reſtitutus.

MAtrona quædam peregrina, cum aliquandiu tanta auditus gravitate laboraſſet, ut vel alta voce loquentes vix percipere potuerit, aliquando opus habens ad publica quædam quæſita reſpondere, non parum ſolicita, ut hæc recte percipiat, neſcio cujus conſilio aures ſic perforavit, ut commode inaures geſtare potuerit, & ecce! hi fonticuli ſic profuerunt, ut ab illo tempore auditu iterum ſicut olim polluerit, quod quidem alia quædam auditus difficultate laborans mihi, cum inaures eidem commendaſſem, recenſuit, eoque ipſo tum me in ſententia mea magis confirmavit, tum ipſa, conſilium hoc meum ſe ſecutarum, eo promtius promiſit.

DCCCXXXIV.

Martis crudi in Ventriculo poſt aliquot horas indicia notans.

VIr quidam quinque fere annis quadragenario major, robuſtus & quadratus quidem, at non tam laboribus deditus, quam quietem amans, & ſic ſat opipare vivens, inde quidem indies pinguor redditus fuit, at ſimul in inteſtinis præſertim tam inſignem humorum peccantium quoque quantitatem collegit, ut, niſi hos continuo fere vomitu rejecerit, aut & ſubinde alvi fluxus ſucceſſerit, ſtatim pejus ſe habeat, & prout quidem alii plures uno-eodemque morbo decumbunt, eo quoque ſe laborare, tum credat; contigit hinc, ut, cum nuper febre maligna quidam decumberent, hac & ſe correptum fuiſſe inde nullus dubitaverit, quia laſſitudinem totius perſenſit, ſimulque caput doluit; licet vero quæcunque alia vel febris, ne dicam malignitatis ſigna defuerint, more tn. meo antehypochondriacis medicamentis alexipharmaca quædam addidi, ne nempe vel me non notante malignitas præſens radices agat; quod Dei gratia tam feliciter ceſſit, ut ſequenti die longe melius ſe habuerit, dum non ſolum iterum acrenulas per urinam excrevit, ſed & alvi fluxus

xus ſupervenit, unde jam, non niſi, quæ olim profuerant medicamentis eum opus habere conſtitit; quia vero imprimis ex marte præparata medicamenta ipſi hactenus non parum contulerant, martem ipſum crudum eidem nunc præſcripſi, quem vero adeo ferre non potuit, ut per novem & quod excurrit horas, illum adhuc in ventriculo latitare ructus prodiderint, adeoque ad præparata ex marte redeundum fuerit: Quibus ſicuti confirmatur, quod jam olim produxi, martiata medicamenta ſubinde mutanda eſſe, ita qui talibus ægrorum de medicamentis querelis interdum aures præbuerit eum vix pœnitebit.

DCCCXXXV.

Hydropi curato ſuccedens difficilis reſpiratio.

ACceſſit me heri demum quædam ex pago Horgaw, & retulit, quod mater ſua ante ſemeſtre & quod excurrit, toto corpore ſic intumuerit; ut pro hydropica tantum non omnes eandem agnoverint, exhibito vero neſcio quo Vino medicato â balneatore quodam, paulatim eandem ſic detumuiſſe, ut jam tumoris prioris vix ullum ſuperſit indicium, quin corpore toto potius conſumatur; reſtare vero ſimul tam difficilem reſpirationem, ut absque metu ſuffocationis vix incedere poſſit, ut itaque huic medicamenta ego opponam rogavit, cui petito ſatisfeci: Confirmat vero hæc hiſtoria quod non ſufficiat, aquas hydropicorum ſubducere, ſed omnino requiratur, ut iisdem ſubductis viſcera roborentur, ne nempe brevi aut prius malum redeat, aut alia graviora mala ſuccedant, adeoque, ſi vel maxime empirici morbi cujusdam vim infregerint, quia tn. quid poſtmodum actu opus ſit ignorant, raro omnino integra aut & diu tales convaleſcentes fruuntur ſanitate.

DCCCXXXVI.

Veneris uſum non absque noxa intermittens.

VIr quidam triginta annis major, bonæ conſtitutionis & ſanguine abundans, cum Uxorem duxiſſet, & ex eadem brevi duas filiolas ſuſcepiſſet, paupertate preſſus, ne pluribus liberis alendis vix ſufficiat, metuens, utut veneris appetens, ab ea

nihil-

nihilominus abſtinuit, hincque non ita bene ſe habuit, capitis præſertim dolore ſubinde vexatus, qui talis extitit, ut liberum in cranio cerebrum quaſi pendere, & moto capite ſimiliter moveri, ſibi imaginatus fuerit; quod vero malum ipſemet ab intermiſſo veneris uſu derivans, cum prius ejuscemodi quid non fuerit paſſus, me rogavit, ut medicamenta ſuggeram, quæ veneris ſtimulum coerceant, ut in poſterum ſimul ab eadem abſtinere, & ſanitate integra frui poſſit; quod ego tn. ſalva conſcientia fieri non poſſe, judicavi, cum conjugii alter finis ſit, ut, qui urit, eodem mediante hunc calorem reſtinguat, diffidentiamque ſummam prodat, quæ Virum Chriſtianum dedecet: licet enim non deſint, qui hoc modo ſibi conſulere variis de cauſis non poſſunt, hincque antivenereis opus habent, nec his tn. talia medicamenta absque cautela quadam ſunt exhibenda, multo minus ergo iis, qui in conjugio vivunt ſalva conſcientia ſuggeri poterunt; cumque nullum ſit dubium, quod talis coacta ſeminis retentio ſanitati inſidietur, ut ab eadem in poſterum deſiſtant erunt monendi.

DCCCXXXVII.

Febris malignæ prodromis depulſis Urina diu tincta reſtitans.

AUrifaber quidam quadragenarius, corpulentus, cum convivio cuidam interfuiſſet, utut nec cibi nec potus nimium ingeſſerit brevi tn. poſt male ſe habuit, laſſitudine nempe totius, frigoreque & calore p. n. correptus, quibus capitis dolor accedens, eum ne febris maligna ſubſit, ſolicitum reddidere, unde me in conſilium vocavit, ubi pulſus quoque prodidit, quod omnino febris ſubſit, cum quo & urina conſenſit; nil certi ergo determinare audens medicamentum alexipharmacum præſcripſi, quod ter ſumtum malum quodammodo mitigavit, reſtitantibus vero laſſitudine atque calore, illud iterum bis terve iterare juſſi: quod Dei gratia tam feliciter ceſſit, ut brevi convaluerit; tincta autem adhuc reſtitante Urina, eidem vel propria mea linea doctus minus fidi, hincque primo diaphoretica aliquandiu continuavi, ſed hisce non ſufficientibus, ceteraque non ita male ſe

habente ægroto, purgans medicamentum eidem exhibui, quod tn. itidem Urinæ priorem & naturalem colorem non reſtituit, qui demum poſt per aliquot dies in uſum ductam Eſs. ♂tis rediit; Quibus quidem ſicut confirmatur, quam bene febribus malignis graſſantibus in quovis febrili inſultu alexipharmaca exhibeantur, & aliquandiu continuentur ita quomodo Urinæ nimis tinctæ prior ſit reſtituendus color, itidem ex hac obſervatione diſces, quod ſine dubio & in aliis, modo eodem cum hoc morbo decubuerint, non absque fructu tentabis.

DCCCXXXVIII.

Febris maligna alvi fluxu & petechiis ſoluta.

VIſitaverat Scriniarii cujusdam filia amicam febre non quidem maligna ſic ſat vehementer tn. decumbentem, nec ſine nauſea quadam cubiculum ejusdem ingreſſa fuerat, unde domum rediens ſtatim male ſe habuit, & tum de capitis dolore tum de pondere præcordia occupante queri cœpit, quod tn. mater adſcribens bili, Rhabarb. jam aliquoties proficuum eidem exhibuit, at hoc nunc non juvante Urina allata conſilium meum expetiit, nulla dubitans, ſi bilis ſubducatur, filiam ſine dubio convalituram; at quia ego febrem continuam ſubeſſe, ſuſpicatus fui, Potiunculam Alexipharmacam præſcripſi, qua ſumta jamjam febris ſe magis exſeruit, hincque ut viſitem ægrotam, Parentes me rogarunt; ubi cum inſignis virium proſtratio me certiorem redderet, maligni quoque quid ſubeſſe, alexipharmacis eo diligentius inſtiti, & poſt ſingulas ſex horas tale medicamentum exhibui, unde die ſeptimo alvi fluxus ſupervenit, qui Parentes non parum perterruit, at quia die ſic ſat commodo ſupervenerat, & levamentum quoddam afferebat, non item & me, hincque nec mutavi quidem medicamenta, niſi quod Decocto pro Potu ordinario Carn. Cydon. ſicc. addere juſſi; ſponte tn. ceſſavit hic fluxus, at novum metum injecere maculæ petechiales, quibus hinc inde conſperſa cutis videbatur, quem, quod continuatis adhuc per aliquot dies medicamentis indies Dei gratia melius ſe habuit, diſcuſſit, quin haud ita diu poſt convaluit; ſine dubio vero huic profuit, quia in principio ſtatim alexipharmaca

maca adhibuit, quorum uſus quippe quo diutius differtur, eo minus poſtmodum confert.

DCCCXXXIX.

Febris puerperalis â dolore abdominis incipiens.

MErcatoris cujusdam Uxor, cum ſeptimum vel octavum fœtum ſic ſat feliciter enixa fuiſſet, quarto poſt partum die tantum dolorem abdominis percepit, ut & ab ejulatibus vix ſibi temperare potuerit, cui accedens calor p. n. adſtantes permovit, ut me in conſilium vocaverint; ubi ex omnibus quidem indiciis conſtitit, dolorem â fecibus in inteſtinis contentis originem trahere, unde & alvo aperta is ſtatim ceſſavit; at febris nihilominus inſtitit, unde huic jam ea, quæ aliâs febri puerperali ſoleo oppoſui medicamenta, ex Antim. diaph. lapid. ♋ & C. C. ſpagyr pp. aa. ℥j. præcipue paratum, pulv. qui Dei gratia intra biduum febrem extinxit: Puerperis nempe decumbentibus, plerumque ut alvus ſit aperta, inprimis curandum eſt., ſi præcipue doloribus abdominis divexentur, qui eadem obſtructa nec tam certo, nec ſat tuto ſopiuntur; quando vero earum febres ſunt ſimplices tantum, tantum non ſemper medicamenta modo memorata ſufficiunt, quin ſi generoſiora exhiberentur, iisdem forſan febris non tam depelleretur quam augeretur.

DCCCXL.

Cydonia cocta vomitum ſalutarem moventia.

VIdua quædam prope ſeptuagenaria ſubito frigore minus conſueto corripitur, quod inſequentes calor nimius & laſſitudo tanta, ut extra lectum ſe tenere vix potuerit, adſtantes, ne quid maligni ſubſit metuentes permoverunt, ut me propterea vocaverint; & ego, cui merito hoc tempore laſſitudo ſuſpicionem quandam malignitatis injiciebat, alexipharmac. medicam. hanc febrem impugnare cœpi, quæ & per quatriduum ferme tanto cum fructu Dei gratia continuavit, ut quinto die jam iterum negotia domeſtica curantem invenerim; conquerenti vero nunc de capitis præſertim debilitate Eſs. Ambr. præſcripſi, in cujus effectum cum nuper inquiſiviſſem, ſe qua caput & reliqua nunc optime

Dei gratia ſe habere, reſpondit, multum vero adſcribere Cydoniis ante biduum fere comeſtis, quæ non ita diu poſt vomitum moverint, quo mediante multum pituitæ rejecerit, quæ ſine dubio mala, quibus hactenus vexata fuerit, foverit: Nec omnino rejicienda eſt hæc ſententia, ſæpius enim in ventriculo ſubſiſtunt peregrini humores, qui niſi rejiciantur, nec mala, quæ produxerunt, ceſſare poſſunt, at in tanta ſenectute, malisque, de quibus hæc queſta fuit, præſentibus, de vomitorio exhibendo vix cogitari potuit, correcti vero alexipharmacis medicamentis humores facilius Cydoniis coctis moveri potuere, quæ & aliâs humoribus ad hunc motum pronis vomitum excitare, notavi.

DCCCLXI.

Dentitionem antecedentes maculæ variolarum ſuſpicionem injicientes.

Filiola mea annua & hactenus DEi gratia integerrima ſanitate gaviſa, cum dentes ſex eidem ſic erupiſſent, ut prius fere eosdem in ore viderimus, quam ex aliis ſignis eam dentire colligere potuerimus, hinc nobis non parvam ſpem fecit, & reliquos dentes eadem facilitate erupturos; cumque nuper non ita bene ſe haberet, appetitu minus valeret, corpore magis quam aliâs caleret, & maculæ hinc inde in corpore conſpicerentur, has prodromos eſſe variolarum tum graſſantium, ipſemet fere non dubitavi, & hinc ea, quæ promovere easdem ſolent, exhibui; at hisce medicamentis per triduum licet continuatis hæc ipſæ maculæ non tam auctæ fuere, quam diſparuere, gingivis vero digito exploratis jam conſtitit dentem molarem erumpere, quo paulo poſt luci dato, quævis hæc mala diſparuere; at gingivæ inde cruentæ me permoverunt, ut non ſolum eas Mell. Roſ. cum Spir. Cochlear. perfricare juſſerim, ſed & puellæ per aliquot dies Eſs. Abiet. exhibuerim, quæ & gingivas priſtino ſtatui reſtituerunt: Facile nempe, ſicut jam alibi innui, in dijudicandis maculis puerorum fallimur, hincque ſæpius haud abs re judicium ſuſpendimus.

DCCCXLII.

Lepra Venæſectioni adſcripta.

CIvis quidam Gundelfingenſis, quinquagenario major, olim ſartorem agens, jam vero per aliquot annos ſcabie tam perverſa laborans, ut non ſolum opificio ſuo vix præeſſe potuerit, verum & Magiſtratui, ne lepra laboret, ſuſpectus eſſe cœperit, qui propterea, quæ noſtra ſit de eodem mens, ut inſtituta viſitatione detegamus, per litteras efflagitavit; in originem ergo hujus mali dum primo ego inquiſivi, retulit, ſe ante hos decem annos febre intermittente tam pertinaci laboraſſe, ut, quicquid etiam eidem oppoſuerit, eadem tn. ſemper inſtiterit, unde & appetitus ſic proſtratus fuerit, ut vel delicatiſſimorum ciborum nec odorem quidem ferre potuerit, & ab omni alio potu abhorruerit, niſi quod lac guſtui ſuo arriſerit, quo ſolo & caſeo per integrum ſemeſtre & quod excurrit vitam ſuam ſuſtentarit; utut vero ſic paulatim febris ceſſaverit, ſemper tn. ſe in abdomine pondus minus conſuetum perſenſiſſe, quod quidem purgante quodammodo imminutum fuerit, at quia Venæſectionem poſtea inſtituerit, & balneator, cephalicam venam aperuerit (quod is falſo pro ſummo errore habuit, quem abſurdum tn. errorem maledocti Chirurgi & medicaſtri, quo alter alterius famæ detrahere poſſit, hodienum fovent) ab illo tempore ſe pejus habuiſſe, & inprimis caput hinc inde exulceratum fuiſſe, hincque malum ſemper ulterius ſerpſiſſe, jamque mentum illud & reliquas partes occupare vel oculis noſtris perſpicere potuimus: de medicamentis, quæ hactenus huic malo oppoſuerit? interrogatus reſpondit, præter purgantia ſe aliquando per plures hebdomadas Decoctum è conis abietinis paratum bibiſſe, & ultimo pulverem etiam Sulphuris per bene longum temporis ſpatium quotidie ſumſiſſe, quam parum vero remediis ſuis profecerit, oculis noſtris patere; & ſane tam fœda ſcabie laborantem eundem invenimus, ut, quia malum per tot jam annos inſtitit, & ſumtus ad curam neceſſariam inſtituendam eidem deſunt, inſuper hac inſtituta ad diætam poſtmodum minus convenientem & malum reproducentem redeundum eſſet, eum leproſis annumerandum & in leproſorium recipiendum eſſe, judicaverimus; Sine dubio vero in hoc ab humo-

humoribus vitioſis, qui febrem produxerunt, lac ingeſtum corruptum fuerat, caſeoque conſumendo non ſufficiens Ventriculus non tam chylum quam crudos produxit humores, nec Venæſectio hic tam ideo nocuit, quia per memoratam venam inſtituta fuit, quam quia ſanguis ſic magis adhuc particulis ſuis utilibus privabatur: Non vero omnino rejicienda ſunt medicamenta quæ in uſum duxit, forſanque, ſi methodice ea in uſum duxiſſet, & diætam ſervaſſet, eundem juvare potuiſſent.

DCCCXLIII.

Febris maligna in principio male parvi habita.

VIr quidam in non ita exigua dignitate conſtitutus, duobus annis quinquagenario major, temperamenti, quod absque hæſitatione melancholicum Veteres nominaſſent, cum ante novem & quod excurrit hebdomadas non ita bene ſe habuiſſet, medicamentis quidem non ita multis in uſum ductis ſic convaluit, ut muneri ſuo ſat laborioſo præeſſe denuo potuerit, & hinc cum undecim fere ante beatum ſuum obitum diebus iisdem fere malis prehenderetur, ea parvi habuit, bilique inprimis adſcribens, hanc medicamento purgante ſubtraxit, & Tincturam Bezoarticam ut & pulveres quosdam præcipitantes in uſum duxit, ut vero in lectum de die ſe contuliſſet, & cetera quoque, quemadmodum ægrotum decet, ſe geſſiſſet, per primos quinque dies perſuaderi nullo modo potuit, unde malum tantum invaluit, ut ſexto die laborare ipſum febre maligna graviſſima, abunde patuerit, quæ vel ideo difficilius curari potuit, quia, utut nunc medicamenta ſic ſat diligenter ſumſerit, vix tn. bis ſudori ſic, uti quidem deſiderabatur, vacavit, quin quantum in ſe fuit, hunc arcuit, & hinc aliquando veſtibus ſe induit, aliquoties etiam vel ſumme renuentibus adſtantibus lectum reliquit, unde tranſpiratio inſenſibilis impedita fuit, licetque unum alterumve ſignum ſpem quandam convaleſcentiæ ſuggeſſerit, ſemper tn. hæc aliud pravum comitabatur, quod hanc ſpem dubiam faciebat, ſic pulſu cum morbo correſpondente Urinam non ſolum ſumme tinctam ſed & turbidam excernebat, hac vero quodammodo melius ſe habente pulſus peſſimorum quorumvis metum injiciebat, qui & fruſtraneus non fuit, die enim morbi undecimo, ſanguinis

nis motu ſemper magis magisque ceſſante in mortis prædam ceſſit: Gravius nempe plerumque â febribus malignis proſternuntur, qui ſimilis ſunt cum hoc defuncto conſtitutionis, quo minus ergo easdem in principio curant, eo minus curari poſtmodum poſſunt, cùm, ſi in ullo alio, ſane in hoc morbo principiis obſtare mirum quantum juvet.

DCCCXLIV.

Feſtuca phantaſiam perturbans.

VIr quidam Primarius ætate gravis quidem, cetera tn. Dei gratia optime valens, cum aliquando neſcio quid agens feſtucam digito minimo manus ſiniſtræ impreſſiſſet, hancque intactam reliquiſſet, primo quidem vix ullam inde percepit moleſtiam, at cum poſtmodum in lectum ſe contuliſſet, hæc tantos dolores intulit, ut non ſolum totam noctem inſomnem duxerit, verum & phantaſiam ſic depravatam notaverit, ut ne majus ſubſit malum ſibi metuerit, qui tn. metus evanuit, cùm feſtuca extracta quævis mala ceſſarent, & miranti, quod tam parva læſio talia poſt ſe trahere poſſit mala, reſpondi, ſic vel minimæ parti affectæ reliquas ſuccurrere, ut hinc in munere ſuo impeditæ ei ut prius præeſſe non poſſint, unde varia ſuboriantur mala, prout nempe aut ſanguinis motus inpediatur, aut nervo læſo ſpiritus in his contenti irritentur, & in motu ſuo interturbentur.

DCCCXLV.

Faba S. Ignatii Nux Vomica Serapionis.

IIs, quæ ſupra Cura DCXXV de Faba S. Ignatii attuli, omnino ſubjungi merentur, quæ nuper de hac ipſa Faba in Actis Eruditorum Anni 1700 Menſe Decembre ex epiſtola Patris Camelli ad I. Rajum excerpta legi: Fabæ S. Ignatii, quas Indus Igaſur & Mananaog i. e. Victorioſas, Hiſpanus nucleos ſ. pepitas de Byſagas aut Catbalogan vocat, legitimæ ſunt Serapionis Nuces vomicæ, quæ recentes ab argentea lanugine ſplendent, & inæquales, variæque formæ deprehenduntur: Harum non raro viginti quatuor in fructu quodam Melone majore

(qui in delicatiſſima cuticula lævi, ſplendente & viroris lucidi, ſubter quam alius cortex delitеſcit, ſubſtantiæ quaſi lapideſcentis cooperitur,) coarctantur, carne quadam flava & molli interjecta: Sequitur hic fructus florem ſuum, & ſoboles eſt plantæ Catalongay & Cantara dictæ; quæ arbores quasvis altiſſimas ſeſe involvendo ſcandit, & truncum lignoſum, levem, poroſum ad brachii quandoque craſſitiem accedentem, corticem ſcabrum, craſſum & cinereum, atque folia ampla, nervoſa, amara obtinet. Fabæ exſiccatæ avellanæ nuci cum putamine pares, nodoſæ, duriſſimæ, diaphanæ, & quaſi corneæ ſubſtantiæ ſunt, ſaporis ſemine Citri multo intenſius amari, coloris autem inter album & glaucum medii prout & ipſe Serapio tradidit: In Inſulis Philippinis, quæ natale ipſis concedunt ſolum, magnarum æſtimantur virium, potiſſimum præſervare à veneno ſo maleficorum, varia aconita ore recondentium, inſufflato halitu, & ab omni veneno, peſte, contagio, incantationibus magicis, philtris, &c. immunes præſtare dicuntur eos, à quorum collo amuleti inſtar propendent: Interne vel in infuſo, vel in ſubſtantia ſub pulveris forma, vel fruſtatim aſſumuntur: Vomitum utplurimum concitant, dejectiones quandoque, motus ſpasmodicos & convulſivos, fere ſemper in Hiſpanis, in Indo minime: ad expellendum Venenum vel compeſcendos nimios ſpirituum motus ſi exhibeantur, quocunque tempore, in aliis morbis mane jejuno ſtomacho, ad vomitum ciendum una alterave hora poſt paſtum ad ℈ ß cum aliis levioribus emeticis ſumuntur: Collaudantur præterea nucum harum vires in febri tertiana & quartana; ad urinam & menſes provocandos; ſecundinam, fœtum mortuum, lumbricos pellendos; partum difficilem promovendum; dolorem colicum ſedandum; cruditates Ventriculi, diarrhæam, teneſmum, hepatis atque lienis obſtructiones tollendas, &c. Nucis fragmentum Viperæ aliorumve animalium morſui, aut vulneri telo venenato inflicto impoſitum, venenum lapidis Colubrini inſtar adhærendo extrahit, ad hæmorrhagias cœteroquin ſiſtendas pulvis commendatur: In Catalepſi, Apoplexia, Paralyſi, Lethargo, Epilepſia, Aſthmate, Catarrho ſuffocativo, & Odontalgia, fruſtellum linguæ ſuppoſitum apophlegmatiſmi vices ſuſtinet, ita ut hoc modo agonizantes quaſi reſuſcitati fuerint, ut res ſuas componere adhuc valuerint: Ole-

um tandem per Infuſionem, & aliud compoſitum ex nucibus paratur, iisdem viribus celebre: Hactenus Acta Eruditorum, quæ figuras quoque huc ſpectantes exhibent: Sicuti vero nullum eſt dubium, jam olim nucem Vomicam inter alexipharmaca numeratam fuiſſe, cum in Electuario de Ovo inter ingredientia locum invenerit, ita qui fabam talem (ſub quo nomine ad nos nondum delatæ ſunt,) cum nuce vomica conferre poterit, facile, ſi quod reſtet de hac materia dubium, eximere illud poterit: Quod vero nux Vomica Serapionis alia, ſit ab ea, quæ communiter in pharmacopoeis proſtat, delineationem illius cum hac conferenti ſtatim partet: Et cum poſtmodum conferendi nucem Vomicam cum Faba S Ignatii occaſio oblata fuiſſet, adhuc magis patuit; quid ſi vero Imperator Maximilianus hanc potius quam illam communem Electuario immiſceri voluit?

DCCCXLVI.

Eryſipelas ſexto & ſeptimo rediens.

VIx Caſum Viri Illuſtris, qui quarto & quinto Eryſipelate correptus fuerat, ſupra obs. DCCIV. deſcripſeram, & ecce! iterum ad eundem vocor, isque non parum perterrius mihi indicat, ſe denuo antiquo ſuo malo laborare, quod nunc cum tanto frigore initium ſumſerit, ut per bene longum temporis ſpatium vix iterum calefactus fuerit, jam vero pes iterum intenſe rubebat, tumebat atque dolebat, ſicutique iterum Tincturam Bezoarticam ſumſerat ægrotus, ita nunc parti affectæ ſparadrappum viridem applicabat, unde malum non parum mitigabatur; Vel me petente vero, ut in poſterum tam crebra tam moleſti mali reditio eo felicius impediretur, Conſultatio medica propterea fuit habita, & in conſilium vocatis tribus aliis Excellentiſſimis Medcis, Collegis meis honoratiſſimis, caſuque ultro citroque penſitato unanimiter ſtatuebatur, quia bilis ſic abundet, ut ſolis diaphoreticis expelli vix poſſit, eam blando purgante aliquoties iterando ſubducendam eſſe, in quem finem Rob Sambuci cui ſcrupulus unus Rad. Jal. reſ. n. & gr. xv. ſpecif. Cach. Ludov. immiſcebantur, commendabatur, quod & poſtmodum ſexies quantum memini, ſumſit, interpoſita Venæſectione

 quam

quam copia ſanguinis quaſi urgebat, qua mediante nunc plus ſanguinis detrahebatur; hiſceque ſic præmiſſis partim, partim interpoſitis, mane Eſs. abietis, veſperi vero pulver. ex ſpecif. Cach. Ludov. ℈ j. oc. ♋ pp. ℈ ß. Cinnab. nat. pp. gr. IV. & ſacch. Saturn. gr. ij. paratum in uſum ducebat, parti affectæ Empl. ex Cerat. Diapalm. ℥ij. Myrrh. ʒj. Camphor. & ſacch Sat. aa ʒß. Ol. Roſ. malax. ex comuni hoc conſilio imponebat; unde quidem vix quatuordecim diebus elapſis prius malum reditum minabatur, at vix per diem inſtabat, vel hac de cauſa vero medicamenta diligentius continuabantur, donec doſes xxxvi. deſcripti pulveris abſumſit, & jam quidem Dei gratia ſic valet, ut iterum in publicum prodire poſſit, quo beneficio eum Deus diutius frui ſinat: Tam ſæpe vero tam brevi temporis ſpatio redeuntis Eryſipelatis exemplum inter rariora cum merito numeretur, ejusdem continuati lectio Lectori vix nauſeam movebit.

DCCCXLVII.

Lapſum graviórem ſubſequens dolor lateris ſiniſtri internus.

Militis cujusdam Uxor quinquagenaria, cum graviter in terram per aliquot ſcalæ cujusdam gradus prolapſa fuiſſet, licet in externis partibus nullam notaverit læſionem, tam male tn. inde ſe habuit, ut extra lectum ſubſiſtere non potuerit, unde externis quibusdam remediis illitis nil quicquam juvantibus td. me propterea vocavit, & me accedente, de dolore imprimis lateris ſiniſtri reſpirationem quoq; impediente conquerebatur, ubi pulverem ex lap. ♋ pp. Antim. diaph. & Cinn. nat præcipue conſtantem eidem præſcripſi, ſimulque Infus. Veronicæ uſum illi commendavi, quibus in uſum ductis, quævis mala Dei gratia paulatim diſcuſſa fuere, quod nuper gratias referens in via mihi indicavit: Læduntur nempe ab ejuscemodi caſibus partes, interdum internæ, quibus niſi internis ſubveneris medicamentis, externis ſolis fruſtra pugnabis.

DCCCXLVIII.

Animi deliquium à metu ab evulſione dentis ſubortum.

PUer quidam nobilis undecim fere annorum, cum diu dentium dolore laboraſſet, remediaque varia fruſtra omnino adhibuiſſet, quia conſtabat, dentem eroſum eſſe horum dolorum auctorem, antequam hic evelleretur eos non ceſſaturos bene judicantes Parentes, propterea quendam in hac arte Magiſtrum vocarant, quem vero accedentem non admiſit puer, nec, ut vel os inſpiceret, conceſſit, unde hic iterum re infecta diſceſſit; at dolores eum per integram ſequentem noctem ſic torſerunt, ut ſequenti mane ipſemet ſecum conſtituerit, ſe memoratum modo Magiſtrum acceſſurum, & ut dens evellatur, petiturum; viſitavi tum forte fortuna Illuſtrem ejusdem Parentem, & juſculum comedentem dentium dolore tortum inveni, adſidensque ancilla, quid habeat in animo, mihi retulit, unde ut & mihi dentem monſtret petii, intereaque Pater acceſſit, cum quo dum ſermones miſceo, ancilla indicat, puerum animo linqui & eum in lectum collocat, ubi non ſolum pallidum, ſed & pene frigidum eundem deprehendi, pulſusque vix digitos feriebat, ipſemet ergo ſtatim peto θ Vol. Oleos. Sylv., quod in vicinia repoſitum noveram, at vitrum vacuum inveniens cum inſcriptione de eo pendente ancillam mitto, ut illico ex officina pharmaceutica in vicinia poſita afferat, & interea juxta ſtans Balſamum quod album vocant ægrotuli naribus obverto, & quasdam guttulas eidem exhibeo, unde quidem aliquantum ſe collegit, at brevi prius malum rediit quod, demum allato interea θ Vol. Oleos. & cum Vino exhibito Dei gratia ſic ceſſavit, ut jam ſe melius ſe habere ipſemet teſtatus fuerit: Uti vero metus in ſorore hujus, ſicut non ita pridem notavi, motus ſpasmodicos concitavit, ita ipſe animi deliquium inde contraxit ſanguine in hoc, nervis in illa præcipue affectis.

DCCCXLIX.

Febrem ardentem ſtatim inhibens Venæſectio.

ADſtantem ancillæ cuidam febre maligna decumbenti, herus ejusdem, curam ejus laudandam gerens, perſuadere volebat, ut Venæſectionem inſtituerem, & inter alia ſequentia referebat; ſe ante aliquot annos alibi locorum habuiſſe ancillam, quæ itidem tali febre correpta fuerit, quæ brevi temporis ſpatio tantum incrementum ſumſerit, ut calor magis augeri vix potuerit, hincque medicum tum vocatum illico juſſiſſe, ut ſanguis ſubtrahatur, quia vero tam adſtantes crediderint, ſe maculas petechiales in ea obſervare, tam horum ſententiæ Chirurgus vocatus acceſſerit, non niſi prius iterum conſulto medico venæſectionem inſtituere ſe auſos fuiſſe, qui vero tardius domum rediens, tam adſtantibus tam chirurgo exprobrarit, quod juſſis ſuis non paruerint, at reliqua in craſtinum diſtulerit, quo ſic ſat cito accedens, nihilominus ut Venæſectio inſtituatur, juſſerit, hacque mediante Dei gratia febrem tantum ſe remiſiſſe, ut ejus vix ullum ſuperfuerit indicium; Uti vero hæc ſine dubio febre cauſo laboravit, absque malignitate, petechiæque nullæ ſucceſſerunt, ita ubi adſunt malignitatis quædam indicia, niſi quædam indicantia ſumme urgeant Venæſectionem, ab ea tutius omnino abſtinemus.

DCCCL.

Spaſmus totius à terrore.

JUvenis quidam viginti annorum, cum in funus fratris, qui vix per triduum decumbens in mortis prædam ceſſerat, proceſſiſſet, & ab hoc domum rediens adfinem honoratiſſimum qui itidem brevi temporis ſpatio per febrem malignam ê vivis ſublatus fuerat, jamjam mortuum inveniſſet, inde adeo perterritus fuit, ut non ſolum vox faucibus hæſerit, ſteterintque Comæ, ſed & toto corpore obriguerit, pauloque poſt ſic convulſus fuerit, ut adſtantes & ipſum, jamjam â morte abreptum iri, ſic ſibi metuerint, ut prius animæ ejusdem conſuluerint, quam me in conſilium vocarunt; vocatus vero, illico accedens eum ſpaſmo

totius

totius decumbentem inveni, adeo quidem ut ſe movere non potuerit, digitosque diſtortos nec extendere, nec contrahere valuerit, prætereaque de dolore harum partium ſic ſat moleſto conqueſtus fuerit, quoniam vero ſic ſat apte ad quævis interrogata reſpondebat, pulſus nil quicquam mali prodebat, non ita difficulter reſpirabat, membraque â ſpasmo quidem diſtenta perſiſtebant, ulterius autem & alio modo non convellebantur, nec febrem malignam, nec tantum periculum, quantum quidem adſtantes credant, ſubeſſe, judicavi; Cephalicam ergo & Antepilepticam Potiunculam eidem præſcripſi, cui alexipharmaca (ut malignitati vel me forſan inſcio latenti occurrerem,) adjeci, unde poſt quatuor fere horas Dei gratia ſpasmus integre ceſſavit; quia vero partes ab eodem diſtentæ adhuc laſſæ exiſtebant, ipſeque toto corpore magis ac aliâs calens totus credebat, febrem malignam ſubeſſe, aliis quibusvis ſignis licet meliora ſperare jubentibus cephalica tn. alexipharmacis miſta per biduum adhuc eundem continuare juſſi, unde Dei gratia ſic convaluit, ut quinto die in funus Adfinis prodierit; Tantum nempe terror nervis inſidiatur, ut eos variis modis torqueat, at ubi talem ſpasmum producit, is ſane plus periculi minatur, quam revera ſubeſt.

DCCCLI.

Opium febrim exaſperans.

DEcumbebat fœmina quædam, quadragenaria major, febre continua licet non adeo acuta, non tn. omnis malignitatis experte, huic cum de dolore capitis quoque conquerenti, aliquando cum aliis medicamentis etiam Specif. Ceph. D. M. præſcripſiſſem, poſt hujus uſum toties ſternutare cœpit, ut cum in medicamenti operationem inquiſiturus acceſſiſſem, ſe totam credere, me ſibi ſternutatorium pulverem exhibuiſſe, retulerit, uti vero ſternutatoria ore ſumta ejuscemodi quid non præſtare reſpondi, ita, quia ſimul tantum ſeri tenuis ore & naribus reddebat, ut vix verbum proferre commode potuerit, remediis reliquis unicum ſolum granum extracti op. Cydon. addidi, quo vix ſumto tam male ſe habuit, ut jamjam mortem inſtare ſibi metuerit, & hinc media nocte me vocaverit, ubi quidem medicamentum volatile exhibitum Dei gratia tantum profuit, ut brevi

poſt

poſt convaluerit: Diſce interea & ex hac linea quam caute medicamenta opiata ſint exhibenda, quæ febres continuas plerumque non tam imminuunt quam exaſperant.

DCCCLII.

Oculi unius debilitas in alterum translata.

Virgo quædam nobilis juxtaque nubilis, cum hactenus voto ſuo potiri non potuiſſet, inde paulatim menſium inordinatum fluxum contraxit, hincque in ea, quæ hanc preſſo plerumque ſequuntur pede mala incidit, difficilem nempe reſpirationem & febrem, quæ â colore, quo ea laborantes conſpicuæ ſunt, alba nominatur, quibus oculi primo dextri tanta debilitas acceſſit, ut hujus uſu per aliquot dies fere penitus caruerit, quod & ipſam permovit, ut Chirurgum propterea in conſilium vocaverit, qui maculas in oculo notatas unguento ſuo diſcuſſit quidem, at viſus priſtinus vigor non rediit, diſcernere enim æque ac antea hoc oculo nil quicquam potuit, licetque varios pulveres ophthalmicos aliaque his dicata remedia in uſum duxerit, nil quicquum tn. iisdem profecit, menſesque jam obſtructos promovit quidem pulvis neſcio qualis ſumme commendatus, at illico iterum ſubſtitere, unde td. ad me ventum fuit; ubi, cum nec martiatis hunc fontem reſerare potuiſſem, in hujus tn. fluxu reſtituto veram conſiſtere curam, nullus dubitarem, præmiſſo leniore purgante Venæſectionem in pede inſtitui, quæ Dei gratia ſic profuit, ut paulo poſt redeuntibus menſibus dextro oculo æque ac ſiniſtro perſpicere quævis iterum potuerit; Venum enim vero quoniam ſic jam ſe penitus reſtitutam credidit, & vinum medicatum, quod ego præſcripſeram, non bibit, non ita diuturnum fuit gaudium, quod viſus recuperatus attulit; vix enim pauculis elapſis hebdomadis, idem malum, quod prius dextrum occupaverat oculum, ſiniſtro inſidiari cœpit, licetque in hoc nullæ conſpici potuerint maculæ, tam parum tn. eodem res oblatas diſcernere potuit ac prius altero; unde iterum me conſuluit, ubi menſibus obſtructis hoc malum iterum tribuendum eſſe totus perſuaſus, ad martiata medicamenta redii, quæ Dei gratia nunc ſic profuere, ut jam & ſiniſtri oculi uſu ſicut olim polleat: Quamprimum nempe conſtat, malum â men-

ſibus

ſibus obſtructis foveri, niſi hi reſerentur, fruſtra alia quæcunque præſidia in ſubſidium vocantur, notatuque in hoc caſu præſertim dignum eſt, quod uno oculo curato malum tam brevi poſt alterum occupavit.

DCCCLIII.

Vomitus per integrum annum inſtans,

FOemina quædam ſexagenaria, cum prius optima ſanitate gaviſa fuiſſet, poſt potam cereviſiam, cui venenum immixtum fuiſſe, non prorſus absre ſuſpicari poterat, in Vomitum incidit non ſolum quorumvis ingeſtorum, verum & tam inſignis ſeri quantitatis, ut ſæpiuſcule hujus aliquot menſuras eodem rejecerit, quem ſemper ardor Ventriculi ferme intolerabilis comitabatur, quibus malis licet plurima remedia oppoſuerit, utut ea interdum per aliquot dies profuiſſe viſa fuerint, ſemper tn. malum antiquum obtinuit, & niſi quotidie, poſt tres tn. vel quatuor dies vomitus rediit, nec in ullo alio remedio levamen invenit, quam in lacte vaccino poto; unde cum & me conſuluiſſet, in principio, de vermibus cogitavi, at cum jam fruſtra hisce quoque ſe remedia oppoſuiſſe, retuliſſet, & explorato abdomine conſtaret ſcirrhoſum tumorem ſub ventriculo deprehenſum hunc fovere vomitum, malum pro inſanabili habui, licetque quædam eidem præſcripſerim medicamenta, & hisce tn. ea qua reliquis fortuna uſa fuit, unde & me brevi dimiſit: Uti vero ſcirrhoſi tales tumores, ſi præſertim jam diu inſtiterint, vix iterum diſcuti poſſunt, ita mala ab iisdem producta hac ipſa de cauſa curari non poſſunt.

DCCCLIV.

Frigus diu inſtans ſudatorio Coriariorum cedens.

MAtrona quædam honeſta, cum frigore in quodam puerperio correpta, ei ſicuti quidem decet obviam non iviſſet, ſed cetera bene ſe habens illud plane neglexiſſet, inde quidem aliud malum non contraxit, quam quod frigus hoc poſtmodum diu adhuc perſenſit; at cum per integrum biennium & quod excurrit, inſtitiſſet, nec vel gravidæ iterum, nec poſt partum interea

Ffff ſucce-

ſuccedentem non eſſet moleſtum, tandem tædio ejusdem capi cœpit, & hinc variorum conſilia petiit, inter quæ illud præcipue arriſit, quo Coriariorum noſtratium ſudatorium ipſi fuit commendatum, & in hoc aliquoties ſudavit, quod & Dei gratia ipſi tantum profuit, ut ab illo tempore, aliud quam alii frigus non perceperit, & hinc aliis quibusvis de tali frigore querentibus hodienum illud ſummopere commendet: quæ cum pituitoſa quædam de ſimili frigore conqueſta quid mihi de hoc ſudatorio videretur? interrogaſſet, alia adſidens fide digniſſima matrona narravit; nec ego huic hoc diſſuaſi, cum hoc ſudatorium non ſolum particulas ſulphureas ſanguini communicando & ſic motum ejusdem promovendo frigus pellat, verum & particulis balſamicis quibus abundat, vitalem liquorem corrigendo, ne frigus tam cito redeat, efficiat: Omninoque hoc ipſum ſudatorium magis confert illis, quorum ſanguis particulis ſeroſis atque viſcidis abundat, pituitoſorum nomine olim inſignitis, quam aliis, in quibus non tam quod corrigat invenit, & hinc particulas ſulphureas partim augendo partim acuendo non poteſt non nocere.

DCCCLV.

Hydrops incipiens ſtercore Equino curatus.

NArraveram cuidam Generoſo Viro hiſtoriam illam mulieris, quæ quia ad conſilium lepidi cujusdam Viri corpus maſſæ farinaceæ immerſerat, â febre liberata fuerat, & is, non deeſſe plura exempla remediorum non tam ſerio quam per jocum commendatorumregeſſit; quæ eos,qui ea in uſum duxerit, juverint,ſic vero ſe noviſſe olim Juris Utriusq; Doct. quem ruſticus quidam, quosvis Doctores pro medicis habens, rogarit, ut remedium ſuggerat, quod hydropi jamjam incipienti depellendo ſufficiat, eum vero nil minus cogitantem, quam quod ſit executurus conſilium ruſtico ſuaſiſſe, ut ſtercus equinum in aqua coquat, & Decocto hoc aliquandiu utatur; non vero tam pro jocoſo quam vero conſilio hoc agnoviſſe ruſticum, & diligenter commendatum Decoctum bibiſſe, ſicque inde eum priſtinam ſanitatem recuperaſſe, ut poſtmodum Juriconſultum adierit, & ingentes pro tam ſalu-

ſalubri conſilio communicato egerit gratias: Jamdudum nempe ſtercus equinum quoque inter remedia locum inveniſſe, ex iis conſtat, qui de hac materia ex profeſſo ſcripſerunt, inter quos Paullini eminet, ad quorum aſſerta magis confirmanda hæc aliquid conferent, cumque non deſint, quibus talia remedia magis quam alia placent, hoc modo & horum palato accommodare te poteris.

DCCCLVI.

Auditus difficultas à clamore nimio.

MErcatorem quendam é primis viſitaverat jocoſus quidam amicus, & fingens, ſe ei aliquid in aurem dicturum, tantum ſuſtulerat clamorem, ut vel in remotiſſima domus parte audiri potuerit, quo ipſo quidem riſum, quem intendit, commovit, at ab illo tempore is auditus quandam gravitatem percepit, quam quidem ſponte ceſſaturam ſperans, per aliquot menſes neglexit, at cum non tam deſineret, quam indies augmentum ſumeret, tandem medicum ſuum propterea conſuluit, qui Ol. Amygd. amar. auri immittere juſſit, quod remedium tanto cum fructu applicavit, ut brevi auditus reſtitutus fuerit: Omne nempe nimium & ſenſibus inimicum exiſtit, ſicutque lux nimia ex improviſo & nimis propinquè oculis oblata eosdem uſu ſuo niſi privat, hunc tn. non parum intercipit, ita eodem modo peccans ſonus auribus inſidiatur; laudem vero, quam hactenus in aurium affectibus meruit Ol. Amygd. amar. hoc ipſo caſu magis tuetur.

DCCCLVII.

Variolis ſuccedentes cruſtæ diutius moleſtæ.

VAriolis laboraverát Viri cujusdam nobiliſſimi filiola biennis, tam copioſis quidem, ut in facie præſertim nec minimum ſuperfuerit ſpatium, quod iisdem non fuiſſet obtectum, haud ita difficulter tn. & has devicit, nec ullum notatu dignum ſupervenit ſymptoma, niſi quod, cum easdem nondum maturas unguibus aperuiſſet & ante tempus decerpſiſſet, inde poſtmo-

dum cruſtæ reſtitere, quæ non ſolum denuo exulceratæ fuerunt, verum per aliquot hebdomadas corpus defœdarunt; Quod idem contigit puero cuidam quindecim annorum, qui itidem ante tempus quotcunque vidit puſtulas diſcerpſit, at cruſtæ poſtmodum exulceratæ tantum dolorem concitarunt, ut de hoc fere magis quam prius de Variolis queſtus fuerit: Sicut autem utrique purgans præſcripſi, ita hoc parum proficiente illi quidem Ol. Amygd. dulc. cui ſperma Ceti immixtum fuerat, levamentum quoddam attulit, hic vero emplaſtris quoque opus habuit: Melius vero omnino ſanitati ſuæ conſulunt, qui variolis laborantes, niſi dolor aut aliæ cauſæ urgeant, maturationem & exareſcentiam harum puſtularum patienter expectant, cum ante tempus ſcalpendo non ſolum tales cruſtæ verum & alia mala produci poſſint.

DCCCLVIII.

Vinum medicatum præ aliis medicamentis conducens.

MUlier quædam honeſtiſſima, plurium liberorum mater, quinquagenaria, cum hactenus Dei gratia ſanitate ſat integra fruita fuiſſet, nuper inſtantibus menſibus, nec ut prius fluentibus, primo caloribus, quos volaticos nominant, vexari cœpit, quibus idoneis medicamentis diſcuſſis, dolores lumborum & pubis regionem occupantes ſucceſſere tam acerbi, ut & extra lectum vix degere potuerit, & toto corpore conſumta fuerit, licetque præmiſſo leniore purgante varia medicamenta tum præcipitantia & abſorbentia tum anodyna hisce doloribus oppoſuerim, hæc tn. eosdam vix parum demitigarunt, & urina præſertim tinctior cum craſſo ſedimento, poſt quæcunque medicamenta ſumta eadem manſit, & hinc malum nondum diſcuſſum eſſe, ſufficienter prodidiſſet, ſi vel maxime ægrota ab omni querela abſtinuiſſet; acceſſit hinc dolor lateris ſiniſtri, & regionem lienis divexans, quod & duriusculum tactu deprehendebam, quod me permovit, ut Electuarium chalybeatum eidem præſcripſerim, unde quidem durities ſe remiſit, & tum hic tum reliqui dolores ulterius moleſti non extiterunt, at urina antiquum obtinens, laſſitudo inſtans, appetitus proſtratus, & conſumtio indies magis partes depaſcens eam medicamentis pluribus opus habere, ſat indicarunt;

carunt; febre itaque abſente & urina præſertim humorum peccantium in corpore adhuc reſtitantium abundantiæ ſuſpicionem injiciente, Vinum medicatum purgans eidem præſcripſi; quod quidem ſicut blande & per vices multum materiæ peccantis ſubduxit, ita quævis reſtitantia mala Dei gratia ſic diſpulit, ut nunc, urina quoque naturali colore & conſiſtentia conſpicua, ſanis iterum annumerari potuerit: Sic vero ſæpius humores conſtitutos eſſe, ut niſi purgantibus ſubducantur, aliis medicamentis parum proficianus, hæc obſervatio egregie confirmat.

DCCCLIX.

Inquies inconſueta Vino medicato cedens.

MAtrona quædam non ex infimis, ejusdem ferme cum modo deſcripta ætatis, at jam per biennium & quod excurrit, tributum lunare ulterius non ſolvens, præter alia mala, quæ alibi jam deſcripſi, nuper de ſalſo præſertim ſapore quosvis cibos potusque perdente queri cœpit, cui accedens ſingularis quarumvis partium inquies, quæ continuam fere fugam ei quaſi imperavit, eam permovit, ut me propterea conſuluerit, cum præſertim Eſs. abietis ſapori ſalſo jam diu fruſtra omnino oppoſuiſſet: Et huic ergo Vinum Rhabarbari nob. præſertim viribus imprægnatum ordinavi, quod potum Dei gratia tantum profuit, ut inquies illa ceſſaverit, ſaporque itidem jam longe melius ſe habeat: Quo quidem ſicut, quæ in antecedente obſervatione produxi confirmantur, ita quam egregias poſſideat Rhabarbarum vires iterum magis pateſcit.

DCCCLX.

Abſceſſus juxta inguen fonticulum exſiccans.

SEnex quidam Venerandus, cum puſtulæ quædam in pedis dextri ea parte, quæ juxta inguen eſt poſita, pruritu moleſtæ extitiſſent, primo quidem non niſi ſcalpendo ſibi conſuluit, at cum inde dolor etiam ſubortus fuiſſet, non male collegit furunculum vel & abſceſſum ſubeſſe, huicque hinc Emplaſtrum album coctum per Uxorem impoſuit, unde indies majus ſumſit

ſit augmentum, & abſceſſum eſſe per quævis indicia conſtitit, qui tandem ruptus, primo quidem multum admodum puris fudit, at quia non conceſſit, ut turundæ immiſſæ fuerint, illud exitum ut prius non inveniens cutis partem paulatim excavavit, quæ â muſculis ſeparata, hincque calore naturali deſtituta non parvum Uxori ejusdem injecit metum, unde tum me, tum Chirurgum in conſilium vocavit; ubi, cum veniam inſpiciendi partem affectam impetraſſemus, maculam dimidium fere thalerum magnitudine æquantem, eſcharam â cauterio potentiali inductam exacte repræſentantem invenimus, quam tn. hinc inde perforatam non ita difficulter ſeparatum iri, ego quidem nullus dubitavi, nec ſpe mea falſus fui, dum poſt aliquot dies facile ſeparari â muſculis potuit, & ſic poſtmodum cicatrix inducta fuit; ubi notatu dignum eſt, quod, quam diu quidem hic abſceſſus pus profudit, nec gutta ejusdem per fonticulum, quem in brachio ſiniſtro gerit optimus hic ſenex, excreta fuerit, quin hic ſic exaruit & conſolidatus fuit, ut novum excitare opus habuerimus, qui abſceſſu curato, ut olim nunc quotidie pus conſuetum reddit: Non ſufficit nempe in Senibus Ventriculus coquendis cibis, hincque plures ac olim colliguntur partes excrementitiæ, quæ per vias ordinarias non depoſitæ & hinc ſanguini confuſæ in robore pollentibus internis in externis partibus exitum quærunt, quem ſic invenientes, liberatus ab illis non poteſt non melius ſe habere, qui ſine dubio in graviora incidiſſet mala, ſi internam quandam partem occupaſſent; quam arctum vero inter ſe alant conſenſum corporis humani partes, fonticulus exareſcens non parum confirmat.

DCCCLXI.

Vermis variolarum principium mentiens.

Filiola cujusdam Mercatoris quatuor fere annorum, cum hactenus Dei gratia ſic ſat bene ſe habuiſſet, ſubito de dolore abdominis, calore p. n. & appetitu proſtrato queri incipiens Parentibus ſuſpicionem injecit, Variolas hæcce mala ſubſecuturas, cum præſertim & vomitus, â quibus tum plerumque initium ſumebant, accederent, ut ergo facilius hoc malo defungeretur, per purgans in tempore exhibitum obtineri poſſe, perſuaſi, ut tale

medi-

medicamentum præſcribam, me rogarunt, nec ego, quia in puella nullæ adhuc maculæ conſpici poterant, eorum petitis defui, ſed memor, quod nonnulli in promovendis Variolis mercurium dulcem imprimis commendent, huic alia purgantia addidi, & compoſitum inde Syrupum puellæ exhibere juſſi, qui quidem aliquot ſedes movit, & cum ultima harum vermem rotundum exturbavit, hincque quævis memorata mala ſic ceſſarunt, ut jam omnis variolarum ſuſpicio evanuerit, vermemque ea excitaſſe, nemo dubitaverit: Utut nempe tam neceſſario non requiratur, ut in Variolis ſemper purgantia præmittantur, cum plures feliciſſime easdem his non præmiſſis devincant, ſicut tn. tantum non in quibusvis puerorum morbis purgantia in principio exhibita non parum conferunt, ita ſi vermibus, quod non raro fieri ſolet, divexentur, eosdem deturbando ſæpe graviſſimos morbos avertunt: Variolas autem, antequam erumpant, inſtare, vix unquam certo prædicere poteris.

DCCCLXII.

Digitum indicem dimidium depaſcens ulcus.

ACceſſit me nuper Vir quidam ſcabie fœda toto corpore ſic defœdatus, ut cum eo habitantes cives â conſortio ejusdem abhorrere cœperint; utque an absque metu contagii inter ſanos degere poſſit, conſtaret, magiſtratus ejus loci eum Viſitationi noſtræ ſubjecit, ubi quidem, niſi cura conveniens inſtituatur, eum leproſis omnino eſſe annumerandum judicavimus; in eo vero cum obſervaſſem, quod digiti indicis dextræ manus dimidia fere parte careat, quomodo hunc amiſerit, eundem interrogavi, qui reſpondit, ſe ante aliquot annos ulcus in hoc digito aluiſſe, quod, quo diutius tractaverint imperiti balneatores, eo magis corruptum fuerit, unde td. cum ſphacelus acceſſiſſet, jam vita carentem partem reſcindere opus habuerint; ſicut vero exinde conſtitit, quam acres in hoc viro abundent humores, ita quantum interſit, ut quis fido & perito Chirurgo ſe committat, hæc obſervatio confirmat; cum multi, dum de alieno ludunt corio, hujus majorem ac bubuli vix rationem habeant, unde nonnunquam partes, quæ vel ſervari adhuc poſſunt, reſcindunt.

DCCCLXIII.

DCCCLXIII.

Febris maligna cum ſumma cordis anxietate.

CORripiebatur Figuli cujusdam filia, alibi ancillam agens, febre continua maligna, hincque, ut ibi cura ejusdem decens gereretur, in domum Patris deportabatur, ubi inprimis frater natu minimus frequentius eandem viſitatabat, hinc vero etiam brevi eandem febrim ſic contrahebat, ut non ſolum toto corpore ſumme caluerit, ſed & de inſigni cordis anxietate queſtus fuerit, quæ brevi tantum invaluit, ut vix reſpirare ulterius potuerit; huic malo licet ego tum ſororem ejusdem viſitans ſtatim Potiunc. ex Pulv. Pannon. & Tinct. Bezoart. præſertim conſtantem oppoſuerim, nullum tamen inde levamentum percepit, ſed non ſolum deliria quoque acceſſere, verum anxietas inprimis aucta fuit, unde nunc præter alia medicamenta ei nonum fere agenti annum poſt ſingulas ſex horas ſpiritus C. C. guttas quindecim exhibere juſſi, qui Dei gratia tantum profuit, ut non ſolum anxietas inde ſe ſtatim remiſerit, verum & febris plane extincta fuerit, ſicque Puer Dei gratia convaluerit: Quo ipſo ſicuti confirmatur, quod nuper aſſirmavi, Pueros facilius ab hoc morbo ac adultos convaleſcere, ita mirum quantum, ſi ubi requiritur, exhibeatur, conferre ſpir. C. C. ex hac ipſa obſervatione diſces.

DCCCLXIV.

oculi humores extravaſati facile in pus abeuntes.

VIrgo quædam viginti annorum nimium properans tam graviter faciem januæ ferreæ alliſerat, ut inde tam ſupra quam infra oculum dextrum ſibi duo vulnuſcula inflixerit, oculo quidem illæſo, at uti quidem prædixeram, & nec vino calido, nec emplaſtris impediri potuerat, partibus ejusdem externis intumeſcentibus & variis coloribus defœdatis, unde & ſic clauſus fuit, ut eum aperire non potuerit; licet vero illum non eſſe læſum, abunde patuerit, quia tn. inſignis puris quantitas ex eodem quotidie profluxit, ne forſan læſio quædam aliorum oculis non expoſita ſubſit, aut jamjam ſubſequatur, Virgo non parum ſibi metuit, hincque tum Pilul. FF. ſumſit, tum Veſicas in brachio exci-

excitari curavit; at uti oculo detumeſcente iterum ſat conſtitit, nunquam immediate læſum eundem fuiſſe, ſic ego judicavi, humores ex oculi vaſis deſtillantes, ſi ibi detineantur, facile in pus converti; & hac in ſententia magis me confirmavit, poſtmodum puer quidam, cui Variolæ oculos occluſerant, ſicut enim hic mihi in memoriam revocavit, æque ac illi aliis quoque quibus ejuscemodi quid contigit, multum puris etiam ex oculis deſtillare, ita aliunde quam à dictis humoribus illud commodius derivari vix poterit.

DCCCLXV.

Variolæ brevi exareſcentes.

MErcatoris cujusdam filiolus, quatuor fere annorum, ſubito calore p. n tam intenſo prehenditur, ut vix ita diu absque moleſtia tangi manu potuerit, quem comitans appetitus prorſus proſtratus, hincque accedens laſſitudo plane inconſueta matrem permoverunt, ut me propterea vocaverit; ubi cum pulſum quoque celerrimum inveniſſem, Potiunculam Alexipharmacam eidem præſcripſi, quæ bis licet ſumta calorem tn. nec minimum quidem imminuit, unde denuo vocatus Mixturam quoque ordinavi poſt ſingulas horas exhibendam, per integrum tn. biduum calor ſemper potius incrementum ſumſit, quam decrevit, donec td. hinc inde maculæ in cute comparuere, Variolarum aliâs prodromi, hinc enim ſupra memorata mala brevi ſic diſcutiebantur, ut illorum vix memoria ſuperfuerit; brevi etiam hæ maculæ in puſtulas abiere, quas quotidie majores futuras, vix ulla dubitandi ſubfuit cauſa; Verum enim vero non ſolum vix dimidium conſuetæ aliâs magnitudinis attigerunt, ſed quinto ſextoque die ſic exaruerunt, ut ſeptimo vix conſpici ulterius potuerint, puero optime ſe habente, & ad priores luſus redeunte, cum aliâs variolæ vix nono vel decimo die perfectam ſuam magnitudinem adipiſcantur, & tum demum exareſcant: Adeo quidem & circa morbos familiares ſubinde aliquid extraordinarii contingit, quod nec prævidere nec prædicere potuimus, unde famæ non parum couſulimus, ſi & in hisce morbis qua prædictionem cautos nos geſſerimus.

DCCCLXVI.

Catarrhus febris malignæ metum injiciens.

MErcator quidam, triginta & quod excurrit, annorum, bis terve jam ſanguinis ſputo obnoxius, & hinc identidem medicamentis phthiſin avertentibus opus habens, cum nuper in catarrhum ad nares incidiſſet, & per has plurimum ſeri per integrum diem depoſuiſſet, veſperi laſſitudine quadam, capitisque dolore accedentibus, jam ſibi metuere cœpit, ne febris maligna hinc inde quosdam poſternens ſubſit, quem metum cum Uxor ejusdem in eo obſervaſſet, ſtatim ad me miſit ancillam, & ut medicamentum ſub noctem ſumendum præſcribam, & ſequenti die ipſemet eum viſitem rogavit; præſcripſi ergo pulverem ex ſpecif Cephal D. Mich. & Antim. Diaph. conſtantem, quo ſumto noctem ſic ſat quietam duxit, maneque ipſemet mihi obviam ivit, ubi, cum in quævis ſedulo indagaſſem, nec vel minima ſuſpicio febris malignæ ſubeſſet, primo quidem metum ejusdam menti exemi, hinc vero catarrho dicata medicamenta præmiſſo laxante commendavi, quæ Dei gratia vix fruſtra in uſum duxit: Non improbandum nempe licet ſit, ſi febribus malignis graſſantibus, quivis morbi nobis ſint ſuſpecti, cum in quibusvis ſubeſſe poſſit, ſi tn. quævis malignitatis indicia defuerint, non tam fruſtra huic ocurras, quam ipſum morbum aggrediaris.

DCCCLXVII.

Febris puerperalis frigore incautius admiſſo revocata.

MErcatoris illius, cujus haud ita pridem memini, Uxor, quæ nempe tum febre puerperali cum abdominis dolore decubuit, cum per quatuor fere hebdomadas ſanitate redintegrata ſic gravisa fuiſſet, ut nec minimum quidem ullius morbi ſuperfuerit indicium, modo dicto tempore omni nondum elapſo rem familias curare ut prius cœpit, & cum filiolus admodum dilectus interea variolas contraxiſſet, non ſolum huic diligenter adſtitit, verum & aliquoties corpus aeri incautius expoſuit, quin aliquando in

do in cubiculo non calefacto per bihorium dormiit, hincque brevi poſt non ſolum frigore minus conſueto correpta fuit, ſed hoc excepit calor febrilis, qui non parvum eidem injecit metum, unde Tinctura Bezoartica fruſtra fere ſumta me ſub noctem conſuluit; & ego febrem puerperalem rediiſſe nullus dubitans, quæ aliâs eidem opponere ſoleo, nunc quoque eidem oppoſui medicamenta, quibus ſumtis Dei gratia ſequenti mane aliquanto melius ſe habuit; continuatisque hinc iisdem tertio die â febre omnino liberata fuit: Diſcant hinc mulieres præſertim teneræ quod vel quarta hebdomade, ne nimium fidant, opus habeant, inprimisque tum quoque temporis aerem frigidiorem non admittant; licet enim hæc haud ita difficulter priſtinam recuperarit ſanitatem, aliis tn. vel tales etiam febres ſubinde in exitioſas degeneraſſe, non deſunt ſat triſtia exempla.

DCCCLXVIII.

Ventriculi dolor antiquus Terra ſigillata ſopitus.

MAtrona quædam nobilis, fere quinquagenaria, cum jam per aliquot annos Ventriculo ſic laboraſſet, ut is tantum non continuo doluerit, quod & vel eam inſpicienti patuit, dum pallidus faciei color, eam minus bene ſe habere, ſat prodidit, huic quidem dolori varia â variis commendata medicamenta ſic ſat ſedulo oppoſuit, at dolor nunquam diu multoque minus integre ceſſavit, unde ſemper in alias atque alias curas inquiſivit, tandemque quidam eidem Terram ſigill. Siles. commendavit, quam cum aliquandiu in uſum duxiſſet, Dei gratia omnis dolor ſic ceſſavit, ut nunc hanc ipſam terram, ubicunque ejusdem mentionem faciendi ſe offert occaſio, miris efferat laudibus: Sine dubio vero in hac humores acidi atque acres, dolores, de quibus queſta fuit, concitarunt, quos abſorbendo, atque acredine ſua ſpoliando Terra dicta profuit: Sicuti vero non omnes omnino Ventriculi dolores ab hac cauſa proficiſcuntur, ita non omnibus quoque eadem æque proderit.

DCCCLXIX.

obſtetrix ob fœtus extractionem male accuſata.

Vidua quædam, cum ex furtivis amoribus concepiſſet, ne res & aliis innoteſceret, Urbem reliquit, & in pago quodam haud ita procul ab ea diſtante obſtetricem adiit, hancque, ut ſe recipiat, in partu inſtante adſtet, & tempore puerperii ſui curam gerat, rogavit; quæ ejusdem petito ſatisfecit, & illam non ſolum recepit, verum & tempore partus ei, quantum in ſe fuit, fideliter adſtitit, quo ipſo tn. impedire non potuit, quin loco capitis primo manus ex Utero erupiſſet, ex qua fœtum adhuc vivere uti primo ſat conſtitit, ita more Romanæ Eccleſiæ eandem baptizavit, poſtmodum vero eam caute loco ſuo reſtituit, ſperans fœtum ſitum mutaturum, ſicque partum ordinarium ſucceſſurum; at ſpe ſua quam maxime falſa fuit, vix enim aliquot elapſis horis, eadem manus prodiit, jam quidem tumida & livida, unde ut & ex aliis ſignis colligebat, fœtum vivorum numero jam eſſe ſubtractum; hincq́, cum nunc ſicut prius utero intrudi denuo non poſſet, partusque minime ſuccederet, elapſis jam undecim horis, ut mater ſervetur, fœtum extrahendum eſſe, ſtatuit obſtetrix, & primo quidem brachiolum ſic diſtorſit, ut manu ſua melius in uterum penetrare potuerit, ubi, (uti quidem retulit,) ſpinam dorſi diffregit, ſicque feliciter fœtum extraxit, adeo quidem, ut vix quatuordecim elapſis diebus mater incolumis huc Auguſtam redierit; Contigit vero quod fœtus mortuus, quem interea per quatuor fere horas in Cubiculo frigido aſſervaverant, ut ſepeliatur, reproductus, & hinc denuo inſpectus tam vivido colore oculos adſtantium perculit, ut ædituus inprimis præſens eum adhuc vivere, & hinc baptiſmo iterum tingendum eſſe judicaverit, eo ipſo vero & fama divulgata fuit, Obſtetricem hunc fœtum vita privaſſe, quæ res td. ad Prætorem delata eum permovit, ut in quævis acta ſedulo inquiſiverit, rem ad ſuperiores ſuos detulerit, & quid factu ſit opus? interrogaverit; qui Obſtetricem carceri includere juſſerunt, & caſum poſtmodum tum ad medicum ſuum, tum obſtetricem quandam ſeniorem detulerunt, â quibus, obſtetricem homicidii accuſari non poſſe, judicatum fuit: Et ſane, cum hunc caſum

Juriſconſultus quidam ad me detuliſſet, utut non omnia ex arte peregerit obſtetrix, quin tn. conatus illius potius laudandus, quam improbandus & puniendus ſit, judicare & ego non dubitavi: Sicut enim color vividus vitæ tn. præſentis ſufficiens index non fuit, dum novum non eſt, quod frigori præſertim expoſita cadavera ruborem quendam vel poſt aliquot dies interdum acquirant; ita ſi per certa indicia conſtiterit (uti quidem hic per brachium exſertum conſtare potuit) fœtum eſſe mortuum, longe melius conſulitur matri, ſi in tempore fœtus quovis modo extrahatur, ſi vel maxime abſque hujus vel mutilatione hoc fieri non poſſit, quam ſi ea, ut fœtum promoveat, fruſtra impellitur, unde citius quam hoc modo lædi poteſt, ſemperque potius excuſari poterit obſtetrix, quæ hoc modo caute extractionem aggreditur, quam quæ verbis ſolum tam arduum negotium perficere tentat.

DCCCLXX.

Fœtus mortuus matri minus moleſtus.

MUlier quædam è plebe cum nono menſe gravida graviter in terram prolapſa fuiſſet, per biduum quidem adhuc quodammodo fœtum ſe movere percepit, at hoc elapſo, per reliquos undecim & quod excurrit dies, ſicuti hic motus plane ceſſavit, ita gravius ab illo tempore pondus circa pubem ſenſit, cetera tn. nec de horrore nec calore p. n. conqueſta fuit, nec ullum unquam animi deliquium ſupervenit, ſed tempore vero partus inſtante doloribus ut olim correpta brevi nec ita difficulter fœtum enixa fuit mortuum, & jam hinc inde corruptum, in cujus ventre juxta funiculum umbilicalem vulnuſculum conſpiciebatur: Rarius nempe contingere ſolet, quod fœtus mortuus tum parum moleſtiæ matri eundem gerenti creat, cum alias vix per bihorium geſtatum matrem ferme perimere non deſint hiſtoriæ, ex eo ſolo vero, quod mater minus bene ſe non habet, quod fœtus adhuc vivat, certo judicari non poſſe, hic caſus te doceat.

DCCCLXXI.

Somnus profundus plurium dierum ſponte ceſſans.

ACceſſit me nuper hoſpes quidam paganus, & narravit, quod filiam habeat, undecim fere annorum, quæ præterita æſtate in ſomnum inciderit, â quo non niſi excitata evigilarit, tumque interrogata, an & cetera male ſe habeat? ſemper eandem reſpondiſſe, niſi quod ſomnolenta admodum ſum, non habeo de quo querar, & ſic iterum dormiiſſe, licetque hic ſomnus per aliquot hebdomadas inſtiterit, nullumque omnino remedium eidem oppoſitum fuerit, filiam tn. ſuam tandem ſponte evigilaſſe, & nunc integerrima Dei gratia frui valetudine: Abundant nempe in hac ætate conſtitutis humores ſeroſi viſcidi, qui ad nervorum principium delati ſpirituum ad ſenſuum motusque organa motum retardant, unde ſomnus ſuccedit, qui ſine dubio haud ita difficulter diſcuti potuiſſet, ſi medicamenta convenientia in tempore in uſum fuiſſent ducta: nollem vero, ut quispiam crederet, & alios tuto intactos tales morbos relinquere poſſe, cum hæc absque medicamentis convaluerit, æque cito enim in malum adhuc gravius tranſire, quin mortem poſt ſe trahere potuiſſet hic ſomnus, quam diſſipatus fuit, unde omnino ſanitati & vitæ ſuæ melius conſulunt, qui tam inconſuetum ſomnum non tam parvi habent & negligunt, quam depellere idoneis remediis tentant,

DCCCLXXII.

Graviditatis accuſata medicum fugiens.

ATtulerat ancilla quædam malæ fidei, & amoribus illicitis dedita urinam ad medicum, medicamenta nempe menſes moventia petitura, & ſic fœtum, quo ſe gravidam ſine dubio noverat, depulſura; cum vero tum cum alio ægroto occupatum eundem inveniſſet, Uxor medici primo quidem aliquamdiu expectare illam juſſit, hinc vero interrogavit, an ipſa conſilio medico opus habeat? & quibus divexetur malis? ubi cum reſpondiſſet ancilla, omnino pro ſe ipſa ſe conſilium expetere, quia jam per pluſculas hebdomados minus bene ſe habeat, dum non ſo-

lum

ſum difficilius reſpiret, verum & ventriculus ſuus conficiendis ingeſtis vix ſufficiat, unde appetitus ſic proſtratus fuerit, ut nauſea quorumvis ciborum teneatur; ſimul accuratius illam adſpiciens Matrona, gravida es, ſubjunxit, nec mala hæc ceſſabunt, donec olim fœtum enixa fueris, ſimul tn. iterum juſſit, ut maritum brevi adfuturum expectet, & ſic diſceſſit; Verum enim verò tantum abeſt, ut diſcedente illa ancilla diutius exſpectaſſet, ut potius illico ſe ſurripuerit, nec poſtmodum redierit: Sceleris nempe ſibi conſcia, & hinc haud abs re metuens, ſi medici conjux tam cito hoc prodiderit, multo magis illud medico conſtiturum: Utinam vero tam audaculæ fœminæ ſemper hoc modo â medicis ſe ſubtraherent, & â malo ſuo propoſito deterrerentur, ſic enim & propriæ ſuæ conſcientiæ & medici famæ non parum conſulerent.

DCCCLXXIII.

Febris malignæ metus fruſtraneus.

GRaſſantibus hinc inde febribus malignis ancilla quædam ê regione domus, in qua plures hoc morbo decubuerant, habitans, cum caput doleret, appetitus proſterneretur, & non ita exigua quorumvis membrorum laſſitudo accederet, ſe itidem hoc malo laborare non dubitavit, & hinc non parum ſibi metuit, ne & ſibi letale evadat; heram itaque ſuam, ut me propterea conſulat, rogavit, quæ accedens & memorata modo referens, ut, non prorſus inanem eſſe metum, reſponderim, me permovit, dicta ſiquidem mala hoc anno plerumque febrem aut antecedebant, aut & comitabantur; præſcripſi itaque Potiunculam alexipharmacam, & poſt hanc ſudori vacare eandem juſſi; quod cum præſtitiſſet, & laſſitudo nihilominus reſtaret, me ſuadente ſequenti die eandem Potiunculam iteravit; Licet vero poſt hanc ſumtam melius ſe habuerit, & appetitus redierit, nondum tn. omnem metum depoſuit, & hinc urinam quoque ad me miſit, ex qua cum itidem nil quicquam febrilis prædicere poſſem, potiusque haud ita obſcura mali hypochondriaci indicia mihi innoteſcerent, huic dicatum remedium eidem commendavi, quod Dei gratia tantum profuit, ut vix biduo elapſo eandem in platea offen-

offenderim: Metui nempe ægrotantium omnino aliquid dandum eſt, non tn. nimis diu, ſed quamprimum conſtiterit hunc vanum eſſe, malo potius â quo fovetur, quem imaginario occurrendum erit.

DCCCLXXIV.

Iſchiadici dolores in puella duodecim annorum.

MErcatoris cujusdam non ex infimis filia unica, duodecim annorum, cetera quidem Dei gratia ſic ſat bene ſe habens, macris tn. merito annumeranda, quia hactenus nullam inde moleſtiam perceperat, & macies hæc reliqui corporis augmento non ita male adſcribi poterat, vel me ſuadente nullum eidem oppoſuit medicamentum, at cum nuper doloribus iſchiadicis correpta fuiſſet tantis, ut pedi inſiſtere non potuerit, mater de ejusdem ſalute maxime ſolicita me propterea conſuluit, ubi, cum eam cetera ſic ſat bene habentem inveniſſem, â menſibus in motu conſtitutis, at ob vaſa uteri adhuc clauſa penetrare non valentibus hos dolores derivandos eſſe judicavi; & hinc pulv. ex ſpecif. Cach. Lud. & Cinnab. nat. præcipue conſtantem, poſt ſingulas ſex horas eidem exhibendum præſcripſi; quo diligenter in uſum ducto dolores quidem aliquantum ſe remiſerunt, nondum tn. ſic, ut incedere iterum potuiſſet; Unde, cum & humores vitioſos abundare, urina præſertim detegeret, purgante medicamento hos ipſos educendos eſſe, judicans, Potiunculam talibus viribus inſtructam ordinavi, quæ ſumta quod deſiderari potuit, præſtitit, & dolores locum mutarunt, dum jam genua occuparunt, in quibus tn. continuato ſedulo pulvere brevi penitus diſcuſſi Dei gratia fuere, adeo, ut nuper illam alacriter incedentem in via offenderim: abundantibus nempe vitioſis humoribus niſi purgantia quoque in ſubſidium vocentur, aliis vel laudatiſſimis medicamentis ſcopum noſtrum aut plane non, aut difficulter admodum obtinebimus.

DCCCLXXV.

Linguæ veſiculæ antiſcorbuticis ſanatæ.

VIri cujusdam præcipui filiolus annuus, cum nuper præter conſuetudinem ſuam, quibuscunque ori inditis clamare inci-

inciperet, ancillam permovit, ut os propterea accuratius inſpexerit, cumque linguam hinc inde veſiculis quaſi conſperſam inveniſſet, idem Matri detexerit, quæ me hac de cauſa conſuluit, & ego ſtatim juxta ſirupi convenientis uſum Eſſ. etiam abietis commendavi, at cum ſirupum ſolum adhibuiſſent, malum inde non tam imminutum quam auctum fuit, quare denuo vocatus iterum atque iterum urſi, ut laudatam Eſſentiam puerulo exhibeant, ſimulque jam Melle roſato viribus Spir. Cochlear. imprægnato linguam ſæpius fricare juſſi, quibus per aliquot dies ſedulo obſervatis, veſiculæ paulatim evanuere, jamque ſicut prius quævis absque clamore ingeſſit ægrotulus: Adeo nempe in quibusvis oris affectibus ſemper quædam ſcorbuti ratio eſt habenda, raroque antiſcorbutica fruſtra & infantibus in ejusmodi malis præſcribuntur.

DCCCLXXVI.

Febris maligna ſupervenientibus convulſionibus letalis.

Mercatoris cujusdam Uxor, quinquagenaria ferme, & tenerioris conſtitutionis, cum jam per tres & quod excurrit annos cum variis malis uterinis, quæ menſium fluxum paulatim deſinentem in pluribus ſubſequi ſolent, conflictata fuiſſet, ab iis liberata haud ita pridem marito febris malignæ inſultu proſtrato diligenter adſtitit, & inde quidem nec minimum mali percepit; at cum poſtea domum ingreſſa fuiſſet in qua octo homines febre maligna decubuerant, & ſex liberis Dei gratia ſervatis Parentes in mortis prædam ceſſerant, ut nempe illis propinqua ſibi cognatione conjunctis adſtaret, & bona relicta in ordinem redigeret, inter alia allata lintea, ſuper quibus Parentes mortui fuerant, quæque vivi adhuc commaculaverant, non ſine horrore quodam adſpexit, quod vel narium obvelatione indicavit; quia tn. non ſtatim poſtea male ſe habuit, nullum etiam remedium huic horrori oppoſuit, quin cum aliquot diebus poſt illum elapſis male ſe habere cœpiſſet, per integrum adhuc quatriduum tn. negotia ſua curavit, malaque, quibus prehenſa fuerat, tantum non plane neglexit, donec hæc td. eandem plane proſtraverunt;

ubi vocatus ego febrim malignam ſubeſſe ſtatim deprehendi, & hinc alexipharmaca medicamenta ſedulo eidem oppoſui, quæ quidem ad mandatum meum ſumſit, at primo biduo fere operationem eorum lectum ſæpius mutando impedivit, unde, utut poſtmodum diligentius hoc ſervarit, & alexipharmaca poſt ſingulas ſex horas ſumſerit, ſudor tn. non niſi difficillime provocari potuit, ſupervenitque quædam nauſea, cum tanto vomendi ſtimulo, ut de hoc præ aliis quibusvis malis queſta fuerit; quia vero & hoc ſymptoma admiſta alexipharmacis Eſs. Catechu mitigabatur, pulſusque & urina cum morbo ſemper correſpondebant, maculæ inſuper petechiales hinc inde conſpiciebantur, non omnem prorſus ſpem deponendam eſſe, per primos ſex decubitus dies judicavi; non item vero & ſeptimo, cum enim hoc accedens convulſionibus detentam eandem deprehendiſſem, peſſima quæque metuere cœpi, quod & marito detexi, qui propterea alium adhuc medicum mihi adjunxit; at fruſtra omnino, licet enim octavo die quodammodo melius ſe habere viſa fuerit, convulſiones tn. inſtantes, quam diligenter quoque medicamenta continuata fuerint, nono eandem vivorum numero ſubtraxerunt: Sicuti vero ex hac obſervatione, quod non ſine periculo lintea febre maligna mortuorum ab iis præſertim qui talia abhorrent tractentur, conſtat, ita mirum quantum in curatione hujus morbi confert, ſi pori ſemper aperti ſerventur, hisce ſiquidem vel minimum clauſis non ſolum friguſculum quoddam ſtatim notant ægroti, verum ſudor poſtmodum longe difficilius movetur, absque quo tn. hic morbus non ita facile curabitur: Certam etiam ſpem in febribus malignis nos nunquam concipere poſſe, hæc obſervatio docet.

DCCCLXXVII.

Febris malignæ reliquiæ purgantibus expulſæ.

HIc ipſe mercator, cum haud ita longo temporis intervallo febris maligna ipſi duas Sorores in optima ætate conſtitutas peremiſſet, utut has nunquam viſitaverit, nec alios hac febre decumbentes adierit, paulo tn. poſt de malis illis queri cœpit, quæ hoc tempore merito malignitatis quendam metum non jam

ſolis

ſolis medicis, verum & plerisque ægrotis injiciunt; dum nempe caput doluit, & laſſitudo hunc dolorem comitans eum in lectum proſtravit, cum ergo quendam alium conſuluiſſet, & is à bile derivarns hæc mala purgans vehementius exhibuiſſet, inde quidem aliquoties evomuit, & ſeceſſit, at tantum abeſt, ut vel minimum percepiſſet levamentum, ut potius ſequenti die quævis mala incrementum ſumſerint, & calorem febrilem jam & adſtantes obſervaverint; unde me jam per viginti fere annos medicum ſuum in conſilium vocavit, & ego alexipharmacis febrem hanc aggrediendam eſſe judicans, hæc ipſa ſæpiuſcule eidem exhibui, quibus ſedulo continuatis tandem obtinui, ut poſt aliquot dies febris, licet nullæ petechiæ ſupervenerint, plane ſe remiſerit; at reſtitans urina tincta multum, cum ſedimento craſſo farinaceo, appetitus adhuc proſtratus, & laſſitudo nondum omnino ceſſans me permoverunt, ut hæc ipſa medicamenta adhuc aliquandiu continuaverim, ſed cum iiſdem nil omnino contra modo memorata profeciſſem, febrim omnino abeſſe, ſemper magis conſtaret & copioſum urinæ ſedimentum reſtare in corpore humores, qui non niſi purgantibus expelli poſſint, indicaret, lene purgans eidem exhibui, poſt quod ſumtum melius quidem per diem ſequentem ſe habuit, at paulo poſt uti iterum ſimilem priori urinam excrevit, ita appetitus inprimis non rediit, unde jam de malo hypochondriaco ſuborta ſuſpicio ut martiatum eidem præſcripſerim Electuarium, me commovit, at & hoc fruſtra in uſum ducere videbatur, unde materiam peccantem reſtare nullus dubitans Vinum medicatum purgans eidem ordinavi, ſub cujus uſu urina primo mutata fuit, aliquoties vero priorem induit colorem, donec naturalem ſervavit, ipſeque ſic Dei gratia penitus convaluit: Moti nempe in principio humores per ſudorem diſpelli non potuerunt, unde deinde iterum purgantibus opus habuit, quæ nempe in principio febrium malignarum exhibita, niſi, quod ſæpius contingit, malum letale effecerint, diuturnum tn. illud reddere, ex hac obſervatione conſtat.

DCCCLXXVIII.

Eryſipelas humeros præcipue occupans.

MErcator quidam quadragenario major, cetera quidem ſanitate ſic ſat integra fruens, ut ob identidem ingeſtos in ni-

mia quantitate cibos ſuccos benignitate ſua nativa ſpolians, & qualitatibus peregrinis inficiens, nuper ſubito frigore & inſigni laſſitudine correptus fuit, quibus accedens calor p. n. eum ideo magis perterruit, quoniam ſtatim ſibi metuit, ne hi ſint prodromi febris malignæ paſſim nonnullos jugulantis, & quia hæc in tertio quodam loco contigerant, in curru vectus domum rediit, ubi de intenſis etiam capitis doloribus querebatur, & mihi vocato, pulſu etiam celerius debito digitos feriente, non plane nullam malignitatis ſuſpicionem injecit; unde cum honoratiſſimo Dn. Collega, ipſius Adfini, qui una aderat, conſultum duxi, ut Potiunculam Alexipharmacam bis ſumeret, quod cum præſtitiſſet, ſequenti die Dei gratia melius ſe habuit, nondum tn. omnis calor p. n. diſcuſſus fuit, & quoniam de quodam prurìtu humeros occupante jam itidem querelas movebat, has partes inſpeximus, ubi illico patuit, ipſum laborare Eryſipelate, dextro præſertim humero, qui intenſe rubebat; unde medicamenta alia non fuere in uſum ducta, ſed potius tales Potiones per aliquot dies continuavit, licet poſt triduum nec minimum quidem caloris febrilis reſtiterit indicium, urina tn. ſemper adhuc tincta exiſtente, & hinc ne quædam adhuc ſubſit malignitas, metum injiciente; at cum hac licet antiquum ſemper obtinente calor prorſus ſe remiſiſſet, ceteraque indies Dei gratia melius ſe haberet æger, tandem non niſi purgante ſerum ſic depurari poſſe, ut urina naturalem acquirat colorem, judicatum fuit, nec male, hoc enim bis ſumto obtinuimus, quod prius nullo alio medicamento obtinere potuimus: adeo vero purgantibus carere non poſſumus, ut niſi his identidem uteremur, aut morbi protraherentur, aut vix ac ne vix quidem ab iisdem in totum liberari poſſent opus habentes.

DCCCLXXIX.

Achoribus exſiccatis ſuccedens febris.

SArtoris cujusdam filiola ſex annorum, cum à variolis convaleſcens achoribus laborare cœpiſſet, hisque multum ſeri fundentibus caput hinc inde eroderetur, matrem permovit, ut illud neſcio quali unguento, (cujus præcipuum tn. ingrediens Spiritum Vini conſtituiſſe retulit,) ſæpius inunxerit, unde paulatim

tim quidem exaruere ulcuſcula prius moleſta, quin brevi penitus exſiccata fuere, at paulo poſt ſucceſſit febris puellam tantum proſternens, ut mater me propterea in conſilium vocaverit, ubi ego quidem Potiunculam præſcripſi ex Antim. diaph. & Cinnab. nat. præcipue conſtantem, quæ bis terve ſumta Dei gratia tantum profuit, ut ſequenti die eam ſic ſat bene ſe habentem invenerim: Sicuti vero matrem ſerio monui, ne in poſterum ulcuſcula hæc ſanet, cum ſic plures vitioſi humores evacuentur, ita niſi hæc magis internis quam externis medicamentis aggrediaris, tantum non ſemper majora prioribus mala produces.

DCCCLXXX.

Cervi Cornua calentia.

TRranſiens hisce diebus aream cujusdam induſtrii Mercatoris, in ea vidi cervos duos vix annnuis multo majores tam cicures, ut Poſſeſſor cum iisdem luſerit, imprimisque marem cornubus prehenderit, quibus cum aliquamdiu eundem tenuiſſet, retulit, calida eadem ſe deprehendere, eoque ipſo me permovit, ut ipſe quoque eadem attigerim, ubi tam calida eadem inveni, ut illorum calor, eum quo manus meæ pollent, aliquantum ſuperarit: Sine dubio ergo ad Cornua Cervorum præſertim juniorum multa vaſa ſanguiveha feruntur, quæ incrementum illorum promovent, indeque hic calor ſuboritur in animali ſpiritibus præſertim abundante; quod cum hiſtoriam animaliam quodammodo illuſtret, nec ullibi me legiſſe meminerim, communicatione dignum judicavi.

DCCCLXXXI.

Pulſus inſtantibus menſibus tardior.

VOcatus fui hisce diebus ad Virginem quandam formoſam & tenerioris conſtitutionis, quæ minus bene ſe habens quia mater metuit, ne febri maligna corripiatur, eo magis ſolicita fuit, ut in tempore huic obviam iretur; ſicuti vero tantum abeſt, ut ullum febris indicium in eadem deprehendere potuiſſem, ut ſanguinis motum tardiorem potius quam debito celeriorem inve-

nerim, dum pulſus vix digitos feriit, ita hic volatilibus præſertim medicamentis opus eſſe judicavi, hincque Potiunculæ, quam capitis dolori, de quo præcipue querebatur, oppoſui, Sal Vol. Ol. S. præcipue immiſcui, quod & Dei gratia tantum profuit, ut menſibus ſequenti die ſuccedentibus longe melius ſe habuerit, & pulſus jam uti quidem debebat, digitos ferierit: Dum nempe in hac inſtantibus menſibus viſcidior ſanguis movetur, ſic tardior quoque reliqui ſanguinis motus fit, qui in aliis, quæ volatiliorem ſunt nactæ hunc vitalem liquorem, augetur.

DCCCLXXXI.

Febris maligna ſudore intermiſſo aucta.

PRæcipui cujusdam mercatoris ancilla, Dei gratia ſanitate ſat integra fruens, cum comœdiam ſpectaſſet, inde domum rediens ſtatim male ſe habuit, dum non ſolum appetitum proſtratum habuit, verum & caput doluit, inſignemque reliquarum etiam partum laſſitudinem notavit; quæ quidem mala ſponte ceſſatura ſperans per integrum fere triduum plane neglexit, at cum ſemper minus minusque ſervitio ſuo præeſſe poſſet, herusque inprimis obſervaret, eam minus bene ſe habere, ut ego in conſilium vocer, juſſit, accedensque ego, pulſumque explorans & urinam inſpiciens eam febricitare ſtatim nullus dubitavi, quin & maligni quid ſubeſſe inſignis virium proſtratio mihi ſuſpicionem injecit, hincque eam in lectum ſe conferre juſſi & ea medicamenta exhibui, quæ alias in febribus malignis exhibere ſoleo, alexipharmaca nempe & ſudori movendo dicata, quæ poſt ſingulas ſex horas ſic ſumta ut ſemper poſt eadem ſudori vacaverit, quarto fere die maculas petechiales expulerunt, quibus conſpectis eo magis ſedulo continuare hæc ipſa medicamenta juſſi, nec fruſtra, die enim ſeptimo Dei gratia tam bene ſe habuit, ut poſt ſingulas ſex horas quidem medicamenta continuare conſultum duxerim, non item vero, ut ſemper ſudori vacet, quem bis interdiu noctuque motum nunc ſufficere judicavi, ſed cum ſicut prius ita & nunc dictis meis exacte pareret, interea febris iterum ſic aucta fuit, ut ſequenti die me rogaverit, ut poſt ſingulas Potiones

ſumtas

ſumtas ſudare liceat, quo conceſſo iterum melius ſe habuit, cum hoc modo medicamenta ad diem undecimum continuaſſet, unde duodec imo die primo ter eadem ſumſit, ſicque poſtea per biduum aut tridu ſolum bisum illa ſumendo pergens Dei gratia convaluit: Omnino itaque utplurimum requiritur, ut febre maligna decumbentes poſt ſumta medicamenta ſudent, cum ſic particulæ malignæ ſanguinis motum interturbantes facilius ac ullo alio modo expellantur, nec eſt quod metuas, vires toties repetitis ſudoribus non ſuffecturas, cum ego ſæpiuscule in his morbis notaverim, has poſt ſudorem potius auctas quam imminutas fuiſſe.

DCCCLXXXII.

Febri malignæ ſuperveniens hæmorrhagia minus nocens.

HUjus ipſius ancillæ ſocia, quæ una cum ipſa Comœdiæ interfuerat, eodem fere tempore vix nempe triduo poſt illam de iisdem malis queri cœpit, & eodem fere modo Dei gratia ſanitati priſtinæ reſtituta fuit, niſi quod ei, cum majorem circa Cor anxietatem notaſſet, quater vel quinquies Spir. C. C. exhibui, poſt quem ſemper inſigne levamentum percepit; hoc tn. notatu digni ſuggeſſit, quod, licet â die fere ſexto ad decimum usque ſingulis diebus mane ſanguinem per nares ad unciam nnam vel duas perdiderit, hic tn. ſanguinis fluxus ſicut magis non fuerit auctus, ita nullam plane noxam attulerit, unde eidem nullum oppoſui medicamentum: quod ſicuti rarius contingit, ita, niſi nimium ſit ſanguinis per nares profluvium, illud te in febre maligna, ſi cetera bene ſe habeant, nimium non terreat.

DCCCLXXXIII.

Arthritidis in pectus letalis metatheſis.

HOrologiopœus quidam, fere quinquagenarius, vel & aliquantum hoc major, cum bis terve jam iis laboraſſet pedum doloribus, qui non niſi arthritici nominari poſſunt, ab hisce Dei

gratia

gratia liberatus cetera vix habuit, de quo conquereretur, & hinc muneri ſuo ſat alacriter præfuit, donec Menſe Februario Anni MDCCI. quo hæc ſcribo, cum prius ægrotos quosdam febre maligna laborantes, & quidem, uti nonnemo retulit, non absque nauſea viſitaſſet, ſanus quidem ut ſibi videbatur d. 20. dicti menſis lectum petiit, mane vero evigilans tam difficili reſpiratione correptus fuit, ut & â ſuffocatione ſibi metuerit, cui tn. oppoſita medicamenta Dei gratia tantum profuere, ut ſequenti die ſe convaluiſſe credidiſſet, niſi huic tam difficili reſpirationi ſucceſſiſſet dolor pedis tam acerbus, ut tantum per totam vitam ſuam ſe nunquam perpeſſum fuiſſe teſtatus fuerit; ſeu vero medicamenta externa minus convenientia (quorum tn. coram me nullam prorſus fecit mentionem,) applicaverit, ſeu ſponte hoc ſic contigerit, die vigeſimo tertio memorati menſis dolores omnino iterum ceſſarunt, & hinc ſequente hunc reſpiratio iterum tam difficilis ſucceſſit, ut non niſi ſedens, & ſic quidem non niſi difficillime perficere eandem potuerit, cumque vel maxime convenientibus medicamentis nunc nihil omnino profeciſſet, poſt meridiem hujus diei & meum conſilium expetiit; ubi, cum ipſemet modo memorata non ita difficulter narraſſet, in pulſu nec minimum quidem febris indicium notaretur, quin hic de imminuto potius ejusdem motu teſtaretur, malum hoc à ſalibus quæ prius arthriticos dolores excitaverant in pectus & pulmones præſertim tranlatis præcipue derivandum eſſe ſtatui, ſimul tn. ne maligni tantum quidem non ut febrim excitare potuiſſet, aliquid vero ſubſit, metuens, pulverem ex Pannonic. r. Ant. diaph. oc. ♋ pp. C. C. Phil. calc. & Cinnab. nat. pp. poſt ſingula bihoria cum Mixtura, cui integram θ Vol. Oleos Sylv. drachmam immiſcueram, ſumendam præſcripſi, totus ſperans, quia viribus ſic ſat adhuc pollebat, eum non fruſtra hæc in uſum ducturum; verum enim vero ſpe mea me maxime falſum fuiſſe, cum ſequentis diei ſummo mane eum convulſionibus ſupervenientibus fatis ceſſiſſe, nunciaretur, ſat conſtitit; ſicuti vero quam periculoſa ſit arthritidis ê pedibus in pectus metatheſis, hæc obſervatio confirmat, ita maligni quid & absque febre interdum, morbis præſertim malignis graſſantibus, aliis quoque morbis accedere poſſe, quod & præclariſſimi quidam medici dudum ſtatuerunt, itidem ex eadem quodammodo patere, mihi quidem videtur.

DCCCLXXXIV.

DCCCLXXXIV.

Partum difficilem ſubſequens delirium.

VEnit huc quidam militem ſe venditans cum Uxore gravida, & tum domum conduxit, ut hæc ibi pareret, tum mercatoris cujusdam, cui commendatus fuerat, Uxorem rogavit, ut partui inſtanti interſit, quæ ſicuti lubens huic petito ſatisfecit, ita cum per binos ferme dies parturienti fruſtra adſtitiſſet, nec verbis nec remediis quicquam proficeretur, ut me in conſilium vocent, petiit; & ego accedens, atque ab obſtetrice percipiens, omnia rite ſe habere, fœtusque ſitum naturalem eſſe, primo quidem medicamentum præſcripſi, quod inter fœtum pellentia non infimum obtinet locum, ex pulv. ad DyſtocK. & ſecund. human. præp. imprimis compoſitum; utut vero me præſente hoc ſumſerit, & ego, donec peperit, apud eandem reſtiterim, quod tn. multum profuiſſet; notare vix potui, niſus enim ſicut prius inſtabant, nec inde vel minimum augebantur, unde jam adhortando, ut hos magis ſecundet, quantum in me fuit, officium meum præſtiti, nec fruſtra, tandem enim fœtum at mortuum enixa fuit, quem, ſi diutius excludere non potuiſſet, extrahi curaſſem: Tantum vero per tam diuturnos labores ſpiritus in motu ſuo aucti fuerunt, ut vix bihorio poſt partum exacto delira quædam protulerit verba, nec niſi difficillime in lecto detineri potuerit, unde poſt mediam noctem me denuo vocarunt, ſed ſicut rediens jam pacatiorem eandem inveni, ita non niſi lenioribus & ſpiritus demulcentibus medicamentis opus habuit, ſub quorum uſu Dei gratia brevi convaluit: Sicuti vero hac obſervatione, in ſententia, quam jam diu foveo, medicamenta fœtum pellentia non niſi rariſſime præſtare, quod ab iisdem expectatur, confirmor, ita partui difficili ſubinde & deliria ſuccedere, itidem ex illa patet.

DCCCLXXXV.

Lateris ſiniſtri dolor abſorbentibus præſertim cedens.

COnquerebatur mercatoris cujusdam filiola, decem & quod excurrit annorum, de dolore lateris ſiniſtri, quem quia ca-

lor auctior comitabatur, & puella jam palleſcebat, jam rubore ſuffundebatur, Parentibus, ne febris maligna ſubſit, metum injecit, qui propterea me conſuluerunt; ſicut vero brevi conſtitit hunc metum innanem eſſe, dum calor ſponte ceſſavit, ita dolores reſtitantes ab humoribus vitioſis derivans, purgante hos ſubtraxi, quod licet non parum materiæ peccantis evacuaverit, dolores tn. minime ſuſtulit, unde jam Elix. Aper. Clauder. reſiduum ejusdem corrigere tentavi, nec tn. ſicuti quidem ſperaveram profuit, quod me permovit, ut pulverem abſorbentem noctu ſumendum præſcripſerim, qui vix bis terve ſumtus dolores Dei gratia penitus ſopivit: Facile nempe in hac ætate conſtitutis humorum motus impeditur, qui in parte ſenſili diutius conſueto detenti dolores excitant, in quibus utut utplurimum purgantia conducant, hisce tn. fruſtra ſumtis, quid factu ſit opus ex hac obſervatione diſces.

DCCCLXXXVI.

Fœtus extractionem ſubſequens involuntaria fecum depoſitio.

AUrigæ cujusdam Uxor primipara, cum per plusculas horas partus dolores fruſtra omnino ſecundaſſet, ut hos augens & ſic partum promovens quoddam medicamentum præſcribam, per mulierem quandam petiit, cui petito dum ego ſatisfacio, & Potiunculam talem præſcribo, ea hanc quidem ſumit, at ſicut prius partus minime ſuccedit; Unde viginti quatuor horis poſt Potiunculam ſumtam iterum fruſtra labori partus inſumtis, ut ipſe parturientm viſitem, rogor, ubi in tempore vocatus, quo alia negotia conceſſerunt, illico eidem adfui, & per obſtetricem certior factus, ſitum fœtus naturalem eſſe, notansque non deeſſe niſus neceſſarios, ut hos ulterius pro viribus ſecundet, primo ſerio monui, at cum fruſtraneos omnino eſſe ejusdem labores & ipſe viderem, aliam obſtetricem vocare juſſi, quæ ſcapulæ os impedire, ne fœtus excludi poſſit, retulit, & ea tn. quantum in ſe fuit parturientem juvit, at fœtum promovere nullo modo potuit, unde fatentibus td. ambabus obſtetricibus, ſe huic partui non ſufficere, extracttionem commendavi, & Chirurgum,

gum, qui aliquoties hactenus eam feliciter adminiſtraverat *Dav. Freitagium* vocare juſſi, qui explorans fœtum, una cum capite os ſcapulæ ad exitum tendere, & hinc tam difficilem reddi partum notavit, uncumque aliquoties quidem capiti fruſtra infigere tentavit, at tandem illud eodem ſic perforavit, ut cerebrum evacuare potuerit, unde jam caput prehendit, ſicque fœtum non adeo difficulter extraxit, & quidem quod aliâs non contingit, parturiente clamante, & de doloribus querente, quos ego quidem oſſibus cranii uterum quodammodo lædentibus adſcripſi; Non ita male vero ſe finita extractione habuit hæc mulier, ſed per quinque fere dies tum urinam absque difficultate reddidit, tum alvum depoſuit, nec de doloribus notatu dignis conqueſta fuit, at ſexto fere die hi tam immanes ſupervenere, ut & à clamoribus ſibi temperare non potuerit, quoniamque juxta hoc fecibus inſcia lectum commaculavit, adſtante ancilla hæc ad me deferente, pejora metuere cœpi, præſcripſi tn. pulv. ex oc. ♋ pp. Tereb. Venet. coct. & Myrrha præcipue conſtantem, qui ſæpius de die & nocte exhibitus Dei gratia tantum profuit, ut non ſolum brevi dolores ceſſaverint, verum & alvum ſicut olim depoſuerit, quin poſtmodum convaluerit: Utut ergo extractioni fœtus quædam ſic ſat gravia ſuperveniant ſymptomata, non tn. tam deſperandum erit, quam potius hisce medicamentis convenientibus obviam eundum, quæ non ſemper fruſtra in uſum duci vel hæc obſervatio docet.

DCCCLXXXVII.

Suffocatio aliquoties imminens.

PArentum honoratiſſimorum filiolus unicus, novimeſtris fere, quoniam dentes jamjam erupturi gingivas quidem diſtendebant, at easdem non perforantes dolores non exiquos excitabant, hinc quantum doleant, ſæpius repetitis ejulatibus, & tantum non continuis vigiliis ſufficienter prodidit; quoniam vero cetera Dei gratia ſic ſat bene ſe habebat, & corpore augebatur, medicamentis eum vix opus habere, credebatur, cum præſertim mala, quæ revera dentitioni originem ſuam debent, vix ac ne vix quidem curari poſſint; Verum enim vero, cum nuper ſubito, quoties fere clamabat, reſpiratio in tantum eidem inhiberetur, ut

ſividum induerit facies colorem, riguerit totum corpuſculum, & ipſum jamjam ſuffocatum iri, paruerit, ut quantocyus accedam & tanto malo convenientia opponam remedia me rogarunt Parentes, nec ego defui illorum petito dum non ſolum Mixturam quandam convenienten, ſed & Sal. Vol. Ol. Sylv. Puerulo præſcripſi, quibus poſtmodum, cum convulſivi quid etiam ſubeſſe, ſic ſat pateret, uſum pulveris, cujus præcipuum ingrediens Caſtoreum conſtituebat, & Eſſent. ex hoc ipſo ſimplici paratæ ſubjunxi; licet autem inde malum demitigatum quodammodo fuerit, non tn. omnino ceſſavit, quin & tumor totius ſucceſſit, unde, cum ex appetitu quoque nimio conſtaret abundare acidum vitioſum, pulverem ex ſpecif. Cephal. & Lim. ♂tis paratum puerulo aliquoties exhibere juſſi, qui Dei gratia tantum profuit, ut paucorum dierum ſpatio optime ægrotulus ſe iterum habuerit: Sic vero quantum & in tam tenella ætate conſtitutis mars crudus proſit confirmatur, quorum acidum nempe & hoc domitore ſubinde opus habet.

DCCCLXXXVIII.

Ophthalmiam à dentitione curatam ſubſequens dyſpnœa letalis.

Militis cujusdam filiola annua aliquot hebdomadis major, cum aliquot quidem dentes alveolos ſuos perrupiſſent, nunquam tn. hoc ſic contigit, quin inde non ita bene ſe habuiſſet, dum aut achores ſucceſſerunt, aut oculus inflammatus fuit, aut alia eandem proſtravere mala; cum nuper iterum oculo tantum inſidiaretur dentitio, ut hujus uſu puellam orbatum iri, non ita injuſtus ſubfuerit metus, propterea Chirurgum quendam conſuluere, qui neſcio quibus medicamentis oculum priori ſuo ſtatui ſic reſtituit, ut tantæ ophthalmiæ nec indicium quidem ſuperſuerit; at ſucceſſit tanta dyſpnœa quotidie ſub veſperam præcipue incrementum ſumens, ut puella inde brevi viribus fere penitus exuta fuerit: cum præſertim ſic ſat diu nullum conveniens eidem oppoſuiſſent remedium; hinc vero, licet td. me vocaverint, & ego medicamenta laudatiſſima præſcripſerim, nec hæc tn. vel minimum profuere, ſed puella brevi poſt in mortis

præ-

prædam ceſſit; Non ſine decenti methodo nempe ſunt aggrediendi morbi infantum â dentitione oriundi externi, niſique iisdem interna potius quam externa opponantur remedia, non raro tam periculoſæ metatheſes ſubſequuntur.

DCCCLXXXIX.

Febris maligna menſibus bis ſupervenientibus curata.

MUlier quædam triginta & quod excurrit annorum, infantibus aliorum educandis operam navans, cum nobiliſſimorum Parentum filiolo ſic adſtaret, ſubito frigore totius corripitur, cui accedentes vigiliæ, laſſitudo totius, appetitus proſtratus, & anxietas circa cor, non injuſtum febris malignæ metum tum ipſi, tum heræ ejusdem injecerunt; unde hæc me in conſilium vocavit, nec ego, cum pulſus quoque celerior febrem proderet, aliter judicare potui; unde in aliud hypocauſtum translata & ibi curæ meæ tradita fuit, exhibitisque poſt ſingulas ſex horas alexipharmacis partim ex pulvere Pannon. partim alexipharmaco conſtantibus, interdum etiam interpoſito uſu Spir. C. C. tertio ſtatim die maculæ comparentes petechiales, quod ſedulo hæc medicamenta ſint continuanda, indicarunt, cum præſertim laſſitudo non tam imminueretur, quam ſemper increſceret, nec fruſtra eadem continuavit, cum ſemper plures expulerint maculas; adeoque ſemper ſpes major convaleſcentiæ affulſiſſet, niſi quinto fere die ſuperveniens menſium fluxus hanc dubiam quodammodo reddidiſſet, unde volatilia quidem ſeponere, at inſtare reliquis medicamentis ſicut prius juſſi; citoque hinc ſubſiſtens hic fluxus ulteriorem metum non injecit; at quia ſub hoc ipſum tempus appetitus redire videbatur, adſtansque eidem ancilla carnem ſuggeſſerat, inde quævis mala tantum augmentum ſumſere, ut jam & de remediis ſpiritualibus cogitandum fuerit; ſed continuatis ſedulo medicamentis, & ſemper expulſis pluribus maculis die ſeptimo & hunc ſequentibus Dei gratia tam bene ſe habere cœpit, ut jam omnis periculi metus evanuerit; licetque die duodecimo fere morbi, cum in vicinia filiola admodum dilecta mortua fuiſſet, & planctus Parentum aliorumque adſtantium ad aures ægrotæ no-

ſtræ delati eam ſic perterruerint, ut integram noctem inſomnem duxerit, & menſes redierint, die etiam decimo quarto hinc inde in toto corpore maculæ denuo comparuerint, nec febris tn. inde rediit, nec reliqua tam male ſe habuit, ut ſpem conceptam deponere opus habuiſſemus, per aliquot adhuc dies vero pulverem alexipharmacum me ſuadente continuavit, & ſic Dei gratia convaluit: Non ſemper nempe menſes ſupervenientes certum quoque periculum denotant, ſed ſi aut tempus illorum per ſe inſtet, aut non ſint nimii, morbi curam interdum non tam impediunt quam promovent: nec habes, quod multum tibi metuas, ſi morbo jam extincto vel maxime maculæ quædam redierint, quæ quippe medicamentis continuatis non ita difficulter diſſipantur, raroque alia mala poſt ſe trahunt: quantum vero interſit ne cibus minus conveniens hac febre decumbentibus exhibeatur, hæc obſervatio itidem confirmat, hincque ſemper monendi ſunt adſtantes, ne miſericordum nomen ambientes noxiaque hinc ſuggerentes immiſericorditer occidant, qui ſervata diæta Dei gratia ſervari potuiſſent.

DCCCXC.

Volatilia febre alba laborantem præ martiatis juvantia.

MErcatoris cujusdam filiola duodecim annorum, cum ante menſem & quod excurrit, non ſolum conſueto magis palleſceret, ſed & de difficili reſpiratione, appetitu proſtrato, capitis dolore, & caloribus volaticorum nomine venientibus quereretur, ut me propterea vocaverint, Parentes permovit; & ego hæc mala à menſibus inſtantibus derivans, ea medicamenta, quæ aliis in hac ætate conſtitutis cum iisdem conflictantibus præſcribere ſoleo, huic quoque præſcripſi, Eſſ. nempe martis, aliaque ex hoc ipſo minerali parata, quæ, licet ſic ſat ſedulo in uſum duxerit, tantum tn. abeſt, ut inde vel minimum levamentum percepiſſet, ut potius indies majores moverit querelas, & td. in lectum proſtrata fuerit; unde jam medicamenta mutanda, & in volatilibus potius ſubſidium quærendum eſſe judicans, Sal Volatile Oleos. S. eidem præſcripſi, cujus cum viginti guttas bis quotidie

tidie aliquamdiu ſumſiſſet, inde brevi Dei gratia quævis ſymptomata ceſſarunt, adeo ut priori alacritate labores ſuos fœmininos aggreſſa fuerit: interdum nempe ſpirituoſæ ſanguinis partes, aut parcius ac quidem requiritur, producuntur, aut & altius aliis viſcidis ſunt involutæ, unde poſtmodum omnino ſpirituoſis medicamentis opus habemus, quæ has particulas tum ſic ſat commode reſtituunt, & imprimis aliis involutias evolvunt; præ reliquis vero Sal. Vol. Ol. huic indicationi ſatisfacere, non ſemel hactenus experientia me docuit.

DCCCXCI.

Vigiliæ hypochondriaci laxantibus imprimis cedentes.

ITalus quidam quinquagenario aliquantum major, quem primo ſtatim aſpectu pro hypochondriaco vix non habere potui, cum aliquandiu hic loci negotiis quidem arduis ac faſtidio non carentibus vacaſſet, exitusque illorum adhuc incertiſſimus eſſet, ſicque à reditione in patriam diutius ac quidem ſperaverat, impediretur, inde paulatim modo memorati mali incommoda ſic perſentire cœpit, ut non ſolum de lateris ſiniſtri dolore, flatibus continuo moleſtis, ſed & vigiliis tantum non continuis conqueſtus fuerit, hincque me in conſilium vocavit; & ego per urinam quoque ſabulo rubro repletam dicti mali certior factus, medicamenta convenientia eidem oppoſui, quæ utut in reliquis malis demitigandis non parum Dei gratia contulerint, in vigiliis tn. pellendis nullum ex illis tantum profuit, quantum exhibita Potiuncula laxans, cui, cum aliquot ſedes moviſſet, ſomnus tam bladus ſucceſſit, ut placatius ſe per aliquot hebdomades non dormiſſe, poſtmodum teſtatus fuerit, qui idem ſomnus poſt plusculos dies iteratam eandem Potiunculam laxantem excepit: Abundant nempe in talibus malis humores vitioſi æque ac vitium conceperunt, unde niſi hos ſubinde ſubduxeris, aliis medicamentis ſcopum tuum vix obtinebis; quo blandioribus vero laxantibus alvum officii ſui memorem reddes, eo felicius hypochondriacis adſtabis.

DCCCXCII.

DCCCXCII.

Abſceſſum brevi curatum ſubſequens febris.

AUrifabri cujusdam filiola ſex fere annorum, cum haud ita pridem maculæ in ea comparuiſſent, quas in Variolas mutatum iri, Parentes ſperaverant, iisdem non tam increſcentibus quam brevi iterum diſparentibus convaluit quidem, at ab illo tempore tam bene ut olim ſe non habuit, cumque præſertim interea ſub mento absceſſum collegiſſet, dolores hunc comitantes ei non ita exiguas attulere moleſtias, adeo ut & noctes inde inſomnes duxerit, donec per Chirurgum vocatum mater abſceſſum aperiri curavit, ubi, cum multum admodum puris profluxiſſet, dolores quidem ſe remiſerunt, at quia (ſine dubio non omni evacuato pure,) brevi iterum coaluit, brevi etiam poſt puella acute febricitare cœpit, quæ febris poſt aliquot horas tantum invaluit, ut mater peſſima quæque metuerit, unde jam me vocavit, & ego de anxietate Cordis præſertim querenti, difficulterque reſpiranti Potiunc. ex C. C. Phil. calc. Antim. diaph. & ⊖ Vol. Ol. S. præcipue conſtantem præſcripſi, quæ brevi calorem febrilem diſſipavit, ſic quidem, ut jam puella iterum magis alacrem ſe præbuerit; ſed rediit ſequenti die febris, unde â matre denuo conſultus Potiunculam, quæ heri tantum profuerat, iterare juſſi, quæ & quasvis mali reliquias Dei gratia ſic diſcuſſit, ut brevi poſt priſtinam recuperaverit ſanitatem: Omnino vero abſceſſus aperti, antequam citatrix iisdem inducatur, probe ſunt evacuandi, quod ſi non fiat, pus reſtitans â ſanguine denuo ſuſcipitur, cui confuſum aut alibi denuo exitum quærit, aut febrem ſuſcitat, quæ identidem tam facile non curatur.

DCCCXCIII.

Pruna multa comedens ſe nil comediſſe edicens.

VIſitavi nuper fœminam quandam Melancholia hypochondriaca hæreditaria jam diu laborantem, & nunc quidem, utut nec minimum indicium ſubfuerit, ſe febre maligna decumbere, tam firmiter perſuaſam, ut &, cum ego de ejus abſentia ſerio teſta-

rer, me dimiſerit; hanc cum aliquando interrogaſſem, num die antecedente aliquid comederit? de appetitu ſic proſtrato reſpondit, ut eam, ſi verbis ejusdem fidiſſes, nec minimum quidem comediſſe, crediſſes, at cum paulo poſt mentio quoque alvi, an nempe hæc ſit aperta? fieret, eaque jam reſponderet, hanc, utut heri dimidiam Prunorum coctorum libram abſumſerit, nihilominis exinde non fuiſſe reſeratam, facile qua fide de nullo prorſus cibo ingeſto ejusdem fuerit relatio, judicare potui, quæ nempe aut, niſi carnem comedat, ſe nil comediſſe, ſibi imaginatur, aut pruna forſan inter medicamenta potius quam alimenta refert: Sic vero de iis, quos diu ab omni alimento abſtinuiſſe refertur, quam difficile ſit judicium confirmatur, nec prudens medicus id feret, niſi prius ſedulo in quasvis circumſtantias inquiſiverit.

DCCCXCIV.

Melancholia cum delirio an penitus extirpari, & ne redeat, impediri poſſit?

JUvenis quidam Melancholicus, cum per tres fere annos hoc malo laboraſſet, in jus vocatus â Virgine, quæ cum eo adhuc integra ſanitate gaudente ſponſalia celebraverat, jam vero ob Melancholiam cum delirio inſtantem, ut hæc denuo ſolvantur, â Magiſtratu rebus matrimonium ſpectantibus præfecto decenter petiit; inter rationes vero, quæ, ut hoc petitum obtineat, præcipuæ fuerunt, ut duas, malum nempe difficulter admodum curatum iri, & ſi vel maxime curetur, recidivæ quam vocant, non inanem eſſe metum, per medicos quoque probet, cum ei injunctum fuiſſet, Magnificus Dn. *Schrökius*, ad quem primo hæc res deferebatur, in conſortium Clar. D. D. Lechenhern & me aſcitis una nobiſcum de reſponſis ad hæc ipſa interrogata dandis conſuluit; ubi ad primam quidem, quoniam malum jam tam diu inſtet, pluribus iisque generoſis remediis interdum quidem imminutum aliquantum, nunquam penitus debellatum fuerit, non quidem omnino & penitus de convaleſcentia deſperandum eſſe, at eam vel ideo quoque magis difficilem futuram, quoniam ſicut in aliis hoc morbo laborantibus ita & in hoc, cura, eo quo

requiritur modo, ob ſummam illorum renitentiam, vix inſtitui poſſit; Si vero vel maxime cum ſanitate iterum in gratiam rediret, ad alteram quæſtionem reſpondimus, omnino neminem ſpondere poſſe, quod priſtinum malum nunquam ſit rediturum, cum inprimis celeberrimus Timæus hujus rei notatu dignum exemplum in reſponſis ſuis adferat, & alia plura non deſint, & ſemel ſic perturbata mens, iisdem cauſis (quæ quippe averti omnes non ſemper poſſint,) eidem denuo inſidiantibus perturbari facilius iterum poſſit, quam quæ prius nunquam ejuscemodi quid paſſa fuit: Quale reſponſum ſicut artis probatis principiis innixum eſt, ita ſi in ſimili caſu alii itidem tale dederint, vix erroris accuſari poterunt.

DCCCXCV.

Delirium febris malignæ metum injiciens.

PRæcipui cujusdam mercatoris ſervus, cum jam diu induratas in collo glandulas habuiſſet, inde quoque jam frigus minus conſuetum, jam calorem hoc inſequentem percepit, quod tn. quia nihilominus ſervitio ſuo præeſſe potuit, minus curavit, at quadam veſpera, cum dolor quoque capitis & ſitis accederent, hancque cereviſia pota extinguere tentaſſet, illa nocte pejus ſe habere cœpit, & verba quædam delira protulit, quod, quia adſtantibus metum febris malignæ tum hinc inde quosdam proſternentis injecit, eo magis, ut ego, quamprimum fieri poſſit, eum viſitem, urſerunt, petitoque huic ſatisfaciens, & ipſum minime febricitantem inveniens, hæc deliria aliunde quam â cereviſia in nimia quantitate ingeſta non derivavi, hincque metum â febre maligna inanem vocavi: Reſpondit vero eventus cum hisce meis effatis, dum vix per biduum pulvere glandulis obſtructis dicato in uſum ducto Dei gratia ſic convaluit, ut eum ſervitio ſuo iterum fungentem in platea offenderim: Non ſemper nempe deliria febrem malignam ſtatim denotant, quæ quippe â pluribus aliis cauſis originem ſuam trahunt.

DCCCXCVI.

Febris maligna cum urina aquea feliciter curata.

VIdua quædam quatuor annis quinquagenaria major, jam diu ab hydrope ſibi metuens, nec prorſus nihil ad eundem inducendum ipſamet conferens, dum, uti quidem fide digni amici retulerunt, ſpiritus vini aliorumque cum hoc convenientium potuum potui ſæpiuſcule indulſit, cum nuper viduam quandam etiam ob mortem mariti febre maligna jamjam extincti ſolatio erigeret, idque officii non absque horrore quodam præſtaret, per octo quidem & quod excurrit dies tam bene Dei gratia ſe habuit, ut non habere ſe, de quo ulterius ſibi metuat, vel ipſamet crediderit; hincque poſt tempus hoc elapſum ſupervenientem capitis dolorem, cum ardore circa præcordia, laſſitudinem, frigusque quod calor p. n. excepit, hæc mala comitans, non tam pro memoratæ febris prodromis quam bilis, & ventriculi minus bene ſe habentis productis habuerit, & hinc per quinque fere dies tantum non penitus neglexerit; Unde cum ſemper augmentum capientibus his malis tandem me vocaſſet, quibusvis reliquis etiam ſignis malignam febrem prodentibus, eo minorem de ejusdem convaleſcentia ſpem concipere potui, quo magis jamjam narrata mecum perpendi; præſcripſi tn. ea, quæ aliâs hiſce febribus opponere ſoleo, medicamenta, & de cordis anxietate ſemper magis magisque querenti aliquoties etiam Spir. C. C. exhibui, qui quidem ſemper levamentum quoddam afferebat; at quoniam die fere tertio poſtquam ego acceſſi, urina, quæ prius cum morbo convenerat, ſubito colorem hunc mutabat, & aquea plane nec in ita parva quantitate excernebatur, non ſolum hunc ſpiritum ulterius exhibere non audebam, ſed & ſpes convaleſcentiæ adhuc magis imminuta fuiſſet, ſi reliqua mala, quæ alias talem urinam denotare communiter fere credunt, ſucceſſiſſent; at quoniam ſemper mente conſtitit, & viribus hic urinæ profluxus nec minimum detraxit, eum quidem non promovendum, at nec, quia quantitas ejusdem ingeſtum potum vix excedebat, impediendum eſſe, judicavi; quin, cum poſtmodum maculæ petechiales ſuperveniſſent, & aliquoties pulſus de viribus non parum oppreſſis teſtaretur, interdum & volatilia aliis medicamentis a-

lexipharmacis addere non dubitavi, unde urina quidem nec mutata fuit, nec in majori quantitate excreta; at reliqua febris malignæ ſymptomata paulatim Dei gratia ſic ceſſarunt, ut die poſt me vocatum duodecimo nil quicquam mali reſtiterit, jamque alimentis potius vires reſtaurantibus quam medicamentis opus habuerit, urina nunc iterum nativum ſuum calorem induente; ſicuti vero hæc obſervatio confimat, urinam aqueam in febribus malignis non ſemper peſſima quæque denotare, nec eam â medicamentis, quæ requiruntur, exhibendis nos absterrere debere, ita in hac forſan per potuum ſpirituoſorum abuſum vias urinarias magis ac in aliis patulas factas, ut urinam talem reddiderit in cauſa fuiſſe, ariolor.

DCCCXCVII.

Febre maligna laborans impune extra lectum degens.

Figuli cujusdam filia paupertinæ conditionis, cum uni alterive febre maligna decumbentibus quin defunctis fideliter adſtitiſſet, inde td. mercedem, quam plures alii, ipſum nempe hunc morbum retulit, & hujus ergo quidem me brevi poſt conſuluit, medicamentaque præſcripta in uſum duxit, at ſeu aliorum poſtmodum opem implorarit, ſeu paupertate preſſa alia medicamenta non adhibuerit, cetera tn. quoque adeo eam, quæ in hoc morbo requiritur, ſui curam non geſſit, ut potius, quantum in ſe fuit, mortem promoverit, dum quamprimum calor nimius moleſtus fieri cœpit, ê lecto ſe proripuit, menſæ adſedit, & aerem admittendo ſe refrigerare tentavit, unde ſudore impedito in alio ſine dubio peſſima quæque ſymptomata ſucceſſiſſent, quæ & in hac expectarunt adſtantes, in mortis prædam eam ceſſuram nulli dubitantes; at utut tum hunc errorem continuarit, tum forſan plures alios commiſerit, præter omnium tn. ſpem convaluit, & â tam diro morbo liberata fuit: Sic vero quotidie in quibusvis morbis quædam contingunt, quæ ſic contingere poſſe, minime crederemus, niſi oculis noſtris exponerentur, quæ quidem, non ut alii imitentur, hic proponuntur, ſed ut inde conſtet,

conſtet, non ſemper ſtatim deſperandum eſſe, ſi vel maxime morbo quoque periculoſiſſimo decumbentes errores quosdam ſic ſat graves commiſerint, cum, ſi præſertim poſtmodum corrigantur, non ſemper mors eosdam ſubſequatur.

DCCCXCVIII.

Alvi obſtructionem diuturnam ſubſequens Virium imminutio.

ANte aliquot hebdomadas acceſſit me Parochus quidam nobilis, & de ruſtico quodam ſuo retulit, quod is per integros octo & quod excurrit dies obſtructione alvi tam pertinaci laborarit, ut hæc nullo vel vehementiſſimo purgante ore ſumto reſerari potuerit, unde td. loci balneator Clyſterem eidem applicarit multum licet refraganti, quo tn. ſcopum ſuum obtinuerit, alvusque aperta fuerit; quæ jam facile quidem infuſo fol. ſen. præſertim aperta ſervetur, at ſimul hanc obſtructionem Virum hunc aliâs ſic ſat robuſtum adeo proſtraviſſe, ut nunc vix extra lectum degere poſſit, hincque ut ego conſilium quoddam ſalubre ſuggeram, me rogavit; & ego Electuar ex Cons. Roſ. r. ant. ℥j. El. Stom. Str. ℥ß. Mithridat. Dam. & ſpecif. Cach. L. â ʒij. præcipue conſtans præſcripſi, quod in uſum ductum ei ſic Dei gratia profuiſſe, ut jam integra fruatur Valetudine, frater hujus Parochi mihi retulit: Inteſtinorum nempe periſtalticus motus â tam diuturna obſtructione impeditus eadem licet ſublata non ſtatim tn. rediit, unde & pluribus actionibns impeditis non potuere non vires deficere: Juxta præſcripti Electuarii uſum vero me huic ruſtico continuatum etiam fol. ſen. uſum commendaſſe, ſcias.

DCCCXCIX.

Narium inflammatio poſt ſingula ſemeſtria rediens.

VIrgo quædam nobiliſſima, olim cum febre alba aliquoties ſic conflictata, ut & graviora ipſi pericula imminere non ſemel mater ejusdem metuerit, ab ea tn. gratia Divina & idoneorum remediorum uſu liberata jam per annum & quod excurrit,

ſanitate ſic ſat integra fruita fuit; at cum nuper forte fortuna Parentes illius viſitaſſem, nares tam inflammatas habuit, ut & propterea in publicum prodire non potuerit, quas cum mihi monſtraſſet, ſimul retulit, ſe poſt ſingula fere ſemeſtria hoc affici malo, quod quidem tantum non ſit, ut alia quoque illud comitarentur ſymptomata, at vel ideo magis moleſtum, quia partem tam conſpicuam occupet; Uti vero ego eryſipelatis quandam eſſe ſpeciem judicavi, ita ut bis terve Rob Sambuci ſumat, & poſt illud ſumtum ſudori vacet, ſuaſi; Cum facie nempe utero ſic ſat arctum intercedere commercium quemadmodum jam alibi me indicaſſe memini, ita quin & hæc ipſa inflammatio inde quoque originem ſuam trahat, nullus ferme dubito.

CM.

Catarrhus loci mutatione intempeſtiva in ſuffocantem degenerans.

LAborabat Vetula quædam honeſta, prope nonagenaria, catarrho pectori præſertim inſidiante, & hinc difficiliorem reddente reſpirationem, hoc vero in loco correpta, ubi nullos habebat amicos, & duorum dierum itinere ab eo diſtante, ubi filia ejusdem degebat, uno alterove adhibito medicamento non ſtatim juvante, non niſi loci mutatione curari poſſe hoc malum, ſibi firmiter perſuaſit, & hinc licet ſume diſſuadentibus iis, quibus hanc ſuam ſententiam detexerat, media hyeme iter ad filiam ſuam inſtituit; ad quam cum veniſſet, primo quidem tam bene ſe habere credidit, ut jam non habeat, quod de malo ſuo ulterius ſit ſolicita; Verum enim vero cum vix paululum ab itinere quieviſſet, catarrhus tanta cum vehementia rediit, ut jam nulli remedio auſcultans brevi eandem ſuffocarit, quæ forſan domi manens, aliquamdiu adhuc ſervari potuiſſet; Loci nempe mutatio nec in quovis morbo, nec cuivis ætati, nec quovis tempore convenit, niſique harum circumſtantiarum in eadem inſtituenda ſedula geratur ratio, ſæpius non tam proderit, quam nocebit.

CMI.

CMI.

Fonticulus catarrhos feliciter avertens.

MAtrona quædam honeſta, cum virgo adhuc ſæpius catarrhis faucibus imprimis inſidiantibus divexaretur, adeo ut aliquoties ſic ſat diu vix verbum proferre, nec niſi difficillime vel liquida ingeſta deglutire potuerit, hosce quidem medicamentis convenientibus ſic ſat feliciter abegit, nunquam vero impedire potuit, quin vel poſt annum interdum, interdum & poſt aliquot menſes rediiſſent, unde virgini adhuc non ſemel ſolum fonticulus commendatus fuit, cujus vero vel mentionem fieri, iniquo tum ferebat animo: Sed, cum conjugium poſtmodum iniiſſet, & poſt ſecundum præſertim partum non ita parum ſanguinis per uterum perdidiſſet, catarrhique hi magis ac ante eandem incommodarent, quin remedia, quæ olim profuerant, jam fruſtra fere in uſum ducerentur, tandem, ut ulcus artificiale in brachio ſiniſtro excitatum fuerit, conceſſit; quod cum jam per integrum annum geſſiſſet, & nuper alia de cauſa me conſuluiſſet, retulit, quod ab illo tempore Dei gratia â catarrhis plane immunis vivat, & per aliquot ſæpe hebdomadas non ita multum puris quidem fundat fonticulus, interdum vero ſubito tam multum materiæ purulentæ per eundem ſecedat, ut ſæpius ac alias deligare eundem opus habeat, tum vero ſine dubio catarrhos inſtitiſſe, qui ſic averſi fuerint: Et ſane in ejuſcemodi malis fonticulos ſummo cum fructu excitari, crebrior experientia me docuit, modo nempe in tempore, & antequam pulmones arroſerunt, adhibentur, tum enim tantum prodeſſe vix poſſunt, cum ulcus Pulmonum ea, qua catarrhus avertitur facilitate, non curetur.

CMII.

Thee cum oleô Cinnamomi cum fructu bibens.

VIr quidam patre hypochondriaco & arthritico genitus, & horum ipſorum malorum non adeo pauca indicia in ſe obſervans, ſicuti varia quidem remedia ad eadem avertenda hactenus in uſum duxit, ita inter hæc humectantia inprimis ſibi prodeſſe, expertus eſt, cum acidulas præſertim bis non absque inſigni fructu bi-

ctu biberit; quoniam vero vix exactis tribus vel quatuor ab harum potu menſibus priores memoratorum malorum prodromi redierunt, & his pulveres atque Eſſentiæ fruſtra fere opponebantur, Infuſum Herbæ Thee aliquoties eidem â me fuit commendatum, quod tn. ſe averſari ſemper reſpondit, unde aliquando, ut alium & gratiorem ei guſtum Ol. deſtill. Cinnam. conciliet, ſicque bibat, ſuaſi, quod & td. tentavit; Sicuti vero hoc modo hoc infuſum ipſi tam gratum fuit factum, ut jam illud non absque quadam delectatione biberit, ita tantum etiam profuit, ut illud ſe continuaturum firmiter ſecum conſtituerit: ſic vero identidem medicamenta, quæ ægrotis proſunt quidem, at minus grata exiſtunt, aut novo quodam ſapore aut & alio modo gratiora ſunt reddenda, ſi ſcopum ſuum Medicus obtinere voluerit; licetque hic Infuſum Thee gratius reddendi modus non adeo ſit ignotus, & iis tn. quos adhuc latet, & iis, qui forſan ejusdem non recordantur, proderit hæc obſervatio.

CMII.

Digiti Icterici.

MErcatoris cujusdam Uxor quinquagenaria major, cum hiſce diebus filiæ ſuæ ergo me conſuluiſſet, præſcriptis medicamentis abituriens digitos dextræ ſuæ manus monſtravit tam flavos ac ſi talem colorem iisdem tractaſſet, qua ungues præſertim, interius vero & in volam usque ſe extendente eodem colore ut adeo vix ullum viderim ictericum, qui magis tinctas has ipſas partes habuiſſet; ſicuti vero, præterquam quod in ſiniſtra manu etiam ejuscemodi quid notari potuit, reliquo toto corpore color naturalis minime mutatus comparuit, ita ea ulterius retulit, ſe jam per aliquot annos ſic defœdatos habere digitos, nec ullo modo in priorem redigere ſtatum eosdem potuiſſe, licetque jam minus jam magis flaveſcant, nunquam tn. omnino non flaveſcere; quo magis vero hic ipſe color intendatur, eo certiorem ſe fieri alvi fluxus biliosi qui tantus per aliquot dies inſtet, ut & in lectum ſe proſternat; ſicuti vero & cetera eodem devicto melius ſe habeat, ita & colorem digitorum flavum imminui quidem, non prorſus vero extingui, quin ab illo tempore indies iterum augmentum ſumere; commendavi huic remedia dome-

ſtica

ſtica expetenti, Rhabarbarum, & ſpecif. Stom. Poter. apud nos fere jam inter domeſtica relatum : A bile vero in digitis intempeſtive ſeparata hunc colorem illorum derivandum eſſe, vix ullum ſupereſt dubium, quod autem in his ſolis ſic ſeparatur, niſi peculiaris pororum conſtitutio in ſubſidium vocetur, vix magis idonea cauſa reddi poterit.

CMIV.

Pulſus in carpo dextro ab altero multum differens.

CUm nuper cuidam ancillæ febre maligna decumbenti adſtarem, in principio quidem & hoc mihi majoris malignitatis ſuſpicionem injiciebat, quoniam in carpo dextro pulſus digitos vix ac ne vix quidem feriebat, hincque ſanguinis motum multum inpeditum judicans, volatilia eidem præſcripſi medicamenta; at cum ſequenti die, ut eo certior fierem meæ ſententiæ, ſiniſtrum quoque carpum explorarem, in hoc quidem pulſum cum morbo reſpondentem i. e. celerem & ſic ſat magnum deprehendi, qui iterum in dextro vix notabatur; unde hoc in vitium quoddam arteriæ rejeci, & jam tum de morbo judicaturus, tum medicamenta præſcripturus, non tam dextram quam ſiniſtram ejusdem manum tetigi: Accidit vero forte fortuna, ut morbo jam declinante, iterum in dextra manu aliquando in pulſum inquiſiverim, & ecce! jam hîc quoque ſicuti in ſiniſtra digitos feriebat; ut adeo ipſi morbo ejusdem in hac parte debilitas adſcribenda fuerit, & inæquali ſanguinis motui originem ſuam debuerit; in utroque vero carpo ſubinde in pulſum indagandum eſſe, hæc obſervatio confirmat.

CMV.

Febrim Spiritus Vini abuſu revocans.

HÆc ipſa ancilla, cum ſic ejusdem malum ſe haberet, ut ſub ſedula medicamentorum continuatione curatum iri, non

ita vanam ſpem aluerim, cum præſertim undecimo fere die febris nec minimum quidem indicium ſupereſſet, â me licet monita, ut per aliquot adhuc dies non ſolum pulverem quendam alexipharmacum continuet, ſed & diætam obſervet; uti tn. illud quidem præſtitit, at appetitui revertenti ſe nimium indulſiſſe ipſamet faſſa fuit, ita hunc denuo proſtratum & febris reditionem huic ipſi errori adſcripſi, cum præſertim nunc haud ita difficulter hæc mala depulſa fuerint: Verum enim vero hera ejusdem noſcens qualem cibum & quantum ejusdem ægrotæ ſuggeſſerit, hincque reditionem mali derivari non poſſe ſibi ipſi perſuadens, cum ad ſervitia ſua rediiſſet, & dimiſſa fuiſſet mulier, quæ illi adſtiterat, magis ſerio inquiſivit, an nullus alius commiſſus fuerit error? Et ea faſſa eſt, adſtantem ſibi perſuaſiſſe, vires colligi non poſſe, niſi ventriculus roboretur, huic vero roborando imprimis conferre, ſi Spiritum Vini aromatum & herbarum quarundam vi imprægnatum bibat, huicque conſilio ſe paruiſſe, at ab illo tempore & pejus ſe habere denuo cœpiſſe; Tantum nempe intereſt, ut & adſtantes officio ſuo rite fungantur, ut jam Hippocrates eosdem, ut quod ſuum eſt præſtent, monuerit; quam variis vero modis peccent, quotidiana teſtatur exprientia, modo tn. faterentur errores, quos commiſerunt, condonari facilius eisdem poſſent, at pernegantibus illis non pauci inde in mortis prædam traduntur.

CMVI.

Febris levis alexipharmacis ſtatim cedens.

Virgo quædam teneræ conſtitutionis, & ſponſa, olim quidem jam ſæpius cum capitis dolore conflictata ab eodem tn. jam per bene longum temporis ſpatium libera vixit, eo magis perterrita fuit, cum nuper nullo, quantum quidem noverat, præcedente errore non ſolum hic ipſe dolor rediret, verum & hunc calor quidam p. n. cum laſſitudine minus conſueta comitaretur, unde ſub noctem hiſce malis ſemper auctis eadem ingruente me in conſilium vocavit; egoque accedens ex pulſu quoque ipſam febricitare deprehendi, determinare vero vix audens qualis hæc febris ſit futura, Potiunculam eidem præſcripſi, cujus præ-

cipua

cipua ingredientia Pulv. Pannon. r. & ſpecif Cephal. D. Mich. conſtituere, quæ bis ſumta Dei gratia tantum profuit, ut ſequenti die eandem extra lectum degentem & optime ſe habentem invenerim, urina quoque, non habere eam, â quo ſibi ulterius nunc metuat, ſufficienter indicante: Sic vero alexipharmaca medicamenta vel levioribus quoque malis fruſtra non opponuntur, hincque graſſantibus febribus malignis, qui curæ cujusvis præſertim febris initium ab iisdem fecerit, merito reprehendi vix poterit.

DMVII.

Alvi obſtructio felicius internis quam externis medicamentis reſerata.

VIr quidam Primarius, quinque annis ſeptuagenario major, cum per integrum & quod excurrit annum, Dei gratia non habuiſſet de quo quereretur, & pro tanta ſenectute ſanitate integerrima frueretur, nuper de dolore juxta lumbos præſertim moleſto ſubito ſuborto queri cœpit, quem tn. quia alvus adhuc aperta erat, (â qua obſtructa olim eum bis terve productum fuiſſe, noverat,) brevi ceſſaturum ſperabat; at cum inſtaret, & jam obſtructio accederet, de eo magis ſolicitus me iterum conſuluit; ubi cum retuliſſet, licet non obſtructam difficiliorem tn. & duriorem alvum jam per aliquot dies ſe obſervaſſe, aliunde, quam â fecibus durioribus in inteſtinis ſubſiſtentibus dolorem hunc derivandum non eſſe, judicavi, & hinc ut hæc reſeraretur, omnem lapidem movi: utut vero Potiuncula laxativa ſumta ſic voto noſtro ſatisfecerit, ut quinque ſedes moverit, id tn., quod dolorem concitavit, nondum ſubductum fuiſſe, vel ex eodem pertinaciter inſtante ſat conſtitit; unde jam, ne Ventriculo nauſeam crearent repetita ſæpius ſolventia medicamenta, externis, Clyſteribus nempe & ſuppoſitoriis alvum ſolicitare cœpi, quæ licet nunquam fere fruſtra in uſum ducta fuerint, nec inde tn. dolor ceſſavit, ſed potius alius acceſſit inteſtini nempe recti, quod tam crebras irritationes ægre tulit, ſuppoſitoriorum imprimis duriuſculorum, quæ dolorem excitarunt tantum non con-

 tinuo

tinuo inſtantem, inprimis autem excrementorum depoſitione exacerbatum: quoniam vero dolor juxta lumbos nunquam magis ſe remittebat, quam alvo aperta, & hinc hunc ab excrementis quibusdam reſtitantibus foveri ſemper magis conſtabat, ad interna medicamenta redii, & præter Elix. Aperit. Clauder. Caſſiæ extractæ unciam dimidiam eidem aliquoties exhibui, quæ Dei gratia tam feliciter alvum movit, ut td. & illud quod hactenus dolorem fovit, excretum fuerit, optimusque ſenex convaluerit; ex quibus ſicut patet, non ſemper Clyſteribus nos obtinere quod quidem ſperamus, ita ſic ſat tuto laxantia per aliquot dies & Senes interdum continuare hæc obſervatio confirmat; licet enim ſæpiuscule ſumſerit Caſſiam Per Illuſtris hic Vir, nunquam tn. vel minimum mali inde percepit, quin ſub ejusdem uſu appetitu fere magis quam olim polluit.

CMVIII.

Menſes lactis recentis potu inhibiti.

ANcilla quædam fida, cum nuper à febre maligna convaluiſſet, retulit, ſe jam per aliquot annos inſtantibus menſibus dolores in pube ſentire ſubinde tantos, ut & vix laboribus ſuis vacare poſſit, hincque ut hisce doloribus quoque oppoſitum remedium communicem, rogavit; quod ut felicius præſtare potuerim, in quædam, quæ menſes concernunt, inquiſivi, & certior factus fui, quod primo quidem menſibus aliquando rite fluentibus ſiti ſic jubente aliquando hoc ipſo fluxu præſente lac recens emulctum & adhuc calens in non exigua quantitate biberit, unde is ſtatim inhibitus fuerit, quem cum non niſi difficulter & pluribus medicamentis ſumtis, quæ domeſtica vocant, in uſum ductis revocaverit, ab illo tempore tn. memoratos dolores inferentem patiatur: Commendavi huic martiata, cui forſan lac recens hauſtum ſanguinem incraſſando tantum nocuit.

CMIX.

CMIX.

Febrem catarrhalem pro maligna falſo agnoſcens.

SUb hoc ipſum tempus vocatus fui ad aliam quandam ancillam, quæ catarrhis & inprimis dentium dolore divexata cum aliquandiu aeri frigido & humido in laboribus ſuis perficiendis ſe expoſuiſſet frigore correpta fuit minus conſueto, quod cum calor quoque nimius excepiſſet, jam vere nulla dubitavit, febrem malignam eſſe, qua laboret, hancque rem ad heram ſuam detulit, quæ ſtatim cum eadem conſenſit, & hinc in peculiari hypocauſto lectum ſternere eidem juſſit, ſummoque mane me propterea in conſilium vocavit; ubi accedens, pulſum quidem debito celeriorem inveni, ex ceteris vero ſignis non tam malignam quam catarrhalem febrem ſubeſſe judicare potui, quod & heræ indicavi, ſimulque medicamentum ſudoriferum præſcripſi, quod bis ſumtum ſic omnem febrilem calorem Dei gratia diſcuſſit, ut ſequenti mane rediens hujus nec indicium quidem ſuperfuerit, quin, quod noctem ſic ſat quietam duxiſſet, retulit, niſi dentium dolor ſubinde ſe â ſomno excitaſſet; unde jam humores acres hunc dolorem foventes purgante ſubducendos eſſe, conſultum ducens, Potiunculam talibus viribus inſtructam præſcripſi, qua ſumta DEi gratia ſic convaluit, ut alio medicamento opus non habuerit: Injuſtum vero ſæpiuſcule eſſe metum, quem nonnulli à febribus malignis fovent, licet hæc obſervatio confirmet, & huic tn. & morbis plerisque qui eum excitant, felicius vix occurres, quam exhibitis in principio ſtatim ſudoriferis, quæ quippe niſi verum morbum prodiderint, nunquam tn. nocebunt; iisque nil juvantibus ſat commode alia ſubſtituentur.

CMX.

Ventriculi dolorem pro ſigno febris malignæ habens.

ANcilla hujus ſocia, cum per noctem diemque huic adſtitiſſet, & in eodem hypocauſto cum eadem dormiiſſet, tertio die

dolorem gravativum Ventriculi percipiens, jam & ipſa ſe febre maligna laborare, credidit, hincque me accedentem tum ut pulſum explorem, tum urinam inſpicerem, rogavit, ſicuti vero ille plane naturalis fuit, ita hæc aquea fere cruditatem Ventriculi prodidit, unde in ea, quæ pridie comederit inquiſivi, cumque napos nominaſſent, hosque in non exigua quantitate eam ingeſſiſſe indicaſſent, aliunde quam ab his dolorem illum non eſſe derivandum judicavi, hincque aliud medicamentum quam Elix. Aper. Cl. eidem non præſcripſi, quod & ſicuti dolorem ſic etiam fruſtraneum metum abegit: Cauſa nempe hujus illiusve ſymptomatis ſufficienter detecta non habemus quod de aliis iisque gravioribus ſimus ſoliciti.

CMXI.

Variolas promovens Sal Vol. Oleoſum Sylvii.

MErcatoris cujusdam filiola duorum & quod excurrit annorum ſubito appetitu proſtrato, difficiliore reſpiratione & caloribus p. n. correpta matri non ita injuſtam ſuſpicionem, variolas, quibus ante bimeſtre fere frater ejus Dei gratia feliciter defunctus fuerat, in eadem ſubeſſe, injecit, unde, cum prius ipſamet Tincturam Bezoarticam illi exhibuiſſet, dictaque mala inde augmentum quaſi caperent, me in conſilium vocavit; utut vero & ego, quæ alias in expellendis hisce puſtulis non absq; fructu quodam pluribus hoc anno præſertim præſcripſi, huic etiam exhibuerim, per integrum tn. biduum & hæc eam fruſtra ſumſiſſe parebat, dum non ſolum calor p. n. ſemper augebatur, ſed & anxietas ſemper major in puella notabatur, macula vero vix unica in toto corpore conſpici poterat, reliquis itaque Potiuncularum, quas hactenus exhibueram, ingredientibus Sal Volatil. Oleos. Sylv. quoque addidi, & ecce! cum hoc ipſum bis terve ſumſiſſet, maculis inde expulſis quævis reliqua ſymptomata remiſerunt, hisque cum tempore debitum variolarum incrementum nactis, jucundiſſima puella Dei gratia convaluit: non ſufficientibus vero iis, quæ alias variolas promovent, medicamentis, volatilia interdum medicamenta etiam eſſe adhibenda, ſicuti hæc obſervatio confirmat, ita in tam tenella ætate conſtitutos, ea niſi melius æque tn. ac alios ferre non ſemel experientia me docuit.

CMXII.

CMXII.

Febris cum pulſu celeri & magno brevi cedens.

ALterius cujusdam mercatoris non ex infimis filiolus undecim annorum, cum Examini interfuiſſet, domum rediens, de dolore capitis conqueritur, quem mater primo quidem parvi habuit, at per noctem inſtanti ſequenti die Pilul. FF. oppoſuit, cauſam nempe mali in abundante ſero acri quærens, quas autem brevi vomitu rejecit, unde tantum abeſt, ut vel minimum levamentum attuliſſent, ut potius dolor puerum ſemper magis torſerit, adeo quidem, ut nec caput erectum tenere, nec ſolus incedere ulterius potuerit, jamque & eum plus ſolito calere deprehendens Mater me propterea vocavit; accedens vero ego puerulum tam acute febricitantem inveni, ac quidem in hac ætate conſtitutus febricitare poteſt, pulſu imprimis tam celeri & magno, ac unquam in ullo alio eum deprehendi, hoc ſufficienter prodente; hincque alexipharmaca atque Cephalica inter ſe invicem mixta eidem exhibui, quæ vix bis ſumta, adeo omnem febrem ſimulque dolorem abegerant, ut ſequenti die eum DEi gratia ſanum atque incolumem invenerim, ſolumque, ut tantum hoc bonum conſervetur, medicamentum quoddam præſcripſerim, quod & voto ſatisfecit; Sic vero vel peſſimorum quorumvis metum injicientia ſymptomata identidem non ita difficulter quin brevi iterum ceſſare, præter hanc plures obſervationes docent.

CMXIII.

Menſium fluxus nimius ira primo excitatus.

MAtrona quædam nobilis, cum poſt diu neglectos catarrhos in tuſſim incidiſſet, ob plura, quæ eam comitabantur, ſymptomata, pulmonum affectorum non prorſus vanam ſuſpicionem injicientem, medicamenta eidem oppoſita non absque fructu quodam in uſum duxiſſet, niſi collectas quodammodo vires ſuperve-

perveniens ſuo tempore quidem at nimius menſium fluxus aliquoties denuo ſurripuiſſet, unde poſtmodum & reliqua mala quaſi revocata fuere: hunc vero primo nimium & equidem tantum, ut animi deliquia quoque ſupervenerint, ſe ante plures annos paſſam fuiſſe, cum prius ira nimium effervuiſſet, retulit; ſicuti vero ab illo tempore vires nunquam ſic collegerit, quin ſemper earundem quendam defectum notaſſet, ita menſium fluxum interea ſæpius tum poſt iram tum alios animi affectus tempore etiam non couſueto rediiſſe, nec parum augeri eundem, præſertim ſi tum temporis forte fortuna animus nimium commoveatur; quod narrandi ipſi occaſionem dedit hic ipſe fluxus nuper â terrore à filiolo lapſum de menſa in terram minitante excitato mirum quantum auctus: ſicuti vero exinde confirmatur, quantum animi affectus, qua menſes præſertim mutandos valeant, ita, cum in poteſtate noſtra non ſemper ſit poſitum, ut eos inpediamus & avertamus, quam difficiles curatu quosdam morbos ſic reddant, ſimul patet.

CMXIV.

Campanas ſonare in declinatione febris malignæ audiens.

JUriſconſultus quidam, cum nuper febris malignæ, quam ante quosdam annos Dei gratia devicerat, mentio fieret, narravit, quod ſibi eadem declinante, jam extra periculum poſito & ſaniſſima fruenti ratione, aliquando per viginti quatuor horas non aliter viſum fuerit, quam ſi omnes campanæ, ſic, uti quidem apud Romanæ Eccleſiæ addictos mortuo quodam, qui ſumtus erogare poteſt, fieri ſolet, pulſarentur, ſic quidem, ut ſe continere non potuerit, quin bis terve tam moleſti ſibi ſoni (utut eum non niſi ſuis auribus obverſari, probe noverit.) coram adſtantibus mentionem injeciſſet; ſicuti vero cum hoc ipſo ſono febris etiam omnino ceſſaverit, ita vel hac de cauſa gratiorem ſibi eſſe ejusdem recordationem: Ad aures terminari febres non paucas malignas, ſic ſat commune eſt, unde plures de auditus difficultate querentes audies; quæ querelæ, & ceteris rite ſe habentibus non ſemper pro malis habentur, quod vero his difficultatem aliis minus

nus conſuetos ſonos excitare facile poteſt; meminique ego alterius ab hac febre convaleſcentis, cui ſonus fidibus minus apte canentium per integrum biduum moleſtus extitit.

CMXV.

Raucedo aqua frigida curata.

CUm nuper Illuſtris cujusdam Viri filiolæ, quæ Ventriculo laboraverat, Dei gratia feliciter adſtitiſſem, abiturientem Materfamilias interrogavit, quid mihi de ancilla ſua jam per octo dies raucedine tam gravi detenta, ut nec ſonorum quidem verbum proferre poſſit, videatur? utque remedium quoddam conveniens præſcribam, rogavit; huic vero petito dum ſatisfeci, varia quæ hactenus in uſum duxerat, narravit, inter quæ inprimis ſequens mirabar; quod nimirum aqua tam frigida, ac quidem ê puteo hauritur, cui aliquid Sacchari immixtum fuit, fauces ſæpius eluerit, quin hoc reliquis omnibus antetulit, & aliquoties maritum ſuum illico juviſſe, ſancte teſtata fuit, quin & huic ipſi ſic profuiſſe, ut per aliquot horas raucedo ſe remiſerit, quæ vero poſtmodum magis ac prius unquam moleſta extiterit; ſed ſicuti ex hoc ipſo conſtat, quam parum fidum hoc ſit remedium, ita ſi tn. quibusdam profuerit, iis ſic profuit, quemadmodum alibi quendam non tam potu frigido quam calido faucium inflammationem excitaſſe narravi; ſunt nempe humores raucedinem producentes interdum tam tenues, ut iisdem, aqua frigida quodammodo condenſatis non poſſit non raucedo demitigari, cum præſertim & in acribus diluendis particulis aqua ſimplex non parum conferat; ſi vero humores per ſe viſcidi atque craſſiores extiterint, non poterit non hoc remedium magis obeſſe quam prodeſſe, adeoque peſſime omnibus & ſingulis commendabitur.

CMXVI.

Phthiſicæ Pilulæ de Styrace parum conferentes.

PHthiſica quædam cum tam diu quidem, quam medicamenta huic malo præcipue dicata in uſum ducebat, non ita male ſe Dei gratia haberet, dum nempe non ſolum tuſſis ſe remittebat, ſed & vires non parum imminutæ indies magis colligebantur,

bantur, à catarrhis tn. ſolis derivans hoc malum, & niſi hisce inprimis obviam eatur, curam perfectam ſperari non poſſe, tota perſuaſa, hinc aliquoties urſit, ut anticatarrhalia quædam præſcribam; cui tn. petito tam diu non ſatisfeci, donec aliquando catarrhus auctus videbatur, qui me permovit, ut quinque Pilul. de Styrace grana eidem præſcripſerim, hæcque ſub noctem in uſum ducere eandem juſſerim: Verum enim vero ſicuti noctem inde plane inſomnem duxit, ita longe difficilius quam primo reſpiravit, quin ſupervenientibus levioribus animi deliquiis de ſanitate recuperanda plane deſperavit, donec ad priora fere remedia (quæ forſan alibi enumerabuntur,) rediit, hisce enim in uſum ductis iterum melius ſe habere cœpit: Tu vero exinde diſces, quam cautos nos, in exhibendis anticatarrhalibus præcipue opiatis, in ejuscemodi morbis gerere debeamus.

CMXVII.

Viſus debilitas nimium menſium fluxum comitans.

ADſtans nuper cuidam Viro Nobiliſſimo, cum morbus ejusdem Dei gratia jam devictus eſſet, ab Uxore ejusdem rogatus fui, ut medicamentum quoddam viſui dicatum præſcribam, quia, utut juvencula adhuc ſit, identidem tn. tam debilem hunc experiatur, ut & propius eidem expoſita vix ac ne vix quidem diſcernere poſſit; imprimis autem nunc, dum hæc ipſa narret, tantum deficere viſum, ut præſentes niſi ex ſermone vix dignoſceret; Spirituum animalium defectui hoc malum adſcribens, hisce augendis idoneam Trageam ordinavi, dum vero in eadem præſcribenda ſum occupatus, queritur, quod nunc menſes fluant, & quidem tam copioſe ut non ſolum viſui verum & viribus multum admodum ſubtrahant, & quoniam aliâs quoque hoc tributum tam larga ſolvat manu, ſemper ſub illud tempus ſe majorem viſus debilitatem obſervare; Sicuti vero ſic defectus ſpirituum primaria cauſa innotuit, ita nunc huic imprimis obviam eundum eſſe judicavi, cum, quocunque etiam modo ſpiritus reficiantur, menſibus inſtantibus ſemper plures inſumantur atque

perdan-

perdantur, ac quidem vel ſpirituoſiſſima medicamenta (quæ tn. & ipſa non niſi caute admodum in uſum ſunt ducenda,) reddunt: Negligentiores tn. hîc pleraſque noſtras mulierculas eſſe, eſt, quod & alibi queſtus fui, quo ipſæmet ſæpiuſcule in cauſa ſunt, ut non ſolum morbis curatu difficillimis ſic ſat diu divexentur, verum & ante tempus in mortis prædam cedant.

CMXVIII.

Pullos gallinaceos ſolos abhorrens Gravida.

MErcatoris cujusdam Uxor juvencula, cum primo gravida interrogaretur, quomodo ſe habeat? DEO ſufficientes gratias ſe nunquam agere poſſe, quod â plerisque gravidarum ſymptomatibus immunis hactenus (nonus autem menſis erat, quo hæc proferebat,) vixerit, reſpondit, nec enim unquam ſe vomuiſſe, nec alia mala in Ventriculo ſe perſenſiſſe, imprimis vero carnem quamcunque absque ulla nauſea ſe comediſſe, excepta ſola pullorum gallinaceorum, â quibus tantam aluerit nauſeam, ut illos nec vivos quidem, multo minus vero aſſos aut elixos adſpicere potuerit, quin tam moleſtum ſibi atque ingratum ex iisdem exhalantem odorem extitiſſe, ut, niſi illorum præſentiam fugiſſet, aliquoties in animi deliquia incidiſſet; quos tn. prius tantum amarit, ut non ſolum vivos ſæpe ſic ſat diu manibus tractarit, verum & coctos non absque delectatione comederit; ſic vero graviditatis indicia in quibusdam pleraque deeſſe interdum poſſe, confirmatur; quodque niſi ab omni carne â certa tn. ejus ſpecie nonnullæ tempore graviditatis abhorreant, cum hæc hiſtoria doceat, in ſigna graviditatis inquirentes & hujus rei non fruſtra memores erunt.

CMXIX.

Febris malignæ minæ feliciter repulſæ.

ANcilla quædam prope triginta annorum, tum neſcio qua de cauſa ira accenſa, tum relatione, quod quædam alia ſibi

nota ancilla in noſocomium publicum, ob morbum, quo laboret, malignum tranſlata fuerit, perterrita, de dolore cervicem præſertim occupante queritur, cui accedens antecedente frigore calor p. n. heram permovit, ut cubitum ituræ Tincturam Bezoarticam exhibuerit, ſimulque â me per hujus ſociam petierit, ut in craſtinum purgans præſcribam medicamentum; cui vero petito non tam ſatisfeci, quam quod ipſam ſequenti mane acceſſi, & febricitantem inveniens, nec, ob ſummam, de qua etiam querebatur, laſſitudinem, omnem malignitatem abeſſe judicans, Potiunculam potius alexipharmacam præſcripſi; quam cum ter ſumſiſſet meliuſcule quidem ſe habere credidit, at nec extra lectum diu degere potuit, nec pulſus nec urina ſic ſe habuere, ut febrem jam eſſe extinctam exinde conſtitiſſet; unde per aliquot adhuc dies eadem medicamenta continuavit, hincque Dei gratia indies ſe melius habuit, niſi quod ſub ſingulas veſperas quædam reſtitantis febris indicia ſe exſeruere, & urinam ſemper tinctiorem excrevit; unde tandem die â morbi principio fere octavo medicamentum purgans eidem exhibui, quod cum plures moviſſet ſedes ſimul ſic profuit, ut, Dei gratia vix aliis medicamentis opus habuerit; Sic vero ſemper tutius, ubi vel minima ſubeſt malignitatis ſuſpicio, alexipharmaca purgantibus præmittuntur, quæ non raro aut omnem prorſus morbum ſola tollunt, aut & cauſam peccantem ſic corrigunt, ut poſtmodum purgantibus facilius ſubducatur, ubi contra purgantia præmiſſa morborum revera malignorum curam difficilem quin ſubinde impoſſibilem reddunt.

CMXX.

Lectum permingentem juvans purgans.

AUrifabri cujusdam Vidua, cum ad filium ſuum natu majorem febricitantem me vocaſſet, de altero duodecim fere annorum puero narravit, quod is ſubinde adhuc lectum permingat, huicque malo licet hactenus varia oppoſuerit remedia, nec tn. minis, nec verberibus, nec & exhibitis quibusdam medicamentis ſe vel minimum profeciſſe hactenus; donec tandem Decoctum Prunorum

cum fol. Senn. eidem exhibuerit, quod quando aliquot ſedes moveat, ſemper ſic profit, ut per aliquot hebdomadas non niſi in matulam urinam deponat, hinc vero identidem redeunte malo, ſe & in priore remedio auxilium quærere, nec unquam hactenus fruſtra ſe illud exhibuiſſe, ſed ſemper modo memoratum affectum illud ſubſecutum fuiſſe; cum vero non deſint rationes cur purgans in hoc ipſo malo cum fructu exhibeatur, dum nempe, ut alias nunc taceam, ſerum ſuperfluum ſic deturbatum in tanta quantitate ac olim ad Veſicam non tendit, hincque ea muneri ſuo præeſſe melius poteſt; tum ſemper curam ejusdem â tali medicamento auſpicabitur, tum & illud ſubinde interponet prudens medicus.

CMXXI.

Manus pedesque dentienti ſæpius obrigeſcentes.

VIri cujusdam nobiliſſimi filiolus, duorum annorum & quod excurrit, olim quidem achoribus ſic laborans, ut iisdem ſubinde tota facies fuerit defœdata, cetera tn. Dei gratia ſic ſat bene ſe habuit, quin quotiescunque fere purgans ſumſit, ab hiſce ulcuſculis ſic liberatus fuit, ut eorundem vix quædam ſuperfuerint veſtigia, unde de hiſce nobiliſſimi Parentes vix ulterius fuere ſoliciti; at cum nuper, uti quidem plerumque novo dente erumpente contigit, rediiſſent & jam alias quoque corporis parter præter caput occupaſſent, & brevi poſt ſponte denuo diſparuiſſent, cum tumore totius ſuccedentibus tuſſi, difficiliore reſpiratione & febri, vel ideo majorem iisdem metum injecit, quia ſimul noverant, ut medicamenta ſumat, puerulum vix ac ne vix quidem perſuaderi, & non niſi difficillime falli poſſe; ſumſit tn. tandem Pilulas purgantes, quæ iterum quoddam levamen attulerunt, unde & poſtmodum iteratæ fuerunt, quin, cum pituitæ non ita exiguam quantitatem partes reſpirationi dicatas obſidere vel ſonus proderet, tandem & vomitorium ipſi obtrudebatur, quod itidem ſcopo ſatisfecit, jamque convaluiſſe viſus fuit puerulus; at ſæpiuscule ſicut prius, ita ex illo tempore tum manus tum pedes ſubito eidem ſic obrigeſcunt, ut aliquamdiu eorum uſu penitus deſtituatur, interdum quidem

cum, interdum vero abſque tumore, quod quidem malum, quia brevi ceſſat, minorem injicit metum, medicamentis tn. omnino opus haberet, unde interna nunc adhuc magis reſpuenti, Spiritum Lumbr. terr. exterius illinendum præſcripſi: ſicut autem hæc ipſa mala ſine dubio dentitioni originem ſuam debent, ita qualem eventum ſint habitura, certo prædici vix poteſt, cum & in his puerorum morbis, incertæ admodum ſint prædictiones ſalutis & mortis.

CMXXII.

Mercurius flatus movens.

AUrifabri cujusdam Uxor, ſæpius in deaurandis vaſis argenteis occupata, uti quidem tremorem, quo ſubinde corripitur, non tam huic ipſi labori, quam iræ adſcribit, & neſcio qua ſumta Panacea ſic omnes mercurii noxas ſe avertere credit, ut, ſi præſertim interdum balneo quoque corpus immergat, nunquam ſe habituram â quo ſibi metuat, tota ſperet, ita tn. imprimis hactenus obſervavit, quod quotiescunque mercurium tractat, & fumi ejusdem vel minimam partem naribus attrahit, flatus inde in corpore ſic moveantur, ut niſi continuo eosdem emitteret, â crepatura ſibi metueret; quin, quia nec poſt abſolutam deaurationem ceſſent, ſe opus habere ut aliorum hominum conſortium fugiat, niſi his crepitibus moleſta eſſe, & nomen ſordidæ contrahere velit, ſubjunxit, nec niſi poſt ſex vel ſeptem horas hunc mercurii effectum ceſſare, ſerio teſtata eſt: partes nempe ſeri viſcidas incidendo nec tn. plane conſumendo has turbas in hac excitat mercurius, quas an & aliis moveat ulteriori indagatione dignum videtur.

CMXXIII.

Dentientem interimens tuſſis variolis ſuccedens.

AUrifabri cujusdam filiola nondum biennis, cum ante trimeſtre fere variolis laboraſſet, nec iisdem præſentibus, eam, quæ requiritur, diætam ſervaſſet, non ſolum multum extra

lectum

lectum degit; ſed & cibos minus convenientes coctuque difficiles ingeſſit, convaluiſſe quidem matri fuit viſa, at ab illo tempore tam bene ut prius ſe non habuit, dum imprimis tuſſis eandem interdiu noctuq; vexavit, ut ſæpiuſcule non inanis ſuffocationis metus ſubfuerit, quæ vel ideo plus negotii fecit, quia foveri eandem â dentibus gingivas perrumpere non valentibus vel exinde conſtitit, quia continuo fere puella digitis os petiit, & gingivas perfricavit, & diu quosdam ingeſſit cibos, qui curationem non parum impedierunt; unde, utut varia medicamenta ſumſerit, quia tn. & hæc ea diligentia, quam quidem commendaveram, non continuavit, & quædam â mulierculis ſuggeſta, ſubinde interpoſita fuere, non ſolum tuſſis ſemper inſtitit, verum & febris hectica acceſſit, quin td. convulſiones ſupervenere; quæ omnia puellam viribus ſic exhauſerunt, ut per quatuordecim & quod excurrit dies non tam ulla vitæ prolongandæ ſpes ſuperfuerit, quam mortem jamjam inſtare, ex quibusvis indiciis conſtiterit, quam tn. & hoc mali anteceſſit, quod hincinde in capite & humeris veſicæ ſubortæ fuerunt, iis omnino ſimiles, quas arte excitare ſolemus, quæ apertæ ſerum acre fuderunt, brevi vero, applicato ſolo ſevo exaruerunt, ſuccedentibus identidem novis quæ itidem miſeræ non potuere non dolores excitare, quibus td. penitus conſumta diem ſupremum obiit; quantum vero interſit, ut non ſolum Variolarum ſed & malorum tum his tum dentitioni ſuccedentium decens geratur ratio, hæc obſervatio docet, forſan enim, niſi tot errores commiſſi fuiſſent, hæc puella ſervari potuiſſet.

CMXXIV.

Febris Panacea curata.

JUvenis quidam aurifaber, viginti fere annorum, cum hactenus Dei gratia integra gaviſus fuiſſet ſanitate, ſubito doloribus capitis cum frigore caloreque p. n. correptus, domum ad matrem redit, ibique lectum petit, materque cauſam mali in flatibus quærens ipſi primo Rhabarbarum hincque Decoctum Fol. Senæ exhibet, quæ utut aliquoties alvum moverint, tantum tn. abeſt, ut inde vel minimum percepiſſet levamentum, ut potius

calor

calor præſertim ſemper incrementum ſumſerit, unde jam mater Panaceam quandam eidem exhibuit, eamque bis terve repetiit, ſic quidem, ut ſemper poſt eandem ſumtam ſudori vacaverit, ſed nec poſt hanc quidem ſic ſe habuit, ut matri placuiſſet, quæ propterea urina præſertim tinctiore perterrita, eam ad me detulit, & ut conſilium ſuggeram, rogavit, præſcripſi ergo Potiunculam alexipharmacam, & veſperi, ea hora, qua aliâs ſe peſſime jam per aliquot dies habuit, eum viſitavi, uti vero eum minime febricitantem, ita & cetera ſic ſat bene ſe habentem inveni, hincque medicamentum quidem ſumptum continuare, at & optima quæque ſperare juſſi, nec falſus fui mea opinione, ſequenti enim die eum ſic conſtitutum inveni, ut ſanis Dei gratia annumerari iterum potuerit: Sine dubio vero hunc ſudor in tempore motus plurimum juvit, nec Panaceam is fruſtra ſumſit, cum medicamentum â me præſcriptum, malis, quæ mater retulit, diſcutiendis tam cito non ſuffeciſſet.

DMXXV.

Febris maligna carnis intempeſtivo eſu revocata.

VIri cujusdam egregii Pietatis ſtudioſi ancilla ſubito de magna cordis anxietate, frigore & hoc inſequente calore cum inſigni virium proſtratione conqueritur, quæ mala, cum, poſtquam & in lectum ſe contuliſſet, non tam imminuerentur, quam ſemper augmentum caperent, herum permoverunt, ut me propterea in conſilium vocaverit, & ego eandem viſitans ex quibusvis ſignis aliter judicare non potui, quam ipſam febre maligna laborare, cum imprimis, calore licet ad ſenſum vix ita magno exiſtente, vires tn. tantum oppreſſæ fuerint, ut & verba non niſi difficillime protulerit, unde ſtatim alexipharmacis quibus hactenus Dei gratia faciliter pugnavi, & hic pugnare cœpi, imprimis pulvere ſub hoc nomine veniente, & vili pretio proſtante, cum Aquis convenientibus poſt ſingulas ſex horas exhibito; interpoſita etiam Aqua confortante huic ipſi malo oppoſita; & hinc quidem per primum fere quatriduum nulla notatu digna mutatio ſucceſſit, quin ſuperveniens aliquando ſanguinis ſputo

rejectio

rejectio non parvum in principio metum injecit, qua tn. ſponte ceſſante & nunc reliquis quoque ſymptomatibus ſe remittentibus, præcipueque viribus redeuntibus ſpem convaleſcentiæ concipere cœpi, & hinc eo diligentius medicamenta continuata fuere; quibus DEO clementer benedicente febris ſic profligabatur, ut poſt ſeptimum diem ejusdem nec minimum indicium ſuperfuerit, unde jam pulverem quendam convenientem adhuc per aliquot dierum uſum ducere, ſimul vero diætam inprimis ſervare eandem juſſi; ſicuti vero illum quidem, quemadmodum juſſeram ſumſerat, ita tn. ſimul appetitui nimium indulſit, dum, me licet expreſſe prohibente carnem vitulinam comedit, & diutius etiam ac conceſſeram extra lectum ſe tenuit; hinc vero, cum redirem, ut, an ſanitas recuperata conſtans eſſet? inquirerem, ipſam denuo febricitantem inveni, cum viribus iterum ſic proſtratis, ut vix caput erigire potuerit, ſimul tn. errorem commiſſum ſtatim fatebatur; unde ad priſtina medicamenta redii, quibus, quia de dolore lateris punctorio itidem querebatur, utque cruditates ſimul felicius corrigerentur, Tincturam Bezoarticam addidi; licet vero poſt horum uſum ſtatim tantum levamentum perceperit, ut eam iterum convalituram nullum ſuperfuerit dubium, non niſi tn. poſt quintum diem hæc nova quoque febris extincta fuit, ſicque jam majorem diætæ habere rationem hoc ſuo damno docta ſanitatem Dei gratia ſic recuperavit, ut ea nunc ea, qua prius integritate fruatur: Pleræque nempe hoc anno febribus malignis correptæ non tam de aliis gravioribus malis quam viribus proſtratis conqueſtæ fuerunt, quibus tn. melius quam alexipharmacis non proſpiciebatur; at quantum opus ſit, ut convaleſcentes præcipue diætam ſervent, eſt, quod hæc obſervatio confirmat.

CMXXVI.

Pleuritis à lacte coagulato.

AUrigæ cujusdam Uxor, cum filiolæ per tres & quod excurrit, menſes, mammas, præbuiſſet, ſubito doloribus lateris ſiniſtri tam acerbis corripitur, ut & in lectum ſe conferre opus habuerit, in quo tn. ſponte illos diſparituros ſperans, alio re-

medio ſe opus non habituram credidit; at cum in hoc non ſolum dolor increſceret, verum calor quoque p. n. accederet, totamque ſequentem noctem vigilem traheret, inſuperque urina multum tincta excreta eandem perterreret, eam ſequenti mane ad me miſit, & ut conſilium ſuggeram rogavit; ſicuti vero ego ſtatim de lacte coagulato & hinc ſanguinem quoque in motu ſuo impediente, ſicque hanc Pleuritidis ſpeciem producente cogitavi, ita quam pluries jam in ejuſcemodi malis cum fructu præſcripſi Potiunculam ex Antim. Diaph. & Tinct. Bezoart. præcipue conſtantem, huic quoque ordinavi, quam quidem in principio eam non abſque nauſea quadam ſumſiſſe, maritus retulit, at cum ſtatim levamentum quoddam attuliſſet, reſtitantes duas hujus Potionis partes eo lubentius deglutiit, hincq; Dei gratia tum dolores ſic ceſſarunt, tumque calor nimius extinctus fuit, ut alio medicamento opus non habuerit: Varia nempe mala lac coagulatum excitare ſolet, in quibus tn. diſſipandis raro modo laudata medicamenta inprimis ſibi invicem mixta commendabis, quod & ex aliis meis obſervationibus conſtat.

CMXXVII.

Clyſteres ſubſequens Virium proſtratio.

LAboravit nuper quidam Vir integerrimus obſtructione alvi non tam pertinaci, quam ob mala quæ eandem comitabantur, dolores præſertim ſomnum arcentes, moleſta; huic ergo, utut medicamenta ore ſumta ſic profuerint, ut ſemper alvum reſerarint; quoniam tn. non injuſtum in pectore aluit metum, ne hæc ſæpius iterata ventriculum lædant, aut & tandem voto ſuo ulterius vix ſatisfaciant, ut interdum Clyſteribus quoque alvum officii ſui memorem reddat, ſuaſi; quibus vero licet itidem fruſtra non fuerit uſus, tanta ſimul virium proſtratio ſucceſſit, ut vix incedere aut & manum movere potuerit; quod quidem primo Clyſteri non adſcribens hoc remedium nihilominus bis terve adhuc iteravit, at cum ſemper idem malum ſequeretur, ipſemet hos ſeponere eundem juſſi, cum præſertim jam poſt ſumtam vel unicam Pilul. Emanuel. alvus feliciter aperta fuerit: Non quivis nempe eodem modo ferunt Clyſteres, quod quando conſtat

ſtat, mediens prudens non niſi ſumma neceſſitate jubente eosdem commendabit.

CMXXVIII.

Stercus Vaccinum dolores vagos mitigans.

PUella quædam decem annorum, ſubito doloribus capitis prehenditur tam acerbis, ut & propterea in lectum ſe contulerit, ubi tn. non ſolum non remiſerunt, ſed & reliquas partes corporis occuparunt, dum jam pedes jam manus torſerunt, adeo quidem, ut & ab ejulatibus ſe continere non potuerit, unde mater vicinas conſuluit, quarum una ſtercus vaccinum commendavit, ut nempe hoc in oleo coctum partibus maxime dolentibus imponat, hocque conſilium cum præ reliquis ipſi placuiſſet, ſtercus illud modo commendato adhibuit, & puella inde ſtatim tantum levamentum percepit, ut ſomnus ſupervenerit, â quo per aliquot horas inſtante excitata, ſe â doloribus prorſus immunem vivere, teſtata fuit, quod & coram me repetiit cum ſequenti die horum dolorum ergo eam viſitaſſem; ſed nihilominus medicamentis etiam internis opus eſſe, judicavi, eaque, cum nec charta nec atramentum ad manus eſſent, domi me præſcripturum, promiſi; acceſſit vero me poſt prandium ipſa mater, & indicavit, dolores interea priori cum vehementia rediiſſe, unde jam medicamenta præſcripta & ſcorbuto præſertim (quem varia indicia prodebant,) dicata commendavi, cum niſi ſanguinis acres ſalinæque particulæ corrigantur, malum vix integre curari poſſit; ſic vero remedia quædam inſignem acquirunt laudem, dum in principio ſtatim levamentum quoddam afferunt, apud eos præſertim, quibus hoc quidem, non vero dolores rediiſſe innotuit, in quas circumſtantias vero medicus ſedulo inquiret, ne nimium ſordido præſertim tali remedio fidens ſe illud commendando turpiter proſtituat; tutum interea cum hoc ſit, & alios quoque juviſſe conſtet, in caſu neceſſitatis tutius admittetur quam repellentia, nec absque periculo dolores ſedantia medicamenta.

CMXXIX.

Calculi poſt eſum halecis excreti.

MAtrona quædam honeſta, quinquagenaria major, cum olim multum admodum ſanguinis per uterum perdidiſſet, aliquoties etiam dolores arthriticos paſſa fuiſſet, ante trimeſtre doloribus nephriticis itidem tantum torqueri cœpit, ut iisdem aliquoties ferme ſuccubuiſſet; cumque aliquoties per aliquot dies intermitterent, necque ſabulum nec calculos excerneret, non ſemel de calculo dubitavit, quem ego ſubeſſe ex pluribus ſignis totus credidi; unde illa jam de utero, jam de flatibus cogitavit, & hiſce imprimis deſtinata medicamenta expetiit, at omnia omnino fruſtra adhibuit, donec td. integro trimeſtri elapſo calculum majusculum & pluſculos minores excrevit, quem eſum halecis, & interaneorum præſertim ejus veſiculæ, quam noſtrates die Seel nominant, promoviſſe ſibi perſuadet; uti vero hanc ipſam in promovenda urina & pellendis calculis commendari, dudum novi, ita hic imprimis confirmamur, quod utut calculi non ſemper poſt dolores excernantur, eosdem tn. non ſubeſſe, exinde falſo judicemus, cum quidam ob magnitudinem plane excerni non poſſint, quosdam vero identidem ſic ſat diu in corpore reſtitare, præter hanc plures obſervationes evincant.

CMXXX.

Variolæ cum ſalivatione.

MErcatoris cujusdam filiolus ex conjugio ſecundo natu maximus, duodecim annorum puer, cum frater ejusdem natu minimus octo fere annorum, variolas Dei gratia feliciter deviciſſet, per tres & quod excurrit hebdomadas aliquoties quidem quasdam querelas movit, ex quibus & ipſum hoc morbo correptum iri, ſic ſat conſtitit, at quoniam hæc mala ſemper brevi ceſſarunt, tam diu etiam in publicum prodiit, donec laſſitudo ſupervenit, quæ eum proſtravit, unde td. in lecto detento qui-

busdam

busdam medicamentis ſumtis quædam hinc inde tales puſtulæ eruperunt, tam paucæ quidem, ut haud difficulter numerum illarum inire potuiſſes, & ſine ullo alio notatu digno ſymptomate, niſi quod ſalivæ tam inſignem quantitatem ore rejecit, ut ſemper vaſculo, quo illam exciperet, opus habuerit, & vel illi, quibus arte movetur, interdum vix tantum ejusdem excernant; ſicuti vero, cum cetera tam bene Dei gratia ſe habuerit, ut medicamenta huic ſalivationi opponantur, minime conſultum duxerim, ita cum variolis exareſcentibus eadem ſponte ceſſavit, perq; Dei gratiam ſic convaluit, ut reliquis, qui cum eodem variolis laborarunt, fratribus ſororeque citius lectum deſerere potuerit, & vix veſtigia quædam earundem ſuperfuerint: quantum vero in morbis cutaneis proſit ſalivatio, hæc obſervatio confirmat.

CMXXXI.

Purgans bis fruſtra fere ſumens puer.

Sicuti vero ei qui primus ex hujus Mercatoris filiis â Variolis convaluerat, jam purgans quoddam exhibueram, quod quidem vix unicam movit ſedem, ita reliquis tribus convaleſcentibns cum itidem ut purgantia præſcribam, mater rogaſſet, ut & huic itidem denuo tale medicamentum ordinem, petiit; nec ego defui ejusdem petito, ſed uti reliquis ita huic quoque pulverem præſcripſi, qui huic ſcopo ſatisfaceret: Licet vero huic nunc purgantia in majori doſi addiderim & reliqui bini fratres ut & ſoror hinc toties ſceceſſerint, quoties quidem exoptari poterat, & nunc tn. ei vix unicam movit ſedem, poſt quam tn. tam bene ſe habuit, ut alio purgante eum opus non habere judicaverim, quibus enim tam difficulter movetur alvus, iis, niſi ſumma urſerit neceſſitas, vix ſunt exhibenda purgantia: patet interim ex memoratis, quantum vel frater â fratre differat, qua medicamentorum purgantium operationem, unde medicos indies hoc cautiores reddet in præſcribendis iisdem, ne certi quid promittant; antequam bis terve, quomodo quis ferat ea, experti fuerint.

CMXXXII.

CMXXXII.

Alumen â phthiſica innoxie ſumtum.

MAtrona quædam nobilis, cum jam diu phthiſeos principiis varia medicamenta oppoſuiſſet, & tandem fonticulum quoque excitari curaſſet, cum in hoc ulcuſculo caro luxuriaret, ad hanc conſumendam Alumin. uſt. drachmam dimidiam peti curavit, hujus cum parum in dictum uſum inſumſiſſet, quod reſtitit chartæ incluſum ſepoſuit; ſub illud ipſum vero tempus utebatur pulveribus in doſes diviſis, & ſimilibus plane chartis involutis, ê domeſticis itaque nonnemo illam ſeorſim repoſitam chartam inveniens, & pro tali pulvere, quales hactenus hera in uſum duxerat, habens, eam reliquis commiſcuit, hincque cum poſtmodum omnes pulveres conſumti fuiſſent, nullibique alumen inveniri potuiſſet, ægrota nulla dubitavit, ſe illud itidem deglutiiſſe, quod tantam eidem injecit anxietatem, ut integram noctem inſomnem duxerit, & ſequenti ſtatim mane per ancillam pharmacopœum interrogaverit, quæ noxæ inde ſint metuendæ? qui quidem non habere, quod ſibi metuat, per eandem reſpondit: at hujus dictis non fidens, non ita diu poſt mihi accedenti hæcce narravit, & quæ mea ſit mens? ut detegam, anxie deſideravit; ante omnia vero ego, an certo ſumſerit alumen? accuratius inquiſivi, aſſerens, cum guſtu cum reliquis plane non conveniat, quod ſine dubio ex hoc ſtatim notaſſet, quando illud vel ori ingeſſiſſet; & hoc quidem in principio ipſam dubiam reddidit, at alumen nullibi in domo inveniri poſſe, & pulveres â me præſcriptos numerans, eorumque unum ſupra eos quot præſcripſeram, ſe ſumſiſſe certa, interrogavit, an forſan aluminis ſapor, Cremore avenaceo, cum quo ſumſerit, obtundi potuerit? nec ego hoc negare potui, jamque ipſemet de alumine ſumto nullus ulterius dubitavi; illud tn. nocere non potuiſſe & ego aſſerui cum novum non ſit medicamenti loco illud exhiberi, & â nonnullis inter ſpecifica febrifuga numeretur, nec tam acres ejusdem ſint particulæ ut ventriculum quoque (â quo ſibi metuit,) erodere poſſit, carnemque luxuriantem non tam erodendo quam ſiccando abſumat; ſicq; vel maxime noxam quandam intuliſſet, quod alvum

alvum tardiorem reddidiſſet, ſubjunxi, quam & talem illis diebus ſe habuiſſe, recordata eſt: Sic vero ſicut illa omnem metum depoſuit, ita quam cautos in aſſervandis medicamentis ſe gerere debeant, ii, quorum intereſt, ex hac obſervatione diſcant, cum facile & aliud longe magis noxium hoc modo in uſum duci poſſet.

CMXXXIII.

Urina tincta de graviditate incerta.

RUſtici cujusdam Uxor, menſibus per trimeſtre obſtructis, partim quidem iis corripitur malis, quæ alias gravidam divexarunt, partim vero & hæc magis gravia notat, quia præſertim iisdem intermittentibus non tam ut olim melius ſe habet, quam vires inde inſumtas obſervat, quin toto corpore conſumitur, & ad quosvis labores perficiendos minus apta exiſtit; quid ergo mihi de hac re videatur? urina miſſa explorat; ubi tinctiorem eam inveniens, de graviditate me certi quid edicere non poſſe, ſtatim indicavi, quin tn. in corpore abundent pravi humores, qui dicta mala producere poſſint, nullus dubitavi; hincque leniora purgantia eidem præſcripſi: Plerumque nempe ſi mala gravidarum â ſola conceptione proficiſcantur, urina naturalem ſervabit colorem, hincque hoc mutato non immerito de humoribus etiam corruptis ſuſpicaberis, quibus ſi vel maxime gravidæ eſſent, quæ tales excernunt, leniora purgantia tuto præſcribuntur.

CMXXXIV.

Scarificationem ſubſequens caloris defectus.

COnſuluerat nuper me ancilla quædam ſcorbutica, cui interroganti, num conſultum habeam, ut ſcarificationem, quam hactenus poſt ſingulos fere menſes inſtituit, continuet? cum reſpondiſſem, in malo, quo ipſa laboret, omnem ſanguinis ſubtractionem noxiam potius quam proficuam eſſe, cum ſanguis

ſic-

ſic particulis ſpirituoſis non abundans iisdem adhuc magis privetur, & viſcidus viſcidior reddatur; adſtans ejusdem hera ſubjecit, ſe de hoc aſſerto meo adeo non dubitare, ut potius proprio ſuo exemplo confirmare poſſit; cum enim ante aliquot annos neſcio qua de cauſa itidem mediante ſcarificatione poſt ſingulos menſes ſanguinem ſubtraxerit, ſe ſemper calorem magis magisque imminutum notaſſe, huicque contra ſucceſſiſſe frigus tam moleſtum, ut identidem loca calidiora quæſiverit, & veſtibus corpus magis quam olim munierit, at nec ſic quidem calorem priſtinum rediiſſe, donec td. ſcarificationis nullum plane fructum percipiens hanc intermiſerit, ſicque ſanguinem retinuerit; ab illo enim tempore quinque jam annis præterlapſis, utut ſexagenaria aliquot annos ſit major, ſe non habere, quod de frigore & caloris defectu vel minimum queratur, hincque hunc non niſi intempeſtivæ ſanguinis ſubtractioni ſe adſcribere: Utut nempe ſcarificationis in nonnullis morbis egregius ſit uſus, quin tn. abuſus ejusdem non parvam inferat noxam, nullum eſt dubium, cum plures ſint, qui non tam ſanguinis ſubtractione quam ejusdem augmento opus habent; nec vanæ vulgi perſuaſioni, quod ſanguis ſcarificatione extractus reliquo ſit vilior, medicus verus unquam aures præbebit.

CMXXXV.

Thermas Carolinas ſubſequentes dolores.

THermarum Carolinarum cum coram nobiliſſimo quodam Medicinæ Candidato, qui me viſitaverat, mentio injiceretur, & interrogatus ego, num arthriticis has prodeſſe credam? reſponderem, pro ſubjectorum diverſitate cauſarumque hujus mali differentia omnino quosdam easdem non absque fructu quodam in uſum ducturos, at &, non deeſſe, quibus vix prodeſſe poſſint, quin me ipſum noſſe, qui poſt harum Thermarum uſum æque ac prius his doloribus torti fuerint, is ſubjecit, ſe aliquando has ipſas adiiſſe, & optime valentem animi gratia easdem ingreſſum fuiſſe, & primo quidem aqua minus calida exiſtente frigus quoddam notaſſe, quod cum majore calidæ quantitate è gutturnio profecta correxerit, calor nunc nimius

&

& ſudorem provocans ſubſecutus fuerit, cui decenter non vacaverit, hinc vero ſequentibus diebus tam male ſe habuiſſe, doloresque totum corpus pervagantes tam moleſtos percepiſſe, ut ab arthritide ſibi metuerit, hincque eo minus iis in curando hoc malo tribuat: Utut vero huic modus non ſervatus inprimis obfuerit, & aliis tn. vel exactiſſime eundem ſervantibus ejuscemodi quid contigiſſe memini; diſces autem ex hac obſervatione, non ſemper prodeſſe, ſi quis Thermas animi ſolum gratia ingrediatur, ſi præcipue errores poſtmodum commiſerit, qui omnino ſub earundem uſu ſunt vitandi.

CMXXXVI.

Secundinæ reſtitans dimidia pars feliciter extracta.

PEpererat quædam mulier ſic ſat feliciter, at ſicuti non parum ſolicitam eandem reddiderat ſecundina fœtus excluſioni non ſtatim ſuccedens, ita magnum eidem injiciebat metum, quod, dum obſtetrix promovere eandem tentavit, cum funiculo umbilicali dimidiam ſolum ejusdem partem extraxit, pernoſcenti nempe, quam gravia diutius retentam ſubſequantur mala, & nunc conſilii magis inopi, quia & obſtetrix nullum ulterius ſuggerere poterat; quæ tn. tandem aliam acceſſit hancque ut adſtet rogavit, & hæc cum primo neſcio quam herbam fruſtra eidem exhibuiſſet, exacto jam integro biduo extractionem aggreſſa fuit, & quidem Dei gratia tam feliciter, ut brevi reſtitantem in utero ſecundinæ partem luci dederit, ſummum de ſe ſpargentem fœtorem, eoque ipſo teſtantem quantum diutius in corpore detenta nocere potuiſſet: Licet nempe melius ſit, ſi extractio ſecundinæ tam diu non differatur, quod tn. & dilata feliciter inſtitui poſſit, & quidem vel aliquot jam diebus elapſis ex hac obſervatione diſces, & omnino in tali caſu hæc potius commendanda, quam mortis periculo eſt exponenda puerpera, cum raro medicamenta ſola hic ſufficiant; & licet aliquoties quibusdam feliciter ſponte tandem ſeceſſerit, plures tn. inde citius in prædam mortis ceſſerunt: At experta ſit & prudens obſtetrix cui hæc extractio committitur, cum facillime partes per quas inſtituitur lædi poſſint.

CMXXXVII.

Paſſio hyſterica puerperæ à terrore.

PUerpera quædam, cum ante duodecim dies non ſolum fœtum feliciter enixa fuiſſet, ſed & reliqua ſic ſucceſſiſſent, ut haud abs re & reliquum puerperii tempus ſe pari felicitate tranſacturam ſperaverit, hisce diebus exactis, â matre media nocte ad lectum ejusdem accedente & eam querelis ſuis, de morbo quo correpta fuerit, de ſomno excitante, ſic perterrita fuit, ut ſequenti ſtatim die peſſime ſe habuerit, dum non ſolum difficilius reſpiravit, verum & vires tam proſtratas habuit, ut cum torvum quoque adſpiceret adſtantes, obſtetrix de convulſionibus ſuperventuris ſibi metuerit, quæ & propterea ſub noctem cum marito puerperæ me acceſſit, utque conſilium ſuggeram rogavit; præſcripſi ego pulverem aliâs in tali caſu proficuum, at parum eundem profuiſſe, & jam deglutitionis quoque difficultatem acceſſiſſe tantam, ut nec alimenta nec medicamenta deglutire poſſit, ſequenti die maritus retulit, & hinc ut viſitem Uxorem ſuam rogavit; cui petito dum ſatisfacio, & quibusvis perpenſis non tam fauces alio modo læſas quam motibus nervorum ſpasmodicis in munere ſuo inpeditas invenio, paſſionem hyſtericam inprimis eſſe, quæ hanc divexet judico, & hinc talia præſertim medicamenta quæ huic opponi ſolent, ordino; nec fruſtra, hisce enim in uſum ductis Dei gratia brevi convaluit: Sic vero terror puerperis varia inducit mala, adeoque quantum quidem fieri poteſt, ab iisdem eſt avertendus: Tam facile vero hæc deglutitionis difficultas curari non potuiſſet, ſi faucibus potius quam utero mederi quis voluiſſet, cujus ut in pleriſque aliis mulierum morbis, ita ſi præſertim puerperæ ægrotant, maximam habendam eſſe rationem, Practici celeberrimi non absque cauſa inculcant.

CMXXXVIII.

Malarum dextræ tumor cataplasmate diſcuſſus.

VIr quidam nobiliſſimus, triginta fere annorum, cum jam per plures annos Dei gratia ſanitate tam integra fruitus fuiſſet,

ut

ut nullo unquam medicamento opus habuerit, eo magis ægre tulit, cum nuper aliquandiu dolor dentium eundem incommodaſſet, cum præſertim huic malarum dextræ tumor acceſſiſſet, hujusq; ergo domi manere cogeretur; unde primo quidem Chirurgum quendam conſuluit, qui ſparadrappum, quem â colore viridem nominant, parti affectæ impoſuit, at tam fruſtra, ut non ſolum dolores inde aucti fuerint, verum & tumor majorem acquiſiverit duritiem, unde jam ſacculum herbis emollientibus repletum ccum in uſum duxit, verum & ex hujus uſu nullum prorſus percepit levamentum, jamque amicis, quia appetitus quoque quodammodo proſternebatur, ne aliud quoque ſubſit malum, metum injecit, unde ut ego accedam, & quid mihi de hoc malo videatur? judicem, rogatus fui; cui petito dum ſatisfeci, Dominum ægrotum â febre quidem (cujus maximus ſuberat metus,) immunem inveni, at de tumore tantum conquerentem; ut hunc imprimis diſcutiendum eſſe, ſi ei quis ſatisfacere voluerit, abunde conſtiterit, cum præſertim poſt aliquot dies iter eidem aggrediendum fuerit non parum neceſſarium; præſcripſi ergo ego pulverem pro Cataplasmate cum lacte parando, hocque ſæpius calidum applicare parti tumenti juſſi, ſimul vero pulverem diaphoreticum mane & veſperi ſumendum, ut & uſum Infuſi Herbæ Thee eidem commendavi; quæ quidem Dei gratia tantum poſuere, ut iis vix per triduum in uſum ductis, detumeſcente parte affecta reliqua quoque mala ceſſaverint: Cum vero ea â dente carioſo originem ſuam traxiſſe conſtiterit, niſi hic extrudatur, ne brevi redeant, non inanem ſubeſſe metum indicavi: Jam dudum vero notavi talia cataplasmata in diſſipandis ejuſcemodi tumoribus non parum prodeſſe, cumque ſic alibi jam hac ipſa de cauſa prolata confirmentur, hæc commode iisdem ſubjungi poterunt.

CMXXXIX.

Febris malignæ principia metu contrahens.

CUm ancilla illa, cujus hiſtoriam haud ita pridem dedi, quæ nempe in febris malignæ principio ſanguinem ſputo rejecit,

per primos morbi dies in hypocauſto communi me licet diſſuadente decumberet, inde ſocia ejusdem tantum ſibi metuit, ut tertio ſtatim die & ipſa de capitis dolore queſta fuerit, pulſusque celerior nec â febre eam eſſe prorſus immunem, ſufficienter indicarit, unde & de lecto ſurgere non potuit, & ne eodem cum ſocia morbo laboret, non ita inanem hero ſuo metum injecit, quin & me permovit, ut per biduum vel triduum non niſi alexipharmaca medicamenta eidem exhibuerim; Verum enimvero ſicuti his ſumtis calor nimius brevi imminutus fuit, ita Dei gratia non ita diu poſt ſic convaluit, ut, ſi voluiſſet, laboribus vacare iterum potuiſſet; inſumſit tn. viribus colligendis â hero lubenter conceſſum tempus, & ſic eo melius ſe habuit: Tantum nempe intereſt, ne meticuloſi verſentur cum iis, qui morbis contagioſis decumbunt, quantum itaque in te erit, ſemper illos ab his arcebis; modo vero principio ſtatim eatur obviam, per metum contracta talia mala non ita difficulter curantur.

CMXL.

Secundina infeliciter evulſa.

Mulier quædam paupercula, cum partui vicina obſtetricem vocaſſet, jamjam in eo occupatam, ut alterius recens natum infantem ad S. Baptismum promoveat, hæc quidem acceſſit, at ſtatim proteſtata eſt, ſe manere non poſſe, & hinc aliam eſſe vocandam, & quoniam ejus quam deſiderabat parturiens ædes procul ab hujus ædibus diſtabant, quandam in vicinia habitantem commendavit, & huic accedenti parturientem tradidit, ſicque quaſi re bene geſta diſceſſit; licet vero non ita diu poſt, nec ita difficulter pepererit miſera, & fœtum Dei gratia ſanum enixa fuerit, ſecundina tn. non ſucceſſit, hincque ea, quæ adſtiterat obſteſtrix, ut alia vocetur petiit, non tn. ex illis, quibus aliâs labor ſecundinam extrahendi committitur; hæc itaque accedens ſic ſat audacter laborem aggreſſa eſt, at juxta hoc minus prudenter, dum fortius annexam utero ſecundinam ſine dubio vi evulſit, quod non ſolum ex clamoribus, quos ob dolores inde ſubor-

ſubortos edidit puerpera, ſed & inſigni ſanguinis profuſione, quæ extractam ſecundinam excepit, abunde conſtitit, cum præſertim hæc nullo medicamento inhiberi potuerit, unde & vix bihorio poſt infelicem hanc evulſionem exacto, vivorum numero ſubtracta fuit; Sicuti vero tres hæ obſtetrices omnino ſeriam reprehenſionem merentur, dum prima aliam potius ad S. Baptiſmum, quam ad hoc opus ſubornare, ſecunda huic operæ deſtinatam vocare, & tertia aut plane non, aut doctius ſaltem hunc laborem aggredi debuiſſent; ita quantum interſit, ut ſecundina reſtitans rite tractetur, & non tam avellatur, quam paulatim ſeparetur, hæc obſervatio docet.

CMXLI.

Caffee coctionem Ventriculi juvans.

VIr quidam muneris dignitate clarus, nondum multos ſupra triginta annos numerans, nuper queritur, quod poſt cœnam præſertim notet dolores ventriculi, quos gravativos nominant, qui ſæpiuscule tam moleſti exiſtant, ut in poſterum à Cœna prorſus abſtineret, niſi appetitus ſic urgeret, ut omnino ea carere non poſſit; ut ergo conſilium ſuggeram, quomodo coctio ſit promovenda, rogat; commendo ego in principio Vinum generoſum, & hujus loco ipſe bibit Spir. Ceras. n. at tantum abeſt, ut inde dolor is inhibitus fuiſſet, ut potius per noctem illam eum magis quam olim unquam divexarit, unde jam alterum remedium, quod laudaveram Decoctum nempe Caffee itidem tentat, & poſt cœnam unam alteramve ejusdem ſcutellam evacuat, & ecce! hoc tantum prodeſt, ut ab illo tempore vel minimum de dolore ventriculi queri non habuerit opus, unde nunc diligentiſſime hoc Decoctum continuat, & apud alios quoque laudibus extollit: quod vero in lineis meis medicis de Infuſo Thee me narraſſe memini, hoc nempe coctionem promoviſſe, idem cur â Decocto Caffee expectari non poſſet, nulla ſubeſt cauſa, cum hoc calore ſuo actuali idem quod illud præſtet, aliisque pluribus cum eo convenientibus inſtructum ſit viribus.

CMXLII.

Febris malignæ contagium per plures dies latitans.

Figuli cujusdam Uxor quinquagenaria, & olim aliquoties pluribus morbis obnoxia, hincque macilenta nec viribus ita multis inſtructa, cum â die ſexto Februarii Anni MDCCI. ad vigeſimum quartum fere usque, filiæ febre maligna cum petechiis graviter decumbenti ſedulo adſtitiſſet, quamdiu quidem hac opera defuncta fuit, Dei gratia non ita male ſe habuit, at ab illo tempore, quo filia convaluit, laſſitudinem minus conſuetam cum appetitu proſtrato notavit, quæ tn. mala, quia ſimul negotia ſua domeſtica perficere potuit, minus curavit, donec die fere decimo quarto calor nimius accedens cum inſigni cordis anxietate eam de febre ſic ſat certam reddiderunt, unde & in lectum ſe contulit, & Theriacæ Andromachi dimidiam fere drachmam ſumſit, poſtque hanc ſumtam ſudori vacavit; quoniam autem nullum prorſus levamentum inde percepit, ſed malum potius indies incrementum ſumſit, die morbi decimo ſexto me in conſilium vocavit, ubi, cum vires ejusdem non parum oppreſſas inveniſſem, tam multum etiam temporis ex eo, quando contagium hauſerat, jam præteriiſſet, ægrotaque per ſe non admodum robuſta exiſtebat, non niſi dubius admodum de morbi eventu eſſe potui, quod & marito indicavi, ſimul tn. medicamenta, quæ ê re futura credidi, præſcripſi; quibus ſumtis ſequenti die majorem adhuc mihi metum injecit, quia retulit ſe heri aliquoties ſanguinem purum ſputo rejeciſſe, nec morbus interea vel minimum imminutus fuerat; perrexi tn. medicamentis alexipharmacis, & hisce convenientia adſtringentia immiſcui, quibus illico hoc ſputum fuit inhibitum; at jam ſudor continuo inſtans illi per ſe conſumtæ non ita injuſtum concitavit metum, quia præſertim, ſi eum avertere & impedire vel minimum tentabat, anxietas ſtatim multum augebatur; quod tn. me permovit, ut nihilominus alexipharmaca continuarim, non tn. tam volatilia, quam fixiora, imprimis, ex Uni Cornu Foſs. cui aliquoties ſpecificum Antih. adjeci, conſtantia, quæ Dei gratia ſicuti ſudorem non tam inhibuerunt, quam quodammodo refrenarunt, ita feliciter petechias expulerunt, quibus ubique corpus depingentibus DEI gratia melius ſe habere cœpit, & per aliquot dies continuatis modo lau-

do laudatis medicamentis, die fere decimo quarto poſt me vocatum convaluit, cum prius in ſomno ei viſum fuiſſet, dormiendo ingens lectum eſſe conſumendum, hocque poſt duas noctes conſumſiſſet; ſudor vero jam ſponte itidem ceſſavit, nec aliis medicamentis opus habuit: Ex hac obſervatione quemadmodum conſtat, ſic ſat diu aliquando contagium latere poſſe, antequam febrem malignam producat, hincque multoties de vero talium febrium principio non facile quid ſtatuendum eſſe, ita tn. has febres non omnino fruſtra nos aggredi, & inprimis, ubi vel maxime hecticæ metus ſubeſt non tam ab alexipharmacis medicamentis deſiſtendum, quam ea aliquantum mutanda eſſe, eadem docet.

CMXLIII.

Hernia ab incantatione.

MUlti jam præteriere anni, quod hic loci fœmina vixit, peſſimæ famæ, & ſine dubio illicitarum quoque artium gnara, quæ per bene longum temporis ſpatium, varia tum per vomitum rejecit, tum per pudendas partes excrevit, quæ naturaliter gigni in his partibus non potuiſſe, nemo fuit, qui unquam dubitaviſſet; cumque non ſine inſigni quadam vi quædam evomuiſſet, ſubito aliquando de tumore hinc in inguine ſuborto queri cœpit, quem cum non ſolum medicus jam dudum vivis exemtus, qui ipſe mihi hæc narravit, ſed & Chirurgus, poſtmodumque vocatus herniotomus pro hernioſo agnoviſſent, eodem indies incrementum ſumente, & td. graviorum malorum metum injiciente, hi artis periti viri unanimiter ſtatuerunt, non niſi ſectione mediante curari hoc malum poſſe, hincque, cum prius denuo partem affectam inſpexiſſent, in ſequentem diem eandem inſtituerunt; convenerunt etiam hora conſtituta, & quæcunque ad talem operationem requiruntur, in ordinem redegerunt; ſed ecce! dum ægrotam accedunt, & jamjam ipſum opus aggredi volunt, nec veſtigium quidem herniæ inveniunt, omniſque tumor ſic diſparuit, ut qua has partes non niſi pro ſaniſſima haberi potuerit; mirabundi itaque ſe invicem aſpicientes & res ſuas

, colli-

colligentes diſcedunt, & ad eos, ad quos ſpectabat, hunc quoque caſum referunt: Tu vero ex hac hiſtoria, quæ hisce diebus mihi in memoriam revocata fuit, diſces, quam cautum ſe gerere debeat medicus, qui in morbis ab incantatione ſubortis vocatur, niſi aliorum riſui ſe exponere velit, utque hernias quoque in ejuscemodi hominibus ſuſpectas habeat, ea in ſpecie eundem docebit.

CMXLIV.

Bilis exundans malignitatis ſuſpicionem injiciens.

MErcatoris cujusdam primarii, Uxor, tenerrimæ conſtitutionis, & ſemper opus habens, ut ea in uſum ducat, quæ hecticam avertere poſſe creduntur, ante aliquot dies ſubito minus bene ſe habet, & non ſolum de dolore capitis verum & ſumma virium proſtratione queritur quin hinc in lectum proſternitur, unde, cum & appetitus proſtratus acceſſiſſet, ſimulque alvus nimium flueret, me in conſilium vocavit; licet vero nec minimum quidem febris indicium deprehendere potuerim, quia tn. tam ſubitanea virium proſtratio ſuſpicionem quandam malignitatis injiciebat, pulv. Pannon. r. eidem præſcripſi, quo non ſine nauſea ſumto non ita bene ſe habuit, donec vomitus bilioſus ſupervenit, qui ſicuti reliqua quævis mala demitigavit, ita bilem inprimis redundantem eadem concitaſſe prodidit, unde jam rediens Specif. Stom. Poter. uſum eidem inprimis commendavi, quo ſumto noctem magis quietam duxit; reliquias tn. exundantis bilis in Ventriculo & primis viis adhuc reſtitare nullus dubitans, cum Rhabarbarum ſumere detrectaret, & alia purgantia ipſam ægerrime ferre noſſem, Pilul. FF. uſum eidem laudavi, quas & ſumſit, jamque Ventriculum melius ſe habuit, nunc ſolum de oris ſiccitate querelas movens, cui Jusculum Bellide alteratum opponere juſſi, quod quippe & alias profuiſſe memini: Sic vero bilis exundans varia ſæpius producit mala, quæ eam in viam reducendo mars præ aliis medicamentis pellit.

CMXLV.

CMXLV.

Sulphur ſub uſu florum ſulphuris redolens.

CUm plura medicamenta in uſum ducta phthiſicam quandam, ſicuti quidem ſperaverat, non juviſſent, propterea etiam inſignem illum Medicum *Brunnerum* per litteras conſuluit, qui præter alia flores quoque Sulphuris eidem commendavit, ad dimidium ſcrupulum cum anatica Sacch. cand. quantitate quotidie mane cum ovo recenti ſorbili ſumendos, quoniam vero tum aliorum quoque medicorum celeberrimorum conſilium petierat, hique pulv. ex Specif. Antih. Balſ. Peruv. ſicc. & Extr. Cortic. Peruvian. conſtantem præſcripſerant, non tam illo modo hos flores in uſum duxit quam memorato modo pulveri immixtos, & ecce! quam diu quidem iisdem ſic uſa fuit, odorem expiravit, qualem illi expirant, qui allium comederunt, eumque tam copioſum, ut, quicunque hypocauſtum, in quo morabatur, ingreſſus fuit, eum ſtatim & quidem non absque quadam moleſtia, notarit, quem ſulphuri ortum ſuum præbuiſſe, vel exinde patuit, quia ob menſes inſtantes ſepoſito hoc pulvere ſtatim hic odor evanuit; quin, cum poſtmodum eo modo, quo Perilluſtris *Brunnerus* juſſerat, eum quoque in uſum duxiſſet, rediit, & jam ſulphur ſic redoluit, ut illud in conclavi accenſum fuiſſe, paruerit; licet vero hactenus inde nondum convaluerit, tam notatu dignum tn. florum ſulphuris effectum communicatione dignum judicavi, cum ſic conſtet, omnino eos intimius ſanguini miſceri, non enim tam ex ſolo ore quam toto corpore exhalare, hunc odorem nullum eſt dubium.

CMXLVI.

Venæſectio Seni decrepito Pleuritico proficua.

INciderat olim ſutor quidam octuagenarius in Pleuritidem, quam inprimis tam difficilis comitabatur reſpiratio, ut, niſi huic quam primum obviam eatur, eum ſuffocatum iri, vel ipſe medicus experientiſſimus tum vocatus jam beatorum choro adſcri-

ptus, non abs re ſibi metuerit, unde, cum viribus polleret ſenex hic, ceteraque quævis indicantia permitterent, quin quædam juberent, ſolos annos tanti habendos non eſſe, ut propterea Venæſectio non eſſet adhibenda, nullus dubitans hac mediante decentem ſanguinis quantitatem ſubtraxit, & quidem DEI gratia tam feliciter, ut juxta in uſum ductis medicamentis convenientibus non ſolum convaluerit, ſed & aliquot annos vixerit, optima pro tanta ſenectute fruens ſanitate: Quod ſicut illuſtris beati hujus Medici filius *D. D. Schrökius* cum nuper una mecum Venerando cuidam Seni Venæſectionem commendaſſet, ut hic eo fidentius admitteret, recenſuit, ita ſi Tyrones præſertim inde inanem ſæpe â Venæſectione ſenibus commendanda metum depoſuerint, & probe penſitatis tum indicantibus tum contraindicantibus eandem interdum admiſerint, hanc etiam obſervationem ſuo uſu non caruiſſe, vel hi teſtes erunt.

CMXLVII.

Bilis poſt balneum â nimio cereviſiæ potu in motu ſuo interturbata.

MErcatoris Vidua illa, cujus hiſtoriam nuper dedi, quæ nempe â febre maligna, utut Urinam fere aqueam excreverit, Dei gratia feliciter liberata fuit, cum ab illo tempore ſanitate tam integra fruita fuiſſet, ut vix habuerit, de quo queri opus habuiſſet, menſe ferme elapſo Laconicum ingreditur, ibique ſudori quidem ſoli vacat, & corpus balneo non immergit, ſimul tn. ſitim tam vehemententem contrahit, ut multum admodum cereviſiæ ad hanc ſedandam ingeſſerit, quam vero Ventriculus ægre tulit, unde non ſolum vomitus ſucceſſit, verum & hunc alvi fluxus excepit non adeo quidem moleſtus, at quoniam Urina quoque plus ſolito tingebatur, metum novi morbi injiciens, unde me vocavit, & quid mihi de hac re inprimis videatur? ſolicite interrogavit; ubi cum omnia accuratius penſitaſſem, per potum illum nimium bilem in motu ſuo conſueto interturbatam ſingula hæc mala excitaſſe judicavi, hincque huic imprimis dicata remedia præſcripſi, ſic ut præſertim extravaſatam jam per lene & ex Extracto

Rhabarb.

Rhabarb. inprimis conſtans medicamentum ſubtraxerim, quod cum tres adhuc ſedes moviſſet, alvi fluxum ſtatim inhibuit, cumque poſtmodum Eſſent. martis aliquoties ſumſiſſet, inde iterum DEI gratia convaluit: Sicuti nempe hæc ſudore nunc minime opus habuit, cum febre maligna decumbens plurimum ſudarit, ita hoc mediante ſero in nimia quantitate profuſo non potuit non ſitis ſuccedere, in qua pota in nimia quantitate Cereviſia bili minus balſamicæ inſidiata fuit, quod dicto modo ſe exſeruit: Sine dubio vero niſi hæc blando laxante ſtatim ſubducta fuiſſet, tam facile hæc mala curari non potuiſſent, cum jam ſic ex Urina conſtiterit, arctius bilem ac quidem conducit, cum reliquis humoribus commercium ambiiſſe.

CMXLVIII.

Sterilitas loci mutatione curata.

EAdem hæc Matrona poſtmodum narravit, quod per integros ſedecim annos in conjugio ſterili vixerit, licetque quamplurima huic ſterilitati oppoſita â præcipuis medicis ſuggeſta medicamenta quam diligentiſſime in uſum duxerit, interdum etiam empiricorum quorundam commendatiſſima arcana interpoſuerit, nil quicquam tn. hisce omnibus profecerit, donec tandem non tam hac de cauſa quam aliis quibusdam rationibus commotus maritus ſuus locum mutarit, & huc Auguſtam ſe contulerit, cum enim hic loci vix per ſemeſtre morata fuerit, ſe ſigna quædam conceptionis notaſſe, hisce tn. vix fidem adhibuiſſe, donec elapſis novem menſibus fœtum ſanum ediderit; & poſtmodum ter adhuc ſe concepiſſe, unde & duas ſuperſtites filias habeat: Sicuti vero hæc hanc fœcunditatem potus præſertim mutationi, dum hîc Vino ad Lacum Podamicum expreſſo cereviſiam noſtratem ſubſtituit, adſcripſit, dum nempe illud menſes craſſos atque, nigricantes reddiderit, hæc autem correxerit, ita loci tn. mutationem quamplurimum contuliſſe, ego quidem totus ſum perſuaſus, & ubi requireretur, ſimulque ceteræ circumſtantiæ admitterent, aliis quoque eandem commendare non dubitarem.

CMXLIX.

Febris vehementer invadens brevi terminata.

VIr quidam Illuſtris, ſeptuagenario quidem major, at DEI gratia viribus tam præſentibus pollens, ut ex ceteris quibusvis indiciis eum vix pro ſexagenario haberes, cum nuper nullum errorem in diæta commiſiſſet, nec ullius rei, cui merito adſcribi potuiſſet, recordaretur, ſubito tn. tam inſigni correptus fuit frigore, ut licet in hypocauſto calefacto lecto corpus probe texerit, per integrum tn. bihorium hoc inſtiterit, & vix verbum proferre commode potuerit; quod tn. tum adſtantes aeri frigidiuſculo adſcribentes, qui eum ſenem nunc magis ac aliâs incommodavit, minus curarunt; at cum frigus hoc calor quoque inſequeretur tam intenſus, ut manibus etiam tangentium patuerit, hoc ſemper incrementum ſumente, ne febris maligna ſubſit, ſibi metuere cœperunt, & hinc nocte inſtante me vocarunt, ubi, quum accederem, ex pulſu celeri & magno, æquali tn., eum febricitare ſic ſat conſtitit, quia tn. juxta præſentis erat animi, de nullo alio malo querebatur, nec pro ſic ſat acri calore difficulter reſpirabat, pro febre ephemera hanc ſtatim habui, & hinc me totum ſperare, nullum prorſus periculum ſubeſſe, malumque ultra viginti quatuor horas non duraturum, indicavi; nihilominus vero more meo Potiunculam eidem præſcripſi ex pulv. Pannon. & Antim. diaphor. præſertim conſtantem, qua vix in uſum ducta ſudor ſucceſſit, hocque mediante omnis calor nimius ſic diſcuſſus fuit, ut non ſolum noctem placidam egerit, ſed & ego ſequenti die rediens nullum ejusdem reſtitantis incidium deprehendere potuerim, ſicque febris hæc non tam per tot horas, per quot ego quidem prædixeram inſtiterit, ſed vix ſex elapſis iterum ceſſaverit; metuens vero, ne forſan intermittens ſubſit, pulverem præcipitantem bis in uſum ducendum ordinavi, ſed quia nec ſecundo nec tertio die febris rediit, quin ſemper melius ſe habuit Dominus ægrotus, & hunc metum vanum fuiſſe conſtitit, hincque eidem interroganti, num Rhabarb. ſumere liceat? hoc conceſſi, quod cum alvum moviſſet, DEI gratia tam bene ſe habuit, ut quarto die ſanus & incolumis

mis exhibito honorario me dimiſerit: Sicuti vero febrem cum tanta vehementia invadentem tam cito & penitus ſe remiſiſſe, inter quotidiana vix eſt numerandum, ita inde iterum confirmatur, nos in principio febrium certi quid de earundem duratione prædicere vix poſſe; & in tam parvæ durationis autem febribus alexipharmaca tuto, quin cum quodam fructu exhiberi, hæc obſervatio itidem docet; nolim tn. ut hoc ad volatilia quoque extendas, cum talia, qualia hic præſcripſi, ſi vel maxime malignitas quædam ſubeſſet, nihilominus, in principio morbi ſufficerent.

CML.

Rhabarbarum aqua frigida pota vomitum movens.

PUella quædam novem fere annorum, cum ſubito ictero laborare cœpiſſet, me ſuadente quindecim pulv. Rhabarb. nobil. grana non absque nauſea quadam ſumſit, quia vero poſt illud ſumtum aliquoties Juſculum comedit, & alvus aperta fuit, cum integro trihorio poſt vomitus ſucceſſiſſet, hunc non tam ab hac nauſea quam aliunde derivandum eſſe, judicans, in ea, quæ geſta fuerint, diligenter inquiſivi, unde tandem retulerunt, eam paulo ante vomitum aquam frigidam bibiſſe, hacque vix deglutita illum ſucceſſiſſe, omnino itaque intempeſtivo huic potui eundem originem ſuam debere nullus dubitavi, & hinc, ut in poſterum meliorem puellæ gerant curam juſſi, cum ſine dubio ſi loco hujus juſcula continuaſſet, vomitus nunc minus neceſſarius impediri potuiſſet: Patet autem ex hac hiſtoriola, quam bene moneant experti medici, poſt purgantia ſumta debitum regimen eſſe ſervandum, ſi enim ejuscemodi quid contigit, errore poſt purgans tam lene ſumtum commiſſo, quanto magis oberit, ſi in uſum ductis vehementioribus purgantibus talis error committatur.

CMLI.

Conceptioni adſcripta mala td. mortem inferentia.

PLures jam præteriere anni, quod Nobiliſſima quædam matrona, viginti ſeptem fere annorum, Ventriculo minus bene ſe habere cœpit, & vomitu aliquoties quævis ingeſta rejecit, unde maritus ejusdem in pago tum degens, & miris quas hujus incolæ carnifici tribuerunt laudibus excitatus, hunc urina miſſa conſuluit, qui neſcio quo ſpiritu afflatus, niſi ſeria ejus geratur cura, periculum mortis ſubeſſe, edixit; quod quidem eam, ut huc Auguſtam ſe contulerit, permovit, non quidem ut conſilio hujus impoſtoris uteretur, ſed ut medicum ſuum ordinarium conſuleret, qui quævis hæc mala conceptioni adſcribens, alia quam fœtum & Ventriculum roborantia medicamenta non præſcripſit; unde tn. malum minime ceſſit, ſed potius intenſiſſimus ſupervenit capitis dolor, qui pluribus adhibitis externis medicamentis nec minimum quidem mitigatus fuit, donec td. pulverem (quem pro opiato habuit ea, quæ mihi hiſtoriam recenſuit, ſoror ejusdem,) ſumſit, qui dolorem illico ſopivit, ſic vero, ut cetera jam ægra longe pejus ac prius ſe habuerit, unde & ad mortem ſe præparavit, ſine dubio futurorum quodammodo præſcia, paulo poſt enim convulſiones ſupervenere, quæ non ſolum per plusculas horas inſtiterunt, verum & eam vita privarunt: Quæ quidem hîc recenſeo, ne unquam nimium conceptioni tribuas, ſed malis etiam ab hac derivandis ſic occurras, ut, ſi vel alius morbus ſubeſſet, vel aliæ cauſæ eadem producerent, hiſce tn. nihilominus obviam eatur, ne diutius quam par eſt iisdem neglectis tam gravia producantur mala; quo ipſo vero & alibi hunc ipſum in finem â me adducta confirmantur.

CMLII.

Hydrops eſu pomorum frixorum revocatus.

VIr quidam ſenex, olim non ſolum variis aeris injuriis expoſitus, verum & cetera diætam non adeo exactam ſervans inde

inde paulatim ea contraxit mala, quæ aliâs hydrops preſſo ſequitur pede, quibus tn. cum inſignis ejusdem medicus medicamenta convenientia oppoſuiſſet; ea, DEO benedicente, ſic profuere, ut eum convaliturum iterum, non ita vana ſpes affulſerit, urina præſertim priſtinum acquirente colorem, & in majori ac paulo ante quantitate excreta; dum vero ſic & appetitus rediit, huicque pomis in butyro frixis ſatisfecit, (quo quidem cibo plures noſtratium delectantur, & mulierculæ quædam convaleſcentibus imprimis prodeſſe falſiſſime ſibi perſuadent,) huic conficiendo impare exiſtente ventriculo, hincque novis cruditatibus collectis adeo quævis priora mala revocata fuere, ut jam quævis medicamenta fruſtra in uſum duxerit, hydropsque non ita magno temporis intervallo tantum augmentum ſumſerit, ut ipſum vivorum numero ſubtraxerit: Quemadmodum vero hæc ipſa poma ſic frixa uni alterive â febribus convaleſcentibus itidem tam noxia extitiſſe, in lineis meis medicis legiſti, ita cum ibi dicta hac hiſtoria non parum confirmentur, vitio non vertet, qui eam narravit, quod hîc producta fuit.

CMXLIII.

Dolores ſingulares ſingulari modo curati.

MAtrona quædam honeſta, per bene longum temporis ſpatium dolores imprimis perſenſit, quando ad menſam quandam acceſſit, qui quoniam iterum ſe remiſerunt, ea ab eadem denuo recedente, hanc menſam ſuſpectam reddiderunt; unde neſcio quo ſuadente propius illam inſpexit, & ſignum quoddam, (quod nonnulli forcipis fuiſſe, retulerunt,) eidem inuſtum invenit, hincque dolari eam per Capſarium curavit, & ſcobes in ignem conjecit, ſicque combuſſit; ab illo vero tempore â doloribus hisce eandem immunem vixiſſe gener ejusdem medicus doctiſſimus, quem hac de cauſa interrogavi, retulit; ſicuti vero hic ipſe me certiorem quoque reddidit, quod verum non ſit, ancillæ cuidam excitato hoc igne puſtulas hinc in toto corpore erupiſſe, hincque eam ſigni inuſti & veneficii ream fuiſſe factam, ita tn. ipſi dolores notatu omnino digni ſunt, & veneficio inductos fuiſſe, non prorſus vana eſt ſuſpicio, modoque omnis abſit ſuperſtitio, ſi ejuscemodi

modi quid innotuerit, vix melius in tali malo conſules ægrotis, quam combuſtis iis, quæ aliquid contuliſſe non abs re creditur, ſic enim ſublata cauſa non poteſt non & ipſum malum tolli: Verum enim vero quemadmodum in ejuscemodi malis non raro falſæ quædam perſuaſiones ſubſunt, ita nunquam fere debito diutius judicium tuum de iisdem ſuſpendere poteris.

CMLIV.

Medicamentum in plures partes dividendum una vice ſumens.

MUlier quædam ruſtica acceſſit medicum quendam beatorum numero dudum adſcriptum, afferens urinam mariti, ſimulque referens, quod tum pedibus tum abdomine indies magis intumeſcat, & hinc peſſime ſe habeat, atque rogans, ut medicamentum, at, (cum ſit paupertinæ conditionis) minus pretioſum ſuggerat; tum ex inſpecta vero urina, tum ex jamjam relatis judicans medicus hydropem eſſe, quo ruſticus hic laboret, nec abs re in lixivio quodam auxilium quærens, cineres neſcio quales eidem dedit, hosque in vino aut aqua infundere juſſit, infuſum vero in ſex fere partes dividendum, hujusque quotidie unam doſin ſumendam eſſe, expreſſe juxta monuit: redit domum ruſtica, & pro nimis pretioſo vinum, aquam autem minus conveniente forſan habens, Cereviſiæ cineres injicit, & cum eadem probe commiſcet, aut oblita tn. aut minus ſerio monens maritum in plures doſes eandem eſſe dividendam, huic illam porrigit, qui ſiticuloſus, uti quidem plerique hydropici ſunt, brevi temporis ſpatio, vas in quo hæc cereviſia medicata continebatur, evacuat, & inde non ſolum per urinam verum & per alvum tam inſignem ſeri extravaſati copiam deponit, ut tandem & vires deficere inceperint; quas tn. paulatim collegit, & ſic ab hydrope liberatus fuit, ut poſtmodum pro communicato hoc remedio inſignes medico egerit gratias: diſces autem ex hac obſervatione, quam multi identidem in exequendis medicorum mandatis committantur errores, licetque tam magnam Lixivii doſin in hydrope vix cuiquam propterea, quia hunc juvit, ſuadebis, interdum tn. in eadem augenda ſi minus timidum tales obſervationes te reddiderint, nec ſic uſu ſuo carebunt.

CMLV.

Dolores poſt partum à ſanguine grumoſo.

MAtrona quædam honeſtiſſima, cum decimo quinto partu filiolum Dei gratia feliciter utut difficulter enixa fuiſſet, aliquamdiu quidem abſoluto hoc labore non adeo male ſe habuit, at vix elapſa hora tantis doloribus fuit correpta, ut aliâs ſic ſat fortis ab ejulatibus tn. ſe continere non potuerit, quin poſt mediam noctem opem meam anxie deſiderarit; ubi præſcriptus quidem pulvis ex lap. ♋ & Cinnab. nat. præſertim conſtans quoddam levamentum attulit, verum enim vero non ſic diſcuſſi fuerunt dolores, quin ſupereſſe adhuc, quod eosdem foveat, ſufficienter conſtitiſſet, unde diligenter hunc pulverem continuavit, donec td. grumoſi ſanguinis non adeo exiguam quantitatem excrevit, hoc enim excreto omnes dolores ſic evanuerunt, ut eorum nec indicium quidem ſuperfuerit; ſicuti vero, exinde conſtat dolorum poſt partum quoque non unam ſolum ſubeſſe cauſam, & inprimis ſanguinem etiam grumoſum ſubinde eosdem excitare, ita de hac cogitans, & in eam, quæ merito accuſanda ſit, ſedulo inquirens, longe felicius puerperis cum talibus doloribus confligentibus adſtabit, quam minus de illa ſolicitus.

CMLVI.

Fœtus mortui partus matris doloribus ſuccedens.

PRæfecti cujusdam pagani Uxor ſexto vel ſeptimo fœtu gravida, medio fere octavo â conceptione menſe doloribus tum capitis tum inprimis dentium tam acerbis corripitur, ut ſomnum capere præ iisdem per aliquot noctes non potuerit; licet vero, quamdiu hi dolores inſtiterunt, fœtus motum ſic perceperit, ut hunc fere pro nimio habuerit, & hinc eum quoque minus bene ſe habere, collegerit, ceſſantibus tn. ſponte doloribus & hic ſic ceſſavit, ut jam de fœtus ſumma debilitate non ita inanis orta fuerit ſuſpicio, cumque hic per integros undecim dies ſic quietus jacuiſſet, ſubito die quodam pondus verſus uteri orificium tendens notavit, quod cum comitarentur dolores aliâs partum antecedentes, utut tempus ejusdem verum nondum inſtiterit,

hos tn. ſecundavit, nec ita difficulter fœtum at mortuum excluſit, quem jam per aliquot dies vita privatum fuiſſe, tum cuticula ejusdem ſecedens, tum color ſecundinæ præſertim nigricans, tum fœtor cadaveroſus exhalans abunde teſtabantur; quoniam vero poſt partum nec guttam quidem ſanguinis excrevit, hujusque fluxus poſt aliquot demum horas ſucceſſit, non tn. talis, qualis olim partum ſubſecutus fuerat, cum non ſolum aquoſus verum & purulentus extiterit, diutiusque, per integras nempe octo hebdomadas inſtiterit, ſupra has quinque fere diebus elapſis me conſuluit, & an vel quali medicamento opus habeat? interrogavit; licet vero jam ſic ſat bene ſe habere, retulerit, quoniam tn. ex tam diu inſtante lochiorum fluxu ſic ſat certo conſtitit, in utero peregrimi quid adhuc contineri, medicamento huic purgando dicato eam omnino opus habere judicavi, & hinc Vinum medicatum præſcripſi, quæ in ejuscemodi caſibus hactenus non parum proficua inveni: Diſces autem ex hac obſervatione quod dolores matris diutius inſtantes td. & fœtui inſidientur, hincque iis omnino, quantum fieri poteſt, obviam eſſe eundum, nullus dubitabis; non vero ſemper difficilem quoque eſſe partum fœtus mortui eadem itidem confirmatur.

CMLVII.

Sevum avide comedens Gravida.

MAtrona quædam honeſta cum nuper apud alias appetitus illius mulierum præſertim gravidarum depravati, quem picam & malaciam nominant, mentio injiceretur, narravit, quod, haud ita diu poſtquam primo conceperit, ſevum illud, ex quo candelæ conficiuntur, quodque plerumque bovinum eſt, tanto cum appetitu comederit, ut nunquam eodem exſatiari potuerit; unde non ſolum interdum ipſas candelas aggreſſa fuerit, verum ipſa quoque candelabra hinc inde ſevo à candelis profluente inquinata non jam ancillis purganda conceſſerit, verum lingua ſua deterſerit; ſicque modo plane inaudito purgaverit, tamque gratum ſibi extitiſſe hoc ſevum, ut vel delicatiſſimis epulis illud prætuliſ-

tuliſſet, & ſaccharo dulcius palato ſuo paruerit; utut vero ejusdem toto fere geſtationis tempore non ita exiguam quantitatem abſumſerit, nunquam tn. inde male ſe habuiſſe, nec ullum ſibi ſuperveniſſe morbum, qui depravato huic appetitui adſcribi potuiſſet; licetque infans natus brevi mortuis aſſociatus fuerit, illius tn. mortem hinc non eſſe derivandam, ſe totam eſſe perſuaſam: Sic vero ſemper nova hujus mali exempla occurrunt, quæ aliis recenſitis ſubjungere non minus licebit, quam illis quidem eadem producere fuit licitum.

CMLVIII.

Terram tractandi gravidæ deſiderium.

HÆc ipſa alio tempore gravida tam avide terram tractavit, ut quoties quidem manibus tenendi occaſio oblata fuit, eam tam facile iterum non ſepoſuerit, ſed in minimas particulas comminuerit, identidemque hunc ipſum laborem iterarit, quin vas terra repletum alicubi ſepoſuerit, & quoties per negotia domeſtica licuit illud adierit, & mirum quantum terram hinc inde movendo ſe delectarit; adeo quidem, ut & ſaliva inde ſibi fuerit mota, quoties in Itinere conſtituta terræ glebam vidit, â deſiderio nempe eam non tam comedendi, (quod nunquam habuit,) quam manibus tractandi & comminuendi: Quem appetitum quoque ſatiavit, arenam illam, quo ſcribæ in exſiccandis litteris utuntur, ſimili modo tractando: Quæ vel ideo notatu digna ſunt, quia rarius mulierculæ hoc, quam illo abſurda comedendi appetitu corripiuntur, & aliquid in explicandis horum malorum cauſis conferunt.

CMLIX.

Uvæ acinum repræſentans tumor a digito minimo recens nati infantis pendens.

TErtio gravida ea, quæ binas præcedentes ſuggeſſit obſervationes, jam non quidem abſurdi quid, ſed guſtui gratiſſimas uvas at has nimium appetiit, & ne delicatula videretur, comparare

eaſdem non fuit auſa, nec aliis tn. quantum dulciſſimum hunc fru-ctum appetat detexit, donec hoc ancilla notavit, & hero indicavit, qui ſtatim tales quales appetiit purpureas nempe Tirolenſes hanc ipſam comparare, Uxorique offerre juſſit; juſſisque hæc illico paruit; accidit autem illo ipſo tempore, quo uvas heræ attulit, hæcque ſummo cum appetitu comedere eaſdem voluit, quod amicus quidam acceſſit, coram quo appetitui ſuo ſatisfacere verita fuit, & hinc quidem licet non absque dolore quodam hoc in aliud tempus diſtulit, dolorem vero hunc alio modo quam fricando neſcio cujus manus digitum minimum non expreſſit; peperit poſtmodum conſueto partus tempore, & filiolum Dei gratia adhuc ſuperſtitem edidit, a cujus digito minimo aliquid propendere ſtatim vidit, licetque obſtetrix hac de cauſa interrogata, ſanguinem grumoſum eſſe reſponderit, huic tn. fidem non adhibuit, ſed ipſamet propius inſpexit, & ecce! carunculam eſſe, uvæ acinum cum pediculo exacte repræſentantem vidit, quem aliunde, quam quod appetitui ſuo ſatisfacere non potuit, non derivavit; ſtatim vero & artis peritos propterea conſuluit, qui ſeta tumorem arctius conſtrinxerunt, ſicque brevi nec ita difficulter abſtulerunt: tam eleganter vero uvæ acinum expreſſit, ut eum aliquamdiu ſervaverit, at quia fœtere cœpit, in partes dividi curavit, ubi tum grana tum carnem repræſentantes partes in eodem inventæ fuerunt; quæ cum, quanta ſit imaginationis gravidarum vis, confirment, communicatione digna judicavi.

CMLX.

Stercus proprium comedere falſo tradita.

CUm nuper, quam malitioſe nonnulli, hæc illave circa ſe contingere fingant, coram Illuſtri quodam Viro mentio fieret, is recenſuit, quod hiſce demum diebus ad Incluti Magiſtratus præcipua quædam membra (inter quæ & ipſe honoratiorem obtinet locum,) delatum fuerit, vivere hic loci quandam puellam, quæ proprium ſtercus, & quidem, ſi recte memini, inſtigante diabolo, comedat; hac de cauſa vero hanc ipſam puellam vocatam, & in rei veritatem inquiſitum fuiſſe, & conſtitiſſe, quod res ſic ſe non habeat

habeat, tandemque puellam faſſam fuiſſe, neſcio qua frivola de cauſa hoc ſic in vulgus emanaſſe, quod quidam jam tam firmiter crediderunt, ut vel jurato vivere hic talem puellam atteſtati fuiſſent: Diſces vero ex hac & ſimilibus obſervationibus, quam accurate, ſi talia inconſueta narrentur, in rei veritatem ſit inquirendum, antequam certi quid ſtatuatur, aut & in cauſas inquiratur, tandem tn. plerumque ejuscemodi fraudes & mendacia deteguntur, ut adeo, modo expectare poſſis, non facile ſis falſurus.

CMLXI.

Urinam aliam pro ſua monſtrans.

Vidua quædam nobilis, cum hydropica aliquoties â medico ſuo ordinario percepiſſet, Urinam tinctiorem ſigno eſſe, quod malum non tam decreſcat, quam indies augmentum ſumat, & hinc periculum ſubſit, hoc malum vix ac ne vix quidem curatum iri, hoc nuncio adeo perterrita fuit, ut ne is repetat, ab illo tempore ſæpiuscule non tam propriam ſuam urinam quam alterius cujusdam ſani in eadem domo degentis eidem aut ſolam, aut cum ſua commixtam inſpiciendam exhibuerit, unde hic eo minus ex hac judicare, & facile, ſi ei ſoli fidiſſet, dubius reddi potuiſſet, quem reliqua quævis ſigna ſat certum reddiderunt, hydropem hunc inſanabilem eſſe: Sicuti vero dolus hic poſtmodum detectus fuit, ita plus ſolaminis inde non habuit miſera decumbens, quam quod urinam meliorem eſſe, medicus quidem non potuit non edicere, ipſamet autem ſuam non eſſe, ipſo melius novit; ſic autem non deſunt, alii quoque, qui modo ab aliis non habeantur pro ægrotis, jam melius ſe habere credunt, ſic vero ipſi in cauſa ſunt, ſi poſtmodum morbi illorum ſicut rite non cognoſcuntur, ita vix ac ne vix quidem curantur, ſi præſertim & ipſa ſigna adulterare non verentur; quo ipſo etiam quam cauti in judicio ex Urina ſola ferendo eſſe debeamus, non parum confirmatur.

CMLXII.

Tumor à capite infantis pendens cerebro repletus.

MUlier quædam honeſta, gravida, non ſemel ſolum per inſomnium vidit virum aſpectu horrendum, qui horrido ſuo & truculento vultu non ita exiguum terrorem eidem injecit, unde quoque non absque metu quodam cubitum ivit, quem â reditu hujus viri ſemper fovit, quo tn. ipſo ſine dubio inſomnium ſæpius revocatum fuit; edidit vero poſtmodum fœtum cetera quidem perfectum, at capite admodum informem, dum de poſteriore ejusdem parte ſaccum præſentans tumor inſignis pependit, fronteque facies cetera nullo defectu laborans caruit, â tumore hoc retrotractus quaſi; vita tn. fruebatur, unde & ſacro Baptismate fuit tinctus, at quoniam nil quicquam deglutire potuit, ſeu potum ſeu pultem eidem exhibere tentarint, utut per undecim dies ſupervixerit, hincque eundem ſuperfuturum, parentibus non ita exiguum injecerit metum, hisce elapſis in mortis prædam ceſſit; Tumorem, quem Excell. D, D. Lebenherr (qui hæcce bonivole mihi communicavit,) per Chirurgum aperuit; exterius quidem mollem, interius vero cerebro repletum invenit, quod tantum non totum in eundem ſeceſſerat: Cum nulla vis externa acceſſerit, inſomnium narratum aliquid ad translocandum cerebrum contuliſſe, forſan ſuſpicari licet, phantaſia ejusdem circa horrendum hunc virum ſemper occupata, hincque & infantis cerebrum loco ſuo conſueto exturbante, licet cetera, eum nullam cum viro, qui comparuit, ſimilitudinem habuiſſe, mater indicarit; quanta vero vis ſit fortioris imaginationis gravidarum ſic conſtat, ut huic & hoc me tribuere, vix vitio vertere mihi quis poſſit.

CMLXIII.

Capitis dolor Patri cuidam brevi quatuor liberos perimens.

COrrepta fuit haud ita pridem honeſti cujusdam Viri filia undecim fere annorum primo quidem vomitu, hinc vero capitis

dolore tam intenſo, ut in lectum ſe conferre opus habuerit, cum præſertim & reliquarum partium dolores non minus acerbi acceſſiſſent; hiſce cum in principio remedia quædam, quæ domeſtica vocant, non absque fructu quodam oppoſuiſſent, malum non ita magni habuerunt, ut propterea medicum conſuluiſſent, unde td. tantum ſumſit incrementum, ut jam me hac de cauſa conſuluerint, accedensque ego, & pulſum ſic ſat naturalem, urinamque cum hoc convenientem inveniens, ſcorbutici quid ſubeſſe ariolatus fui, hincque tum Eſſ. Abietis tum pulverem quendam anodynum ſæpius alternatim eidem exhibere juſſi, ubi poſt pulverem quidem ſumtum ſemper in principio levamentum quoddam ſenſit, at tandem nec hic ulterius ſic profuit, nec alia quoque medicamenta in dolore hoc deliniendo vel minimum contulerunt, quin convulſiones td. ſupervenerunt, quæ per aliquot dies inſtantes, & partes deglutitioni deſtinatas conſtringendo impedientes, ne quicquam in uſum duci potuerit, eam vivorum numero ſubtraxerunt; ſicuti vero non ita diu antea frater hujus puellæ ſimili plane morbo abreptus fuit, ita ipſa adhuc decumbente alter fratrum itidem cum prius vomuiſſet, de doloribus talibus queri cœpit, quibus etiam plura medicamenta fruſtra omnino oppoſita fuere, unde & hic convulſionibus ſupervenientibus in mortis prædam ceſſit; pauloque poſt hos ſubſecuta eſt ſoror natu minima, quæ quia fari nondum potuit, non niſi ejulatibus dolores ſuos prodidit, ſicque uno die huic Viro tres liberi elati & ſepulti fuerunt; quæ vero qualisque horum dolorum ſpecifica extiterit cauſa, determinare vix audeo; cum præſertim rarius dolores capitis absq; febri tam brevi exitioſi exiſtant, quin alias in pueris non ita difficulter curentur.

CMLXIV.

Apoplexia diuturnos capitis dolores excipiens.

MAtrona quædam quinque fere annis quadragenaria major, plurium liberorum mater, cum aliquoties tum poſt partum, tum conſueto menſium tempore multum admodum ſanguinis per uterum perdidiſſet, inde non ſolum tam pallidum faciei contraxit colorem, ut à plerisque pro ægrota fuerit habita, ſed & ſubinde tam

tam intenſis capitis doloribus laboravit, ut ſæpius per aliquot horas erectum illud tenere minime potuerit; licet vero huic dolori varia eaque laudatiſſima remedia oppoſuerit, hisque interdum dolores aliquamdiu ceſſerint, nunquam tn. diu intermiſerunt, ſed potius ſæpiuscule redierunt, unde & paulatim iisdem ſic aſſuevit, ut, niſi alia acceſſerint mala, eorum ergo vix ulterius ſolicita fuerit, quin & eos commiſerit errores, quæ malum non potuere non exaſperare, inter quos inprimis numerari meretur, quod quocunque etiam modo ſe habenti aeri corpus aliquoties expoſuit, non vero tam impune, ac quidem ſibi imaginata fuit, cum enim ante annum & quod excurrit, die pluvio & frigido aliquot templa viſitaſſet, inde domum rediens primo quidem iterum dolorem capitis intenſiorem perſenſit, hinc vero nocte inſtante apoplectica corruit, unde ſub illud tempus ego vocatus fui, & variis medicamentis, imprimis vero Sal. Volat. Ol. Sylv. diligenter in uſum ducto eam ſic priſtinæ reſtitui ſanitati, ut non ſolum loqui denuo inceperit, verum & ſenſuum uſus redierit, at reſtitit Paralyſis ſiniſtri lateris, quæ quidem continuato medicamentorum uſu aliquantum ſe remiſit, ſic ut incedere iterum brachiumque movere potuerit, at, utut balneum illud ex Sulphur. & Calc. viva paratum itidem adhibuerit, & plura alia huic mala oppoſuerit remedia, nunquam tn. ſic ſanitatem priſtinam recuparavit, ut plane nulla paralyſeos indicia ſuperfuiſſent, quibus tn. malis iterum aſſueſcere cœpit, & jam inprimis notans menſibus præſertim fluentibus illa exaſperari ſub hisce fluentibus Eſs. ♂ cum ſucc. Pomor. extr. tam feliciter in uſum duxit, ut poſt eam longe melius quam poſt plura alia antapoplectica medicamenta ſe habuerit, hancque vel me non conſulto continuarit, at diætæ errores non fugienti quid td. contigerit ex ſequenti obſervatione leges: Ex hac vero diſces, capitis præſertim diu inſtantes dolores ſuſpectos merito haberi, & hinc ea, quæ exaſperare eosdem poſſunt, omnino vitanda eſſe, niſi mala graviora contrahere velimus, inprimis autem notes, martiata & in his malis ſubinde non ita exiguum afferre levamentum.

CMLXV.

CMLXV.

Paralyticæ ſupervenientes convulſiones letales.

HÆc ipſa Matrona, quamprimum quidem meliuſcule ſe habuit, appetitui etiam redeunti nimium indulſit, & ei non tam cibis evpeptis & coctu facilibus quam craſſioribus & minus convenientibus ſatisfecit; hincque aliquoties ventriculum ſuum ſic oneravit, ut is muneri ſuo non ſufficiens, quæ digerere non potuit, vomitu rejecerit, quem quidem vomitum minus curaſſet, niſi ſemper dolorem capitis revocaſſet tantum, ut hujus ergo me conſulere opus habuerit; utut vero ter quaterve tum Eſs. Catechu, tum Sal Vol. Ol. S. tum Infus. Herbæ Thee tum vomitui tum capitis doloribus DEI gratia ſic ſat feliciter obviam iverim, ante aliquot tn. dies iterum vomitibus correptæ tantum abeſt ut hæc vel minimum profuiſſent, ut potius, cum Thee bibiſſet, & quod guſtui ſatisfecerit, indicaſſet, paulo poſt convulſiones ſucceſſerint tam vehementes, ut hæc eandem quorumvis ſenſuum motusque & loquelæ uſu privarint, unde cum nullum medicamentum internum exhiberi potuiſſet, externa vero quævis fruſtra omnino adhiberentur, convulſiones per ſedecim horas inſtantes tandem mors ſubſecuta fuit: Sicuti vero omnes & ſinguli qui ſanitatis ſuæ decentem gerunt curam, nunquam ventriculum cibis nimiis coctuque difficilibus obruent, ita ne tales errores committant ii, qui vix convaleſcentes nominari merentur, multo magis opus habent, niſi non tam convaleſcere quam graviora mala ſibi ipſis inducere maluerint.

CMLXVI.

Icterus marte brevi curatus.

PUella quædam novem annorum, DEI gratia ſic ſat integra fruens ſanitate ſubito laſſitudine quadam minus conſueta cum appetitu imminuto corripitur, hincque non ſolum quasvis actiones minus alacriter perficit, verum & quæ aliâs optimo cum appetitu comedit, non niſi primis deguſtat labiis, conſultus ego

propterea Elix. Aper. Clauderianum eidem exhibere jubeo, ſed nullum inde perſentit levamentum, & quodam mane de lecto ſurgens totoque corpore inprimis facie flavo colore tincta morbum ſuum magis prodit, hincque denuo meum expetitur conſilium; præſcribo ergo Rhabarb. quod nobile nominant, grana quindecim, quæ aliquot quidem ſedes movent, at quoniam ſumtum pulverem hunc brevi vomitu rejecerat, ut & eum tertio die iterarit, conceſſi; ubi denuo quod prius præſtitit; Icterus vero inde nec minimum imminutus fuit, unde jam ad martis peculiari modo præparati uſum deveni, hujusque ſex grana mane & veſperi eidem exhibere juſſi; & ecce! vix per quatuor vel quinque dies hoc medicamento utenti omnis color flavus ſic diſparuit, ut jam nec minimum quidem Icteri indicium ſuperfuerit, quin & cetera ſic cum ſanitate in gratiam DEI gratia rediit, ut eadem iterum integerrima fruatur: Convenientius vero marte in Icteo remedium vix reperies, qui non ſolum tuto ſed & ſic ſat cito hoc malum abigit.

CMLXVII.

Pulvis odorem Caſtorei contrahens.

MAtronæ cuidam Nobili ſingulis menſibus nimium ſanguinis per uterum profundenti ante menſem fere præſcripſeram pulveris cujusdam adſtringentis Doſes numero tres, quem vix paratum quia fluxus is ſponte ſubſtitit, ut ſumeret, ipſamet non conſultum ducens, repoſuit, & in futuros uſus ſervavit; ſic ſat certa nempe, ſe eodem proxime opus habituram, nec opinione ſua falſa fuit, elapſo enim modo memorato tempore ſanguinis iterum tantum per uterum perdidit, ut nunc de repoſitoſuo pulvere cogitarit, ne vero errorem quendam in eodem ſumendo committat, me prius rogavit, ut eum inſpiciam, & num is ipſe ſit, quem nuper præſcripſerim, indicem; licet vero nec inſcriptio, nec ipſius pulveris color & ſapor mihi vel minimum dubium injecerint, odore tn. caſtoreum ſic retulit, ut, cum hoc minus quippe conveniens in hoc caſu pulveri me non addidiſſe certus fuerim, ne in pharmacopolio minus rite paratus fuerit, dubitare cœperim; hinc vero, non ignarus quantum menſium fluxus

xum promoveat Caſtoreum, illum pene diſſuaſiſſem, novumque parari juſſiſſem; at, quia nec minimum quidem caſtorei in pulvere deguſtato deprehendebam, prius interrogavi, num forſan juxta illud alicubi collocatus fuerit? hocque affirmante matrona, jam inde contraxiſſe hunc odorem nullus dubitavi, hincque ut ſumatur conceſſi, cum particulæ, quæ è Caſtoreo exhalarunt, non tam pulverem ipſum, quam chartam in quâ continebatur, infecerint, & ad hæc tam paucæ extiterint, ut vix noxam inferre potuerint: Sic vero ex odore ſolo de ullo medicamento vix judicare ſuſtinebis, cum is peregrinus tam facile contrahatur, in quem ſi requirente neceſſitate inquiſiveris, nunquam operæ Te pœnitebit.

CMLXVIII.

Ventriculi dolor cum Vomitibus purgante præſertim ſopitus.

MErcatoris cujusdam Uxor, quadragenaria major, quadrata & robuſta cum ante ſemeſtre & quod excurrit in puerperio lochia eidem tantum non fluxiſſent, quantum olim hoc ipſo tempore fluxerant, inde non impedita quidem fuit, quin puerperio tranſacto ad negotia ſua domeſtica redire potuiſſet, at non ita bene ac prius ſe habuit, & abdomen inprimis magis tumidum obſervavit, quod & aliæ ejusdem familiares notarunt; ipſa tn. minime curavit, ſponteque ceſſatura hæc mala tota perſuaſa, nullum iisdem oppoſuit medicamentum; unde nuper contigit, quod, cum prius convivio cuidam interfuiſſet, media nocte doloribus Ventriculi intenſiſſimis correpta fuit, qui tantum abeſt, ut vomitibus ſuccedentibus vel minimum ceſſiſſent, ut potius poſt eosdem ſemper augmentum ſumſerint; conſuluit hinc propingua cognatione ſibi conjunctum pharmacopœum, qui ſtomachica quædam, & hisce nil proficientibus opiatas ſine dubio Pilulas ſuggeſſit; at ſeu hæc medicamenta ſumſerit, ſeu juscula comederit, ſeu & biberit, quævis hæc vix ingeſta vomitum revocarunt, quem ſemper dolores magis intenſi exceperunt; unde, cum per novem fere horas cum hisce doloribus conflictata

 fuiſſet,

fuiſſet, td. meum conſilium expetiit, & ego ſtatim accedens materiæ peccanti inprimis viam per inferius guttur monſtrandam eſſe conſultum habui, hincque lene purgans præſcripſi, cui ſi itidem vomitu rejiciatur, Clyſterem ſubſtituere juſſi; ſumſit vero purgans, & hoc retinuit, quin utut alvum plane non moverit, dolores tn. inde ſtatim mitigati fuere, nec vomitus per integras quatuor horas rediere, quos tum nimium potus ingerendo revocavit, hincque ipſamet jam Clyſterem quoque applicari curavit, qui itidem alvum non movit, at poſt eum rejectum non ita parva quantitas ſeri cruenti ex utero profluxit; ſed quia ego, ne dolores & vomitus redeant omnino ut alvus reſeretur, neceſſum judicavi, paulo poſt Clyſterem iterare juſſi, qui voto ſatisfecit, unde jam noctem quietiorem duxit; in utero vero retentæ adhuc Lochiorum forſan reliquiæ & abdominis inflatio me permoverunt, ut martiatum quoddam medicamentum commendaverim; nondum conſtans tn. alvi apertio & ſuccedens nunc capitis dolor acerbus ſub veſperam quidem pulv. ex Specif. Ceph. & Cach. mixtum, ſequentique mane purgantem Pot. eidem exhibere me quaſi juſſerunt, qua nondum ſumta menſes quoque supervenere, non itaq; tam hanc quam laxantem denuo inter rogatus ut ſumat, conſultum duxi, quæ aliquoties alvum movit, indeque DEI gratia tam bene ſe habuit, ut ſequente die negotia domeſtica curare de nuo inceperit, monitaque, ut in poſterum Eſs. ♂ continuet, me dimiſerit: Quam male vero tantum non quibusvis doloribus in principio ſtatim opiata opponantur, ſicut hæc Cura confirmat, ita tales præſertim verum purgantium contraindicans non eſſe, eadem denuo docet.

CMLXIX.

Febris malignæ reliquiæ per aliquot dies moleſtæ.

MErcatoris cujusdam ancilla viginti annis major, bono corporis habitu prædita & ſanguinea, cum variolis laborantibus quatuor vel quinque Heri ſui liberis fideliter adſtitiſſet, ſubito laſſitudine totius corripitur, cum frigore minus conſueto, quibus malis accedens narium hæmorrhagia non tam levamen quoddam afferens quam eam magis poſternens matremfamilias permovit,

movit, ut me propterea in conſilium vocaverit; & ego in principio ſubdubitavi, ne & hîc Variolæ inſtent, cum hisce hæc nunquam laboraverit, & non pauci hoc anno antequam eruperunt hæ puſtulæ, ſanguinem ex hac ipſa parte profuderint; alexipharmaca vero medicamenta nihilominus eidem præſcripſi, quæ quippe non ſolum in illis expellendis non parum conferunt, verum & cuicunque alteri præſertim autem malignæ febri tuto opponuntur: Nec fruſtra DEI gratia hæc medicamenta ſumſit, utut enim poſt eorum uſum metus â Variolis brevi evanuerit, maculæ tn. eruperunt, quæ petechiarum nomine veniunt; paucæ quidem, hinc inde tn. tam in facie quam dorſo conſpicuæ, hinc vero eo diligentius hæc ipſa medicamenta continuare juſſi; quibus & carere vix potuit, cum hora conſueta non ſumto tali medicamento ſtatim vires magis oppreſſas perſenſerit, licetque febris interdum tantilla extiterit, ut ejusdem vix quædam indicia notari potuerint, & ſeptimo præſertim die plane propulſa paruerit, tantum tn. vires defecere, ut vix erecta in lecto ſedere potuerit, unde cum & de gravitate quadam circa Cor conquereretur, alexipharmaca eam tam diu continuare juſſi, donec & hæc mala ſe remiſerunt, quod die fere decimo quarto â morbi principio contigit: In pluribus vero hoc anno notavi, quod febri licet diſcuſſa quædam tn. malignitatis reliquiæ ſuperfuerint, quæ ſine dubio, ſi negligerentur, novam febrim excitarent, adeoque omnino ſedula earum quoque ratio gerenda eſt.

CMLXX.

Vomitus Variolis neglectis ſuccedentes letales.

LAnionis cujusdam filiola duorum fere annorum, cum variolis laboraſſet, harumque, quia non adeo male ſe habere videbatur, nullam fere curam geſſiſſet mater, puellæque nec cibum ſubtraxiſſet, nec potum mutaſſet, inde quidem & convaluiſſe eidem viſa fuit, dum nempe variolæ exaruerunt, & earum vix quædam veſtigia ſuperfuerunt; verum enim vero ab illo tempore languit, nec priſtina ejusdem alacritas rediit, eo quoque quo prius appetitu non comedit; quæ tn. omnia mater parvi, quin nihili habuit, donec tandem vomitus acceſſit non ſo-

lum quorumvis ingeſtorum, verum & pituitæ bilisque cum hisce confuſarum, qui tantum puellam proſtravit, ut jam mortem inſtare ipſamet mater metuens me td. propterea in conſilium vocaverit, ubi eam ſic conſtitutam inveni, ut metum matris pro inani non potuerim habere, unde & licet medicamenta convenientia præſcripſerim, hæcque aliquoties exhibita fuerint, vomitu tn. & illa rejecit, & ſic prodeſſe minime potuerunt, in mortis prædam ergo non potuit non cedere: Non itaque prorſus nulla Variolarum eſt gerenda ratio, quarum reliquiæ ipſo malo graviora producunt ſymptomata; quibus præſertim diu neglectis fruſtra poſtmodum medicamenta opponuntur.

CMLXXI.

Palpitatio Cordis cum animi deliquiis.

HOrologiopœi cujusdam Vidua pia, cum poſt mortem mariti varias ærumnas perpeſſa fuiſſet, inde td. in palpitationem Cordis incidit non parum moleſtam, ſed ſponte iterum ceſſantem, unde & illam tam parvi habuit, ut vix ullum eidem oppoſuerit medicamentum, quin cum filius ejusdem propterea me vocare voluiſſet, hoc non conceſſerit; donec td. in tantum auctum fuit hoc malum, ut & animi deliquia aliquoties ſucceſſerint, quæ eam permoverunt, ut me vocaverit, egoque accedens, cum cetera ſe bene habere retuliſſet, nec pulſus quicquam mali proderet, in ſanguinis motu interdum impedito horum malorum cauſam quærendam eſſe judicavi, hincque Sal. Volat. Ol. Sylv. uſum eidem commendavi, quo, DEI gratia fruſtra ſe non fuiſſe uſam poſt aliquot hebdomadas miſſo honorario per filiam ſuam mihi indicavit: Niſi nempe cauſa, cui nullum medicamentum ſufficit, ſubſit, raro hoc ſal volatile vel alia cum eodem convenientia fruſtra in uſum ducentur.

CMLXXII.

Febris alba cum intenſiſſimo capitis dolore.

MErcatoris cujusdam filia tredecim fere annorum, jam per biennium fere cum iis conflictatur malis, quæ hactenus ſub morbi virginei ſeu febris albæ nomime venerunt; quibus licet aliquoties medicamenta non absque fructu quodam oppoſuerit, iisdem tn. ſepoſitis ſemper iterum de novo malis his correpta fuit, unde ſæpiuscule ad ea redire opus habuit, hincque paulatim tantum ab illis obrepſit tædium, ut, licet per aliquot hebdomadas nuper iterum non ita bene ſe habuerit, lubentius tn. hæc mala perpeſſa fuerit, quam medicamenta in uſum duxerit; ſed eo ipſo peſſime ſibi ipſi conſuluit, dum ſic non ſolum colorem ſemper magis pallidum acquiſivit, & indies difficilius reſpiravit, verum tantum contraxit capitis dolorem, ut illud erectum tenere ulterius non potuerit; acceſſere etiam calores volaticorum nomine noti, qui Parentibus ſuſpicionem febris malignæ tum graſſantis injecerunt, unde me propterea conſuluerunt; & virgo jam doloribus coacta, nec ipſa ab omni metu libera ut medicamenta ſumſerit, non ita difficulter perſuadebatur; non vero tam alia febrifuga quam huic inprimis morbo dicatum martem eidem præſcripſi, hocque per aliquot dies in uſum ducto DEI gratia quævis ſymptomata ſic ſe remiſerunt, ut jam longe melius ſe habuerit; non in totum tn. ceſſante capitis dolore, menſibusque nondum fluentibus, martiata medicamenta eandem continuare juſſi: Quæ quippe ſi vel maxime menſes non moverint, in hisce tn. malis ſummo cum fructu commendantur, quin capitis dolorem inde ſubortum quibusvis cephalicis citius & felicius abigunt.

CMLXXIII.

Conceptus falſo creditus.

MAtrona illa, quam ſupra obſervatione DCCXX variolis correptam fuiſſe, cum non ſolum ipſa ſpem quandam ſe concepiſſe,

cepiſſe, in pectore aluiſſet, verum & hanc non prorſus vanam eſſe, ex cauſis ibidem allatis ipſemet ariolatus fuiſſem, devicto hoc morbo per integrum trimeſtre adhuc quævis illa notavit indicia, quæ aliâs hanc ſpem magis certam reddunt; hincque licet bis terve aliquantum ſanguinis per uterum perdiderit, quia tn. abdomen indies increvit, mammæ quoque majores factæ fuere, quin fœtus motum ſe percipere credidit, ſemper minus de conceptione dubitavit, & hinc varia medicamenta tam fluxum illum inhibentia quam fœtum roborantia adhibuit: Verum enim vero, ſicuti ſemper fluxus auctus fuit, ita cum aliquando ſanguinis grumoſi quoque aliquot globos depoſuiſſet, abdomen mammæque detumuere, ſicque omnis ſpes conceptionis evanuit, cum præſertim poſtmodum menſium quoque ſic ſat ordinarius fluxus redierit: Quam parum certo itaque de conceptione aliquid ſtatuere liceat, ſicut hæc obſervatio confirmat, ita, utut vel ſumme commendata contra abortum medicamenta ſedulo in uſum ducantur, iisdem tn., ſi verus conceptus non ſubſit, menſium fluxus nunquam ſic impedietur, ut propterea in caſibus dubiis minus tuta nominari mererentur.

CMLXXIV.

Febris malignæ principia cibo coctu difficili adſcripta.

Vir quidam nondum triginta annorum, cum cibum coctu difficilem non absque nauſea comediſſet, hincque ſtatim dolorem circa præcordia notaſſet, ſibi quidem Spir. Vini bibendo conſulere tentavit; verum enim vero dolor inde non tam imminutus quam auctus fuit, unde jam medicum ſuum conſuluit; qui dolorem hunc non niſi â cibo illo comeſto derivans, vomitorium eidem exhibuit, quod licet fruſtra non ſumſerit, dum nempe tum vomitus tum alvum movit, tantum tn. abeſt, ut inde malum vel minimum ceſſaſſet, ut potius jam febrem ſubeſſe per omnia indicia patuerit; qua de cauſa & Venæſectio inſtituta, & ſanguinis non ita magna quantitas ſubtracta fuit, at nec hæc vel minimum profuit, hincque ſemper magis conſtitit, malignam eſſe febrem,

febrem, cui dolor ille originem ſuam debuerit, unde huic quævis commendatiſſima medicamenta oppoſita fuere, at iisdem nil quicquam proficientibus vir ſic ſat robuſtus, cum vix per octiduum decubuiſſet, in mortis prædam ceſſit: Suo exemplo docens, febribus malignis graſſantibus quemvis præcordiorum dolorem merito pro ſuſpecto haberi, hincque eidem ſtatim alexipharmaca opponenda eſſe, cum ſi vel maxime cauſa in Ventriculo latitet, & hæc inde corrigatur, poſtmodumque ſi per alia ſigna conſtiterit, nullam ſubeſſe malignitatem eo facilius ſubducatur, in quem finem unice hæc communico.

CMLXXV.

Vulnus ſibi ipſi fortiter perurens.

Miles quidam non è minimis, cum nuper alia de cauſa curæ meæ ſe ſubjeciſſet, narravit, quod ante aliquot annos, dum gladium evaginatum manu ſiniſtra fortius tenuerit, ſimulque cum alio luctatus fuerit, inde tantum ſibi vulnus inter digitos indicem & pollicem inflixerit, ut hic ferme reſectus fuiſſet; hoc vero vel ideo magis periculoſum extitiſſe, quoniam ſanguinis fluxum inhibere Chirurgi vocati nullo modo potuerint; unde parte ſemper magis debilitata jam & omni colore vivido orbata de ejus reſectione, cogitarint, quam ipſe vero admittere recuſarit; cumque jam quartus poſt vulnus inflictum dies inſtiterit, ſanguisque ſemper adhuc è vulnere promanarit, ſe petiiſſe ut ignis adferatur, quo viſo Chirurgis interrogantibus num uſtionem admittere velit, hancque omnino approbantibus ſuamque operam & inſtrumenta idonea offerentibus ſeque excuſantibus, quod illius hactenus meminiſſe non fuerint auſi, unice, quia ne ab igne abhorreat, ſibi metuerint, ſe reſpondiſſe, quin vero ego ipſe eandem inſtituam; ſtatim vero & opus ipſum ſe aggreſſum fuiſſe, allataque interea juſſu ſuo duo ſpecilla lata igni ſe immerſiſſe, candefactum alterum extraxiſſe, ſicque vulnus peruſiſſe, unde illico ſanguis ſubſtiterit, dolores vero non tam illico, quin undecim fere diebus elapſis non ita parvi ſucceſſerint, ſeparata np. ſine dubio eſchara, at poſtmodum vulnus non ita difficulter ſanatum fuiſſe, cujus cicatricem mihi monſtravit: Ignis nempe non

niſi tentatis prius aliis laudatis remediis in ſubſidium vocandus eſt, at ne diutius quam par eſt ejusdem uſus protrahatur, hæc obſervatio nos docet, niſi enim hic ipſe in hoc auxilio remedium quæſiviſſet, ſine dubio niſi vita manu tn. privatus fuiſſet.

CMLXXVI.

Graviditatem ex urina falſo denuncians.

QUam fallax ſit ex urina ſola judicium, paulo poſt coram hoc ipſo milite mentionem injiciendi occaſio ſuggerebatur, & is ſequentia referebat; Paucos ante annos cum cum Uxore mea in Morea degerem, ea quidem quædam conceptionis ſigna in ſe notavit, dum nempe mammæ intumuerunt, quin td. lac fuderunt, appetitus â carne proſtratus fuit, abdomen intumuit, cetera tn. ſic ſat bene ſe habuit, & imprimis colorem faciei vividum non mutavit; at de eadem dubia fuit facta, quia menſes, qui, cum prius bis concepiſſet, ordinario modo fluere ceſſaverant, nunc rite fluxerunt; vel hac de cauſa vero medicum quendam, qui quævis mala ex urina ſe dignoſcere, & inprimis num fœmina gravida ſit? ſe judicare poſſe, ſæpius jactitavit, conſuluit, qui, cum urinam miſſam ſæpius inſpexiſſet, eique neſcio qualem ſpiritum inſtillaſſet, fidenter aſſeruit, eam omnino eſſe gravidam; quibus dictis eo majorem adhibuit fidem, quia abdomen indies auctum vidit, & interdum movere ſe fœtum credidit, at elapſis menſibus novem nec partu inſtante, dubitare cœpit; quod tn. dubium, falſa forſan de tempore conceptionis ſententia, aliquandiu animo exemtum fuit; at cum & decimus, undecimusque menſis elapſi fuiſſent, idem aſſerentibus tantam ulterius fidem non adhibuit, infelix tn. quia medici tum propterea conſulti de graviditate non dubitantes medicamenta huic tumori, quem ipſa jam pro præternaturali quotidie magis habuit, opponere renuerant; donec td. ex hac Inſula in Germaniam redux Stuttgardiæ medicum eximium *D. Hârlinum* olim amicum meum Academicum ſincerum conſuluit, qui ejusdem cum ea ſententiæ fuit, & hinc Eſſent. quandam, forſan martiatam eidem præſcripſit; qua in uſum ducta, multum admodum ſeri tum per alvum tum

per

per urinam excrevit, hincque brevi abdomen ſic detumuit, ut falſo pro gravida fuiſſe habitam abunde conſtiterit; ſicuti vero optime hic Medicus judicavit, ita, ſi vel maxime gravida extitiſſet, nihilominus tn. medicamenta, eidem ſic ſat tuto exhiberi potuiſſent, cũ præſertim debito diutius uterum gerens non abs re de ſanitate minus bene ſe habente ſuſpicari cœpiſſet; ſignorum vero tam conceptionis aliorum, tam ex urina inprimis fallaciam hæc obſervatio confirmat.

CMLXXVII.

Faucium inflammationem falſo ſuſpectam reddens Urina tincta.

HIc ipſe miles me vocaverat, quia jam per integrum biduum faucium inflammatione laboraverat; huicque malo tum gargarismos ſiphone injectos, tum linctus, uti quidem ipſi videbatur, fruſtra plane oppoſuerat, inprimis pejora vel ideo metuens, quia urinam ſimul non parum tinctam excernebat; ſicuti vero cum acceſſiſſem, leviorem inveni inflammationem, nec ullum aliud febris deprehendi indicium, ita nullum ſubeſſe periculum judicavi, & Potiunc. ſudorif. præſcripſi, ſimulque aliis Sirupis præſcriptis album græcum immiſcere juſſi, & inſuper potus calidos commendavi; quibus vix per aliquot horas in uſum ductis, DEI gratia ſic convaluit, ut ſequenti die iter ſuum continuare potuerit: Non ſemper nempe Urina tincta peſſima quæque denotat, cum pluribus de cauſis tingi poſſit, quæ facillime corriguntur; nunquam itaque ex illa ſola judicare ſuſtineas, ſed, ſemper juxta eam alia quoque ſigna conſideres, tum enim demum, quæ revera mala ſit, & quæ fruſtra metum injiciat, diſcernere poteris.

CMLXXVIII.

Sanguinis motum impeditum ſequentia mala, & hæc excipiens mors.

ILluſtriſſimus cunctisque deſideratiſſimus Pater Patriæ Dominus *Leonardus Weiſſius* S. C. M. Conſiliarius, almæ Auguſtæ per

integros viginti ſex annos DuumVir Præfectus, quibusvis donis, quæ, ut quis tanto muneri digne præſit, requiruntur, inſtructiſſimus, eheu! occubuit Anno hoc MDCCI. ſub ipſum initium diei 25. menſis Aprilis, cujus memoriam ſicuti quamplurimi ſanctam habebunt, ita ut ego habeam, me obſtrictiſſimum profiteor, cum favore amoreque majoribus, ac unquam mereri potui, me proſecutus fuerit, & hinc quamplurima in me cumulaverit beneficia; ſed decantent alii, qui melius me poſſunt, quamplurimas ejusdem laudes, quas vix nimium extollere poterunt, medicus ego, quæ mors ejusdem ſuggeſſit, communicabo, ſicque juſta eidem quodammodo ſolvam; Nactus vero fuit beatus hic Pater Patriæ eam corporis conſtitutionem, quam ſi optimam nominaveris, erroris â nemine redargui poteris, hincque per omnem vitam ſuam, quam ferme per ſeptuaginta quinque annos duxit, paucis fuit obnoxius morbis, qui & licet graviores non ita difficulter tn. medicamentis tolli potuerunt; inprimis vero, poſtquam quarumvis ſcientiarum notitiam adipiſcendi cupidiſſimus Dominus DuumVir ſcripta Baconis Verulamii evolviſſet, & hujus in hiſtoria Vitæ & mortis ſcriptas regulas aliquot ſic ſat ſedulo obſervaſſet, hinc ſe ſanitatem ſuam non parum confirmaſſe, conſervaſſeque diutius, totus credidit; cacatarrhis olim ſæpius obnoxius per aliquot annos Confectionem Catechu non absque fructu oppoſuit, adeo quidem, ut ab illo tempore, quo hac uti cœpit, nullus catarrhus diutius, quam per viginti quatuor horas inſtiterit, quibus prius per plusculos dies divexabatur; ante quatuor fere annos aliquoties alvus obſtructa Ei dolores Iſchiadicos mentientes ſic ſat moleſtos intulit, at hi ſemper fere, eadem Pulpa Caſſiæ & Elix. Aper. Clauderi reſerata, brevi iterum ſublati fuerunt; ante triennium apoplecticus quidem inſultus tali obſtructioni ſuccedens non parvum iis, quorum intererat, injecit metum, at DEI gratia Sali præſertim Oleoſo Sylvii is citius ceſſit, ac quidem ſperare licuerat, nec ab illo tempore vel minima ejusdem indicia ſe exſeruerunt; quatuor fere ante beatum obitum menſibus ulcus in oſſe Iſchio ſubortum eundem incommodavit, quod vero ſic ſat feliciter ſanatum fuit; at brevi poſt huic dolores alvi obſtructionem comitantes ſucceſſerunt, qui itidem cum malo primario brevi ſublati fuerunt; verum enim vero tum antecedens hæc mala tum ſæpius

comi-

comitans virium imminutio, quo minus ſuſpecta fuit beato Dn. Præfecto, quia præſertim poſt quietem ſtatim rediere, eo magis vitæ inſidiabatur, unde, cum ipſo ultimo Martii Senatum adhuc frequentaſſet, & graviſſimo muneri ſuo ſternue præfuiſſet, domum rediens vires non niſi difficillime collegit, reſtitansque earundem quidam defectus non adeo exiguus, ut ſub veſperam me vocaverit, Eundem permovit, ubi pulſus ſanguinis motum non parum inpeditum prodidit, quod ſanguini craſſiori adſcribens in modica ſanguinis ſubtractione auxilium quoddam inveniri poſſe ſperavi; ut vero & alterius ſuper hac re conſilium petatur, decenter rogavi; qua de cauſa *Inſignis* noſter *Schröckius* itidem vocabatur, qui ejusdem mecum ſententiæ fuit, hincque ſtatim Venæſectio inſtituebatur, ſanguisque ſubtractus tam craſſus conſpiciebatur, ut ſerum deficere abunde conſtiterit; meliuscule etiam poſt eandem ſe habebat, at pulſus antiquum obtinens graviorum malorum metum nobis injiciebat, cum præſertim diligentiſſime adhibitis volatilibus, balſamicis, Decocto Veronicæ quin & martiatis, idem fere, debilis nempe, ſæpius intermittens, & inæqualis ſemper maneret, bisque terque quidem magis æqualis aliquandiu, at juxta celerior notaretur, & brevi non ut prius digitos feriret, unde mortem inſtare, ipſemet ariolatus fuit; ad quam & ſedulo piiſſimeque ſe præparavit, licetque tumor pedum & td. abdominis ſupervenerint, cum præſertim totum hoc temporis ſpatium ſedendo conſumſerit, nec hic tn. tumor nimium ſumſit incrementum, nec aliam intulit moleſtiam; & licet veſiculæ ſponte excitatæ ſerum in non ita exigua quantitate profuderint, inde tn. potius levamentum quoddam percepit, quam quod vel minimum aliud malum acceſſiſſet; quin & biduo ante mortem facilius ſe denuo reſpirare retulit; ſicuti vero inde novam vitæ ſpem non concepit, ita quod ipſemet aſſeruit, Imperatorem ſtantem & Chriſtianum Orantem ut moriatur, decere, fortiſſime executus eſt, dum non ſolum ad ultimum usque diem negotia publica prudentiſſime tractavit, verum juxta hæc tantum non continuo præcipue ſacris quoque ſermonibus vacavit, unde non potuit non ſemper ad mortem alacrior reddi, quam & placidam juxtaque beatam, ſupra memorata hora obiit; non absque ſummo omnium elegantiorum Civium dolore, unde pauci fuere qui lacrymas ſuper illa non profudiſſent, quas non paucas

& mihi expreſſit; Animæ Ejusdem interea eſt bene, nec habeo nunc quod addam, quam quod ſerio exopto: *Moriatur anima mea morte rectorum, & ſit poſtremum meum ſicut Ille. Numer. XXIII. v. X.* Sanguinis motum ab ipſo Cordis vitio impeditum fuiſſe, & vel hujus vaſa indurata nimis, ac quaſi oſſeſcentia extitiſſe, aut & polypum ſubfuiſſe, ſicuti ſupra dicta ſic ſat innuunt, ita nec nos medici dubitavimus.

CMLXXIX.

Febris ab utero alexipharmacis feliciter curata.

VIrgo quædam nobiliſſima, ſedecim annorum, & tenerrimæ conſtitutionis, inſtante nuper plenilunio de laſſitudine minus conſueta queri cœpit, cui accedens calor p. n. matrem non parum perterruit, quoniam adhucdum hinc inde febribus malignis nonnulli decumbebant, talemque & hic ſubeſſe, metuebat, hincque eo citius me vocavit; quemadmodum vero ex pulſu ſtatim patuit, eam febricitate, ita malignitatis quandam ſuſpicionem tum inſtans laſſitudo, tum præcordiorum quædam gravitas & mihi injecerant, unde pulverem Pannonicum, quem hoc præſertim anno pluribus tali febri decumbentibus non parum proficuum inveni, eidem ter de die exhibui, indeque omnis calor nimius ſic diſſipatus fuit, ut ſequenti die pulſus naturalis nominari meruerit, nec urinæ color vel minimum mutatus fuerit; quia vero reliqua mala inſtabant, minus fidendum eſſe ratus, pulverem laudatum & ſecundo die continuare juſſi, unde tertio tam bene ſe habuit, ut jam omnis ſuſpicio evanuerit; at quoniam urina cruditatis quasdam notas ſuggerebat, Elix. Aper. Claud. eidem commendavi, quod bis quidem ſumſit, at tantum abeſt, ut inde melius ſe habuiſſet, ut potius quarto die calor p. n. ſic redierit, ut ex pulſu iterum febriculam ſubeſſe, abunde conſtiterit; unde illico ad pulv. Pannon. r. redii, qui facile quasvis has reliquias diſcuſſit, niſi quod de ponderе quodam circa præcordia, quoties reſpiret, adhuc moleſto conqueſta fuit, cui nunc Specif. Cach. Ludov. oppoſui, quo ſumto Dei gratia penitus convaluit; Menſes quoniam huic nuncquam fluxerant, ſine dubio a ſanguine exitum quærente & non inveniente, memorata febris excitata fuit, cui tn. alexipharmaca oppoſui

ſui, quia vel paucis febribus malignis decumbentibus, malignitatis tum in quibusvis aliis morbis tum præſertim febribus niſi ratio quædam habeatur, ea ſæpiuſcule tantum ſumit incrementum, ut poſtmodum vix ac ne vix quidem depelli denuo poſſit.

CMLXXX.

Febri malignæ minus recte tractatæ ſuperveniens ſingultus letalis.

SCriba quidam olim Chirurgum agens, cum Uxor ejuſdem febre maligna extincta fuiſſet, & cognata quædam vix convaluiſſet, ipſemet quoque male ſe habere cœpit; verum enim vero per integrum octiduum non niſi medicamenta minus convenientia morbo ſuo oppoſuit, dum nempe purgantia & quæ ſunt hujus generis plura adhibuit, unde is indies incrementum ſumſit, & quendam ex ejuſdem amicis permovit, ut me propterea urina ejuſdem allata conſuluerit, quæ cum aliis relatis collata ſtatim febrim prodidit; quam non carere malignitate, virium præſertim proſtratio confirmavit; præſcripſi itaque eidem alexipharmacum pulverem poſt ſingulas ſex horas in uſum ducendum, cui vix bis ſumto ſingultus ſupervenit, quod ſtatim per filium ſuum mihi indicavit, & ego quidem pro peſſimo ſigno habui, cum præſertim cucurbitulæ applicatæ hoc malum nec minimum inhibuiſſent, unde td., ut accedam, & ægrotum viſitem rogatus fui; ubi medicamenta quidem, quæ hic prodeſſe poſſe credidi, præſcripſi, at periculum, quod ſubeſſe vidi, ſimul adſtantibus denunciavi, neceſſum nempe judicans, ut animæ quoque neceſſaria geratur cura, quod vero ipſi tantum diſplicuit, ut conſilio meo uſus ulterius non fuerit; at quod in ſententia mea falſus minimum fuerim, mors vix quatriduo elapſo ſuperveniens abunde teſtata fuit: male nempe febres malignæ vel per aliquot horas negliguntur, multoque pejus eisdem medicamenta minus convenientia (inter quæ purgantia fere ſemper primum obtinent locum,) opponuntur, hincque ad talem ægrum vocatus, ei vix quicquam boni prædicere poteris, ſuperveniente præſertim ſingultu, qui in hoc morbo rariſſime boni quid denotat.

CMLXXXI.

CMLXXXI.

Colici dolores hernioſum inteſtinis licet non prolapſis torquentes.

ARtifex quidam, quinque fere annis quadragenario major, cum haud ita pridem doloribus colicis ab hernia ſubortis graviſſimis tortus fuiſſet, vel hac de cauſa de ſubligaculo arctius inteſtina in ſede ſua retinente magis ſolicitus, tandem quoddam invenit, quo mediante inteſtina ſic retenta fuere, ut ab illo tempore locum conſuetum rariuſcule mutarint, & vel paulatim prolapſa facillime eidem reſtitui potuerint; unde jam totus ſperavit, ſe in poſterum â modo memoratis doloribus immunem victurum; verum enim vero mirum quantum hac ſpe ſua cecidit, cum nuper dolores tanta cum vehementia rediiſſent, ut media nocte me vocare opus habuerit; ubi, ſicuti omnino minorem eventus minus felicis metum injecit, quia inteſtina loco ſuo non fuiſſe mota, vel ocularis inſpectio docuit, ita â fecibus diutius quam par eſt in inteſtinis detentis hos dolores imprimis foveri, exinde ſic ſat conſtitit, quia jam per pluſculos dies alvum in ea qua prius quantitate ſe non depoſuiſſe, retulit; tum lenioribus ergo medicamẽtis tũ Clyſteribus reſerare eandem tentavi, at cum hi fruſtra applicati fuiſſent, illa vero vomitu rejeciſſet, jam fortius quoddam purgans eidem exhibui; quod quidem diutius quam reliqua in Ventriculo moras nexuit, hincque vomitu licet rejectum, alvum tn. aliquoties movit, unde non parum ſe remiſerũt dolores, abdomen præſertim excruciantes; at reſtitere, qui dorſum imprimis incomodarunt, & ad os iſhias uſque ſe extenderunt, quorum vero itidem aliam cauſam non ſubeſſe, quam alvi obſtructionem nullus dubitans, laxantibus inſtiti, quæ licet denuo vomitu rejecerit, tandem tn. alvum ſic moverunt, ut omnes ſimul dolores ſedati fuerint, ipſeque Deo pro recuparata ſanitate gratias decentes egerit; Sicuti vero ex modo memoratis conſtat, hernioſos inteſtinis etiam ſede ſua non motis interdum nihilominus doloribus corripi, ita ſi hoſce dolores inde derives, quia inteſtina ſemel prolongata muneri ſuo, ut prius poſtmodum præeſſe non poſſunt, & hinc eo robore quo olim feces non protrudunt, quæ paulatim collectæ eadem extendunt, ſique dolores producunt ſimulque de his præſertim evacuandis ſis ſolicitus, à ſcopo tuo Deo juvante vix unquam aberrabis.

CMLXXXII.

CMLXXXII.

Fonticulus dolores in ſenectute concitans occluſus.

VIr quidam catarrhis olim pectus præſertim obſidentibus & hinc aliquoties pleuritidem ſpuriam producentibus obnoxius, propterea, ſuadentibus ſic aliquot præcipuis medicis, fonticulum in brachio ſiniſtro excitari curavit, quem & per plures annos in eodem geſſit, nec ab illo tempore malum memoratum rediit, quin & cetera DEI gratia ſic ſat ſanus vixit, & ultimam fere ſenectutem attigit; qua ingruente tantum puris quantum olim fonticulus ulterius non fudit, non raro etiam tantum doluit, ut & integras noctes inſomnes propterea ducere coactus fuerit; ubi, utut per annum, & quod excurrit, levamentum non ita exiguum attulerit, quod in alia ejusdem brachii parte novum tale ulcus excitari & antiquum conſolidari curavit, hoc tn. elapſo non ſolum ſemper minus materiæ purulentæ ex eodem profluxit, verum & dolores denuo redierunt, qui nunc, licet bis iterum locus ulceris mutatus fuerit, imminui tn. non potuerunt, unde td. de occludendo eodem cogitavit, nec me diſſentientem habuit, ab illo etiam tempore dolores omnino ceſſarunt, nec ullum ſupervenit malum, quod occluſo fonticulo adſcribi potuiſſet, unde & ut in altero brachio novum excitari permiſiſſet, perſuaderi nullo modo potuit: Licet vero non ita diu poſt virium inſignis proſtratio ſucceſſerit, tum hanc tn. tum eandem excipientem beatam mortem non tam fonticulo occluſo, quam ætati devexæ merito adſcribi, ego quidem nullus dubito: Omnino enim fonticuli, ubi plus moleſtiæ inferunt quam proſunt, ſi præcipue parum materiæ fundant, ſic ſat tuto occludi poſſunt.

CMLXXXIII.

Sanguis quinto poſt mortem die è naribus profluens.

DE eodem hoc viro notatu dignum eſt, quod poſtquam beata morte abreptus fuit, quinto demum poſt mortem die non

ita exiguam ſanguinis fluidi & floridi quantitatem ê naribus excreverit, adeo quidem, ut, qui cadaveri curando ornandoque manus commodarunt, illius fluxum non niſi difficillime inhibere potuerint, pulveremque ſympatheticum inſperſum is aliquoties penetrarit: Conſtat vero inde non omnem ſanguinis motum poſt mortem ſtatim ceſſare, ſed inteſtinum præſertim aliquandiu adhuc inſtare, qui putreſcentibus particulis efferveſcentiam quandam excitantibus in tantum in hoc ſubjecto auctus fuit, ut quinto die eruperit: Uti vero huic hic ſanguinis fluxus ſucceſſit, qui placida & maxime naturali morte ſeceſſit, & apud quem violentiæ ullius nec ſuſpicio quidem ſubeſſe potuit, ita quam parum certo de homicida, ſi ejuscemodi quid in cadavere violenta morte abrepti contingat, præſente judicetur, hæc obſervatio confirmat.

CMLXXXIV.

Ulcus antiquum occluſum ſequentia mala ſcorbutica.

TExtor quidam fere quinquagenarius, cum per biennium fere ulcus ſub mento aluiſſet, & per hoc ſemper pus profudiſſet, cetera quidem DEI gratia ſic ſat bene ſe habuit, cum vero moleſtum eſſe inciperet hoc ulcus, neſcio quibus remediis illud conſolidavit, externis nempe ſolum, de internis nec cogitans quidem; hincque brevi poſt catarrhum contraxit, difficiliorem reſpirationem primo reddentem, hinc vero ea mala producentem, quæ pleuritidem alias prodere ſolent, quibus vero itidem aut nulla aut tn. minus idonea oppoſuit remedia, unde paulatim ſanguis â nativa ſua bonitate ſic deſcivit, ut ſcorbuticus nominari meruerit, hincque non ſolum difficilior reſpiratio aucta, verum & abdomen inflatum fuit, quin dolores artuum cum inſigni virium proſtratione accedentes eum lecto affixerunt, ſicque quaſi coëgerunt, ut meum conſilium expetierit; Vix vero tum legeram illum tractatum, quem nuperrime Exc. D. D. Francus Ulmenſis de Trifol. fibrino ediderat, hincque paupertate preſſo huic vix convenientius remedium præſcribi poſſe, totus credens, Infus.

fus. ex eadem herba parare mediante Aqua fervente, hujusque quotidie binos hauſtus ſumere illum juſſi, ſimul vero & martiatum pulverem præſcripſi, quibus remediis vix per aliquot dies in uſum ductis DEI gratia tam bene ſe habuit, ut iterum de lecto ſurrexerit, & ad labores ſuos denuo aggreſſus fuerit, qui inprimis notavit, quod alvus, quam prius adſtrictam habuerat ab illo tempore, quo Infuſum Trif. fibr. bibit, officio ſuo rite reſpondit: Sicuti vero ex hac obſervatione conſtat, quam male quædam ulcera ſolis medicamentis externis ſanentur, ita, ſi medicamenta, quæ alias alvum ſubducendi viribus non ſunt inſtructa, eam ſtimulent & apertam ſervent, optima quævis in curatione talium morborum ſperare poſſumus.

CMLXXXV.

Caſei eſum ſubſequentia malā alexipharmacis cedentia.

VIr quidam Patritius, quinquagenario major, cum aliquamdiu dolorem Ventriculi gravativum perſenſiſſet, forte fortuna cum amico quodam in hoſpitium delatus, ibi caſeum, at, ſicuti retulit, ejusdem plus, quam dimidiam unciam non comedit, hincque domum rediens leviore cœna contentus mox in lectum ſe contulit, & totam fere noctem dormiendo extraxit, mane de lecto ſurrexit, veſtibus ſe induit, quia nempe concionem ſe aditurum, ſecum conſtituerat; at, cum vix hoc labore defunctus fuiſſet, animi deliquio corripitur, quod ipſum permovit, ut iterum veſtes depoſuerit, & in lectum ſe contulerit, ubi cum præ laſſitudine vix caput attollere poſſet, quin hoc vel parum ſublato ſtatim vertigo ſuccederet, me propterea vocavit, & emetico quidem medicamento optime ſibi conſultum iri, credidit; at quoniam urinam tinctiorem excreverat, & ego ne quid maligni latitet, metui, Alexipharmacam Potionem eidem præſcripſi, quæ bis ſumta Dei gratia tantum profuit, ut non ſolum de lecto ſurgere, verum & prandere potuerit, quin ſequenti veſpera tam bene ſe habuerit, ut vix habuerit, de quo ulterius quereretur; quoniam vero aliquamdiu apud eundem commoratus obſervavi aliquoties ipſius genas minus conſueto

ſuffundi rubore, & vertiginem interdum reditionem minari, ipſemet retulit, ſub noctem ſimilem fere cum Potione pulverem eidem ordinavi, quo ſumto placide dormiit, & mane de lecto ſurgens una mecum Infus. Herbæ Thee ſe delectavit, poſtmodumque ad labores ſuos conſuetos rediit: ex dictis vero ſicut abundantiſſime conſtat, mala à cruditate ſuborta alexipharmacis quoque corrigi poſſe, ita, ſi hæc morbis malignis graſſantibus vomitoriis (quæ infeciliter exhibita fuiſſe, novi) prætuleris, erroris accuſari vix poteris, cùm præſertim metu de malignitate evaneſcente, & aliis indicantibus vomitum requirentibus, is vel poſt aliquot dies ſat tuto moveri poſſit.

CMLXXXVI.

Frigus fruſtra malignitatis ſuſpicionem injiciens.

ALius quidam nobiliſſimus Senator, cum prius per triduum fere de difficiliore reſpiratione, quam catarrho adſcripſit, queſtus fuiſſet, quadam veſpera cubitum iturus tam inſigni frigore correptus fuit, ut per integrum bihorium vix calefieri denuo potuerit; utut vero hoc calor nimius non exceperit, reliquamque noctem placide dormierit, nec evigilans de ullo malo querelas moverit, Uxor tn. ejusdem, ne quid maligni ſubtus latitet, ſolicita, purgans, quod ego ante aliquot dies præſcripſeram, eidem exhibere non fuit auſa, antequam me prius conſuluit; vocatus ergo hac de cauſa, cum ſedulo in quævis indagaſſem, non tam malignitati cuidam, quam ſanguini abundanti & Venæſectionem conſuetam quaſi poſtulanti, tum frigus tum reſpirationem difficiliorem originem ſuam debere, & hinc purgans, quod aliâs quoque huic præmiſit, omnino ſumere, ſimulque proxime ſanguinem conſueto more ſubtrahere juſſi; ſicuti vero purgante ſumto Dei gratia ſtatim melius ſe habuit, ita ſanguine ſubtracto nec minimum quidem ſuperfuit, quod ipſi moleſtiam quandam creaſſet; ſic autem dantur caſus quoque, in quibus non habemus, quod à malignitate vel minimum nobis metuamus, quos quo accuratius â ſe invicem diſcernere poterimus, eo felicius & ſic quoque ægrotis adſtabimus,

CMLXXXVII.

CMLXXXVII.

Leproſa in Leproſorio convaleſcens.

TRiennium ferme interea eſt præterlapſum, quod mulier quædam in Xenodochio tum degens, uti quidem alii mihi retulerunt, poſt largiorem Spiritus Vini aut potius frumenti abuſum tandem ſcabiem totius, inprimis vero faciei tam perverſam contraxit, ut eam â ſanis ſeparandam & leproſis aſſociandam eſſe, absque ulla hæſitatione ſtatuerimus; nec nobis tam tum ullus contradixit, quam tantum ab eadem abhorruerunt leproſoriis præfecti ſic nominati Patres, ut ad eam recipiendam alter eorum vix perſuaderi potuerit, ſed potius quandam receperit ulceribus gallicæ luis aliquid ſpirantibus non parum defœdatam, ſicque alteri hanc quaſi obtruſerit, qui mirum quantum tum ſe læſum credidit; at cum vix per annum apud eum degiſſet, & aliquoties balneo conſueto uſa fuiſſet, omnis ſcabies ſic evanuit, ut jam ante annum vix quædam ejusdem indicia ſuperfuerint; cum vero hoc anno habita ordinaria leproſorum viſitatione eam propius iterum inſpexiſſem, tam ſanam eandem inveni, ut niſi, an conſtans ſit hæc ſanitas? experiendum eſſe, more meo ſtatuiſſem, jam iterum ex hac domo dimitti potuiſſet: interrogata hæc ipſa nunc, unde olim tam fœdam ſcabiem contraxerit, Spiritus Vini & frumenti abuſum penitus negavit, ſed eam in braſſicæ muriatæ ad palatum ſuum non coctæ eſum rejecit, ſed falſo, cumplures eam comedentes nec ſcabie quidem laborent; ſicuti vero & plures leproſis merito annumeratos vel in ipſis eorum domibus, & cum iisdem degentes ſanitatem priſtinam acquiſiviſſe, notavi, ita non parum conferre, quoniam domus hæ extra urbem aeri liberiori ſunt expoſitæ, & fœminæ præſertim ſæpius balnea iterant, ariolor, licet ipſi multum tribuant unguento neſcio quali, quo plerique leproſi utuntur, quod ego vero illos, in quibus altiores fixit ſedes ſcabies perverſa, parum juviſſe, ſæpius obſervavi.

CMLXXXVIII.

Balneum ſubſequens febris alexipharmacis curata

MErcatoris cujusdam Uxor teneræ conſtitutionis, cum balneum ingreſſa & forſan diutius in eodem commorata fuiſſet, paulo poſt pejus ſe habere cœpit, dum imprimis caput doluit, & laſſitudo quædam moleſta extitit, quæ tn. mala appetitu adhuc pollens & negotiis domeſticis perficiendis ſufficiens, ipſamet ſoli balneo adſcripſit, & hinc per integrum biduum neglexit; at cum hoc elapſo ſubito frigore correpta fuiſſet, hocque calor tactui quoqne nimius patens excepiſſet, doloribus quoque capitis inde auctis meum conſilium expetiit; & ego febricitanti, adhuc incertus cui febrium claſſi ſit inſerenda, ea, qua laboret, alexipharmacis malum aggreſſus fui, nec fruſtra; hisce enim per triduum continuatis paulatim febris DEI gratia ſic ſe remiſit, & quarto die nec unicum ejusdem reſtiterit indicium; unde jam reſtitanti lumborum dolori quem renibus affectis ortum ſuum debere, urina ſufficienter prodidit, medicamenta convenientia oppoſui, ſicque DEI gratia brevi omnem curam abſolvi: Sine dubio nempe febres, in quibus malignitas quædam ſubeſt, ſi iisdem ſtatim alexipharmaca opponantur remedia, in principio adhuc imminui poſſunt, ut poſtmodum nec tam diu inſtent, nec tam gravia easdem comitentur ſymptomata, quod ego aliquoties obſervavi.

CMLXXXIX.

Syncope laboribus arduis vacantem proſternens.

VIr quidam in publica dignitate conſtitutus, jam diu arthriticus, nihilominus vero muneri ſuo doloribus vel parum remittentibus ſtatim iterum vacans, & à medicamentis ſic abhorrens, ut eorum nec mentionem quidem fieri, æquo tulerit animo, laboresque ſuos ſat arduos non raro jejuno ventriculo aggreſſus

greſſus fuerit, cum aliquando in hisce ipſis perficiendis occupatus fuiſſet, ſubito ſyncope tam forti corripitur, ut niſi præſens quædam fœmina & ipſa ægrota ſellam ſuppoſuiſſet, in terram corruiſſet, nec, niſi adhibitis odoriferis variis ad ſe rediit; ipſemet poſtmodam faſſus, ſe per omne hoc tempus, (quadrans vero horæ interea fere præterierat,) omnium ſenſuum uſu caruiſſe; perfecit tn. quod tum inchoaverat opus, & interea me vocato accedente ſic vires collegit, ut nec, ut vini parum ſumeret perſuaderi potuerit; multo minus ergo vel ſuaviſſima & in minima doſi ſumenda medicamenta ſuadenti aures præbuiſſet, at & ab illo tempore ſicut prius officio ſuo præeſſe potuit: Jejuno inprimis Ventriculo hanc ſyncopen originem dubuiſſe, ſicuti vix quempiam in dubium vocaturum, ſpero, ita monitis medicis aures præbentes, & antequam ardua negotia aggrediuntur, ſi præſertim viribus non polleant, aliquantum cibi ſumentes longe felicius ſanitati ſuæ conſulent, quam ad proprium genium viventes, & talia monita parvi pendentes, qui td. & graviora mala ſic ſibi conſciſcere poſſunt.

CMXC.

Poma cruda comeſta brachiorum dolori medentia.

MAtrona quædam nobilis, rei ſuæ attenta, & hinc non tam ut ſanitatem conſervet, quam ut ſumtibus parcat, vix tantum, quantum alendo corpori ſufficit, cibi ingerens, nec niſi rariſſime medicum conſulens; cum nuper doloribus brachia præſertim occupantibus tantis ſubinde corriperetur, ut eadem vix attollere potuerit, fratri hypochondriaco, & hinc in medicas quoque res ſubinde inquirenti per litteras hoc indicavit, ſimulque ut conſilium quoddam ſuggerat, hunc rogavit, qui ſeu jam revera credidit, quod ſibi profuit, ſorori quoque ſuæ profuturum, cum hæc ſine dubio itidem inter hypochondriacos locum mereatur, ſeu ad genium illius, quo pretio vilia eam præ aliis amare novit, ſe accommodavit, ſeu alia mihi ignota de cauſa, ipſi ſuaſit, ut quotidie mane jejuna unum alterumve pomum ſeu pyrum at dulcia comedat, ſibi ipſi enim hoc remedium quam maxime in

ſimili

ſimili fere malo profuiſſe; nec diſplicuit huic conſilinm, & propterea ſtatim quandam eorum pomorum, quæ Borſdorffenſium nomine veniunt, & ob aromaticum ſaporem merito aliis præferuntur, quantitatem comparavit, quotidieque mane duo vel tria ingeſſit, tanto (uti credidit,) cum fructu, ut non ſolum dolores brachiorum ceſſaverint, verum & cetera longe melius ac olim ſe habuerit; quod nuper, cum alia de cauſa me conſuluiſſet, ſerio teſtata fuit: ſicuti vero nullum eſt dubium plures poſſidere partes hæc poma, corrigendis humoribus peccantibus dicatas, ita, licet medicus riſu exciperetur, ſi tali modo eadem commendaret, inde tn. diſcit, non fruſtra dudum jam ſuccos etiam pomorum inter medicamenta relatos fuiſſe, hincque vel hac de cauſa lubentius eosdem ad extrahendam præſertim martis eſſentiam admittit, quin & aliis ſuccis in uſum ducendis interdum admiſcet.

CMXCI.

Animi deliquia febrem curatam ſubſequentia.

VIrgo quædam viginti & quod excurrit annorum, gibboſa, & hinc non niſi bis terve hactenus menſes experta, ſed loco illorum ſingulis menſibus faciei intumeſcentia non parum defœdata, cum huic malo varia remedia hactenus fruſtra oppoſuiſſet, nuper non ſolum tumor modo memoratus conſueto tempore ſucceſſit, verum & febricitare cœpit, adeo quidem, ut inde in lectum proſtrata fuerit; conſultus ego, uti nulli hoc tempore febri fidi, ita & huic alexipharmaca, & inprimis pulverem ſub hoc nomine in Appendice Diſpenſatorii noſtri deſcriptum oppoſui; tam feliciter quidem, ut quarto die nec minimum quidem febris indicium reſtiterit; niſi quod urina tinctior reſtitit, quæ me permovit, ut eam medicamentum hoc continuare juſſerim, nec me conſilii hujus pœnituit, cum enim die quinto, ſe convaluiſſe credens, de lecto ſurrexiſſet, & vix per dimidiam horam extra illud morata fuiſſet animi deliquium tam grave ſupervenit, ut niſi frater adſtitiſſet, in terram prolapſa fuiſſet, qui eam in lectum deportavit, ubi jam eo lubentius alexipharmaca continuavit, cum præſertim ſequenti die iterum de lecto ſurgenti idem malum ſine

dubio

dubio reditum minatum fuiſſet, quod tn. lectum cito repetendo avertit; per biduum itaque adhuc pulverem laudatum continuavit, ſicque Dei gratia convaluit: reſtitantes nempe particulæ malignæ inſenſibili tranſpiratione extra lectum impeditæ intimius ſanguini mixtæ dictum malum excitarunt, quod hiſce mediante pulv. alexipharmaco iterum diſcuſſis facile curatum fuit, non itaque absque re prorſus eſt, ſi vel maxime ceſſante febre alexi pharmaca aliquamdiu adhuc continuentur, ſi præſertim quædam adſint reliquiarum indicia.

CMXCII.

Variolæ cum alvi fluxu innoxio.

BEati cujusdam Conſulis filiola, bienni ſex fere menſibus natu major, elegans & lepida; cum propingua cognatione conjuncti Viri in eadem cum ipſa domo habitantis filiolus à variolis vix convaluiſſet, itidem hoc malum contraxit, & primo quidem ſic ſat graviter febricitavit, at erumpentibus puſtulis febreque ceſſante poſtmodum ſic ſat bene DEI gratia ſe habuit, utut per totum morbi decurſum, alium quam cereviſiam potum non admiſerit, & continuus alvi fluxus variolas comitatus fuerit; cui quidem quod eam, quam in aliis magnitudinem non acquiſiverint, adſcribendum eſſe judicavi, nec, quia nec viribus inſidiatus fuit, nec alio modo puellam læſit, eidem medicamenta oppoſui, & quidem feliciter, ſponte enim is cum variolis exareſcentibus deſiit, puellaque DEI gratia ſic convaluit, ut & Variolarum vix quædam ſuperfuerint veſtigia: Non itaque ſemper noxius eſt alvi fluxus variolis ſuperveniens, ſatque tuto eundem nullo alio malo urgente, non ſtatim ſupprimi, hæc obſervatio docet; Notari vero meretur, quod, ſicuti hoc anno Variolæ omnino benignæ nominari meruerunt, ita & ſymptomata aliâs merito metum injicientia minus noxia extiterunt, ſic enim tum huic tum aliis pluribus hæmorrhagia narium quoque nil mali intulit, adeoque & in hoc morbo de ejusdem ſymptomatibus, prout is magis vel minus malignus extiterit, judicium ferendum erit, ubi vero hæc locum inveniant, ex iis, quæ huic obſervationi modo ſubjunxi, ipſemet facile diſcernes.

CMXCIII.

Auditus gravitas Venæſectionem ſubſequens.

ADſtantem nobiliſſimæ cuidam Matronæ, præſens mulier quædam paupercula, ſucci potius vitioſi quam laudabilis plena, quinquagenaria major, me rogavit, ut remedium quoddam communicem, auditui reſtituendo accommodatum, quem tam difficilem habeat, ut non niſi alta voce prolata verba percipiat; quamdiu hoc malo laboret? dum ergo ego primo inquiro, ab illo tempore, quo nuper Venæſectionem inſtitui reſpondente ea, ab hac intempeſtive inſtituta hoc derivandum eſſe, nullus ulterius dubitavi, cum præſertim ulterius interroganti, cur hoc tam generoſo remedio uſa fuerit, aliam, quam conſuetudinem, cauſam afferre non potuiſſet; ſicuti vero ſedulo eam hortatus fui, ut in poſterum melius ſuæ ſanitati, ſanguinem nempe conſervando potius quam ſubtrahendo conſulat, ita cum hæc obſervatio, quod præter omnem rationem inſtituta Venæſectio ſæpiuscule varia poſt ſe trahat mala, confirmet, eam ab aliis clariſſimis Viris hunc ipſum in finem communicatis ſimilibus ſat commode ſubjungi poſſe, ſpero.

CMXCIV.

Reſpiratio ſæpius infanti inhibita tandem mortem inferens.

OBſonatoris cujusdam filiolus nondum annuus, cum hactenus quidem ſic valuiſſet, ut eundem ſat diu ſuperfuturum, Parentes ſpem non ita exiguam conceperint; ſubito malo quodam corripitur, quod hanc ipſam ſpem non parum imminuit, dum nempe aliquoties per aliquot horæ momenta reſpiratio ejusdem ſic inhibita fuit, ut eum jamjam ſuffocatum iri, non ita inanis ſubfuerit metus; quoniam vero hoc malum in principio de die non niſi bis terve rediit, puerulusque paulo poſt, ſemper ſic ſe collegit, ut vix indicia quædam tanti mali reſtiterint, per

aliquot

aliquot dies illud penitus negligebatur, nec niſi eo ſæpius recurrente & amicis vicinis ſuadentibus meum conſilium tandem expetiere; at revera debito tardius; utut enim medicamenta convenientia, & aliis aliàs in hoc malo proficua præſcripſerim, fruſtra tn. omnino hæc in uſum ducta fuere; malum ſiquidem, iisdem licet ſumtis ſemper tn. ſæpius rediit, & tandem puerulum penitus ſuffocavit: Foramen ovale nondum ſic, uti requiritur, clauſum non paucis hoc malum producere, ego quidem ariolor, vel hac ipſa de cauſa vero, ſicuti per ſe difficilius curatur, ita, ſi inſuper negligatur, eo minor curæ cujusdam perfectæ ſpes ſupereſt.

CMXCV.

Febrim fere curatam ſequentia mala mortem inferentia.

VIrgo quædam viginti & quod excurrit, annorum, â Patre in ſenectute & Cachexiæ quibusdam prodromis jam laborante genita, cum tributum lunare eo tempore, quo communiter ſolent, non ſolveret, matrem hac de cauſa non parum ſolicitam reddidit, quæ hinc varia hinc inde conquiſivit remedia, movendis menſibus dicata, & ea ſat ſedulo quoque in uſum duxit, unde td. ſcopum ſuum obtinuit, at plus ſeri quam ſanguinis illam per uterum depoſuiſſe, per integrum biennium, & quod excurrit, notavit; acceſſit huic ſymptomati per idem hoc tempus difficilior dentitio, â qua ſuborti dolores itidem non parum ſeri ex ore elicuerunt, & hinc ſanguinem ſuo hoc tam neceſſario vehiculo privarunt, quo deſtitutus ſicuti motus ſui impediti vel per faciei colorem ſic ſat luridum haud ita obſcura edidit indicia, ita ſine dubio quasdam partes craſſiores in utero dopoſuit, quod poſtmodum ſufficienter conſtitit: Cum enim ante aliquot hebdomadas ſic febricitare cœpiſſet, ut aliquid maligni ſimul ſubeſſe, per quævis indicia conſtiterit, hæc quidem febris, DEO medicamentis clementer benedicente, iisdem ſic debellata fuit, ut jam ſumma convaleſcentiæ ſpes affulſerit; at reſtitare adhuc peccantes in corpore particulas, Urina ſemper adhuc tinctior &

fœtore moleſto ſicut per totum morbi decurſum ſic etiamnum nares feriens abunde docuit; unde febre plane ſe remittente laxans quoddam medicamentum eidem exhibui, quod vero tantum abeſt, ut vel minimum profuiſſet, ut potius febrem reproduxerit, unde jam huic imprimis iterum obviam eſſe eundum judicavi; quoniam vero tum ipſamet ægra, tum mater ejusdem ſibi inaniter perſuaſerunt, non tam febrem ſubeſſe, quam quævis ſymptomata aliis quibusdam cauſis eſſe adſcribenda, dum ex gr. appetitum prorſus proſtratum, linguæ à dente acutiore læſæ; urinam tinctiorem (utut vel modo reddita fuerit,) diuturniori in fornace repoſitioni, ſummum virium defectum aut metui aut inſtantibus iterum menſibus tribuerunt, & hinc tum medicamenta, ea qua prius ſedulitate in uſum non duxerunt, tum & noxia quædam interpoſuerunt, (ſic enim acetum ejusdem potui immixtum fuiſſe vel ſorores ejusdem retulerunt, & bis terve cibos noxios utut in parca quantitate ſe illi præbuiſſe, ipſamet mater faſſa eſt,) quotidie morbi invaleſcentis & vires ſemper magis magisque depaſcentis plura ſigna ſe exſeruerunt, & imprimis difficilior reſpiratio, quam ipſæ catarrhis quibusdam adſcripſerunt, indies aucta fuit, tandemque accedentibus etiam animi deliquiis, die â decubitus principio trigeſimo ſexto ea hanc vitam cum meliore commutavit; ſanguinem vero in utero jam diu retentum & corruptum hanc febrem imprimis foviſſe, tum quia reliquorum viſcerum affectorum nec minimum quidem aderat indicium, tum quia per plures jam menſes nunquam absque dolore & virium imminutione menſes, & cum iisdem aliquoties peregrina quædam filamenta depoſuerat, ariolatus fui; cum præſertim continuus Urinæ fœtor de corruptione quadam præſente me dubitare non ſiverit.

CMXCVI.

Alvi fluxus cruentus ab utero nulli remedio cedens.

MAtrona quædam honeſta, triginta ſex annorum, parvæ ſtaturæ & teneræ conſtitutionis, aliquotque liberorum mater, cum ante ſesquimeſtre & quod excurrit, primo quidem ſe gravidam credidiſſet, hinc vero inordinato menſium fluxu ſuperveniente de conceptione dubia in abdomen ſuum accuratius inquiſiviſſet, tumorem

morem invenit, quem ipſamet pro minus naturali habuit, & hinc mihi quoque tangendum obtulit, quem ego ſtatim pro uteri tuba inflata & diſtenta, hincque pro inſanabili habui, hincque Teneſmo & hunc comitantibus malis medicamenta quidem quædam ſupra Obſ. DCCXLI. deſcripta oppoſui, at parum admodum hæc contulerunt; unde vitæ amantiſſima, pro mola habens hunc tumorem, alios quoque conſuluit, & imprimis ut expellatur hæc urſit, quin aliquando quibusdam quaſi partus doloribus accedentibus de extractione cogitavit, quam quoque inſtituere quidam tentavit; at ipſo opere expertus eſt, non tam fluctuantem in corpore & ab eo ſeparatam eſſe maſſam, quæ tumorē hunc produxit, quam quippiam arctius eidem conjunctū, unde cum iterum balneū quoque fruſtra adhibuiſſet, tandem ad me rediit, & ut ſanguinis fluxui per alvum continuo fere inſtanti, & doloribus hunc comitantibus medear, ſolicite rogavit; ſicuti vero Dei gratia hi ſic ſat cito inhibiti, nec per ſex fere hebdomadas ulterius moleſti fuerunt, ita is tn. nec vel laudatiſſimis adſtringentibus nec opiatis vel minimum ceſſit, quin utut bis terve aliquamdiu ſubſtiterit, mox tn. aut majori vehementia rediit, aut plus ſeri cruenti par has ipſas vias depoſuit, viresque inde tantum inſumtæ fuerunt, ut ſemper minus extra lectum degere potuerit, accedentibusque difficillima reſpiratione, tuſſi, raucedine, ſuperiorum partium conſumtione, & inferiorum intumeſcentia, tandem, alvi fluxu cruento ad ultimum usque vitæ halitum inſtante hanc ærumnoſiſſimam cum meliori commutavit: ſed utut nil magis exoptaſſem, quam ut poſt mortem in mali hujus cauſas indagare licuiſſet, ipſius tn., ne hoc fiat, in agone adhuc conſtitutæ rogitantis petito ejusdem maritus deeſſe noluit: quam fruſtra vero ſimus occupati in curādis talibus uteri malis, hæc obſervatio cōfirmat, vixque prudens medicus aliam quam palliativæ nomine venientem curam unquam promittere audebit, contentus, ſi dolores mitigare potuerit.

CMXCVII.

Phthiſica poſt febrem malignam devictam in mortis prædam cedens.

VIdua quædam ſeptem annis quinquagenaria major, gibboſa & teneræ conſtitutionis, cum jam per plures annos verno præſertim

tim tempore catarrhis gravioribus laboraſſet, qui difficilem inprimis reſpirationem reddiderunt, nunquam ab iisdem ſic penitus liberata fuit, quin quædam reliquiæ præcipue vero tuſſicula quædam ſuperfuiſſent; quæ tn., quia ſimul negotia ſua domeſtica curare potuit, minus curavit; correpta vero fuit ante quatuor fere hebdomadas iis ſymptomatibus, quæ hoc anno febris malignæ inſtantis ſic ſat certi fuere prodromi, unde & ego conſultus alexipharmaca ſic ſat ſedulo iisdem oppoſui, nec fruſtra, dum non ſolum maculæ petechiales in tempore eruperunt, verum & febris poſt elapſos quatuordecim dies ſic ſe remiſit, ut jam pro devicta haberi potuerit: Verum enim vero ſicut per totum hoc tẽpus tuſſis eidem inprimis moleſta extitit & aliquot noctes inſomnes reddidit, ita hæc vel febre ceſſante eadem vehementia inſtitit, nec ullis remediis demitigari potuit, aucta præſertim quando appetitui redeunti vel minimum ſatisfecit, quin huic tandem tam difficilis ſucceſſit reſpiratio, ut aliquoties metus ſuffocationis ſubfuerit, quam utut bis terve ſic ſat feliciter impediverint, quia tn. ſputum aut plane non, aut parcius ſucceſſit, avertere omnino non potuerunt, unde eadem ſub pulſu ſic ſat bono celeri quidem at æquali nec debili ſupervenit, flammulamque vitalem extinxit: qui nempe aliis jam olim obnoxii fuerunt morbis, viſceraque integra non habent, ſicuti hanc imprimis pulmonibus laboraſſe, nullum eſt dubium, utut ipſa febre maligna non ſtatim abripiantur, ſic tn. debilitantur, ut poſtmodum hiſce ſuis conſuetis morbis ſuccumbant: quam fallax vero identidem & ipſa morte inſtante pulſus ſuggerat ſignum, cum hæc obſervatio confirmet, huic nunquam nimium fides.

CMXCVIII.

Phthiſis quomodo ex urina prædicta fuerit.

ACceſſit me hiſce diebus quædam ancilla urinam adfecerens, uti quidem retulit, Eichſtadio miſſam, & fidenter petens, ut ex illa, an ea, quæ reddiderit, a morbo quo laboret, ſit convalitura; an vero eidem ſuccubitura? edicam; cum vero ex eadem ſedulo licet inſpecta nil quicquam deprehendere potuiſſem, quod ullius morbi ſuſpicionem mihi injeciſſet, & illa nil quicquam ad mea interrogata reſponderet, ut ea, quæ urinam miſit, pro litteras interrogetur; quãdiu non pepererit? an tributum lunare rite ſolvat? tuſſi laboret? an ſudo-

ſudoribus divexetur? ut & an pedibus intumeſcat? petii, tumque quæ mea de ejusdem morbo ſit mens, ingenue me dicturum, promiſi; ſeu vero jam hæc ægra in urbe habitarit, ſeu in litteris olim harum rerum mentionem fecerit, vix horæ quadrante elapſo ad me rediit ancilla, & reſponſa ſcripta attulit, quod nempe ultimum fœtum ante quatuor annos ediderit, tributum lunare rite quidem at parce ſolvat, tuſſi interdiu noctuque divexetur, plurimumque materiæ purulentæ rejiciat, ſudoribus tantum non diffluat, non vero intumeſcat, at ſæpe tam vehementer tuſſiat, ut urina quoque inde expellatur; hinc vero ego ſtatim pro phthiſica eandem agnovi, & vix ac ne vix quidem curatum iri judicavi, cum malum radices ſic ſat altas egiſſe ex modo memoratis facile pateat: hæc vero, tum quia tyrones, quomodo tam multum tacentibus iis, qui urinas afferunt, ſe gerere debeant, exinde docentur, tum quia quam naturalis plerumque ſit phthiſicorum urina, confirmatur, produco.

CMXCIX.

Mucus narium condenſatus paulo ante mortem emunctus.

VIr Venerandus, cujus hiſtoriam haud ita pridem dedi, per aliquot mortem antecedentes dies mucum naribus emunxit in maſſam condenſatum digiti manus minimi magnitudinem niſi excedentem ſane æquantem; quod quidem in principio ſpem quandam ſuggeſſit roboris naturæ adhuc ſuperſtitis, morbo etiam devincendo paris futuri; at fruſtranea hæc ſpes fuit, utut enim vix biduo ante mortem adhuc tales maſſulas emunxerit, hæc tn. nihilominus ſupervenit; ut adeo potius ſignum fuerint ſeri in nimia quantitate in naribus ſeparati ſicque condenſati, cujus defectus poſtmodum, ut ſanguis, ſicuti debet, moveri non potuerit, una cum aliis cauſis in cauſa fuit: nunquam vero hoc mihi mentem veniſſet, niſi paulo poſt Virgo, cujus morbum letalem itidem nuperrime deſcripſi, mucum licet non in tam magnas maſſas concretum denſiorē tn. itidem & in eadem quantitate paulo ante mortem & quidem non absque quadam difficultate naribus quaſi expreſſiſſet; ſic enim aliis quoque ſignis accedentibus mucum talem pro malo potius quam bono indicio habendum eſſe, non parum conſtitit, nec tam ſpem quandam aliis in poſterum ſuggeret, quam juſtum mortis metum augebit,

M.

Febris maligna ſub bonis quibusdam ſignis perimens.

OBſonatoris cujusdam Uxor, triginta fere annorum, ſucci plena & quantum per externa ſigna conſtitit, cetera ſana, cum nuper filiolo graviter decumbenti ſedulo adſtitiſſet, hoc in mortis prædam cedente, non ſolum laſſitudinem quandam minus conſuetam perſenſit, verum & caput doluit, appetitumque plane proſtratum habuit; verum enim vero hæc mala curis ſolicitudinibusq́ quas in filiolum inſumſerat, atque triſtitiæ â morte ejusdem ſubortæ adſcribens, tantum abeſt, ut ullum iisdem oppoſuiſſet remedium, ut potius in funus filioli adhuc proceſſerit, & ſic eadem tantum exaſperarit, ut tandem inde in lectum proſtrata fuerit; ubi ſexto demum die urina miſſa conſilium meum deſideravit, & ego tum ex hac tum reliquis relatis febrem malignam ſubeſſe judicavi, huicque ſtatim medicamenta convenientia oppoſui, quæ poſtmodum vocatus & ſententiæ meæ per reliqua quoque indicia certior factus, eo magis ſedulo continuare juſſi; nec fruſtra eam medicamenta ſumere, in principio parebat, dum brevi maculæ petechiales comparebant, nec gravius ullum accedebat ſymptoma; at quoniam ſæpiuscule corpus denudabat indeque illæ ſubinde recedebant, & quinto fere poſt me vocatum morbi die Urinam turbidam, nec per calorem claritatem acquirentem excrevit, hæc ſtatim eventus minus felicis metum mihi injecit; continuare vero medicamenta nihilominus juſſi, unde maculis iterum pluribus erumpentibus, & urina clara reddita, nova ſpes concipiebatur, quam tn. ipſa iterum refrigerium plus quam decebat quærens dubiam reddebat, non tn. ſic, quin, cum ultimo biduo adhuc exacto, accedens in ſingula inquiviſſem, mortem tam cito inſtare, totus dubitaverim, quæ tn. vix duabus elapſis horis ſucceſſit: diſces vero ex hac obſervatione, urinæ, ſi ſemel in morbis malignis turbida excernatur, vel priorem claritatem acquirenti minus tuto tn. fidi; & in hiſce malis mortem ſæpius, vel quibusvis indiciis eam adhuc procul abeſſe, denunciantibus, brevi tn. ſuccedere; ſicque in prædicendo eadem te cautum reddet.

INDEX

INDEX

in quo Numerus Romanus Curam, alter paginam monſtrat.

A.

ABdominis dolor â lapſu graviore CXCIX. 116.
cum vomitu â vermibus. DXLIV. 334
inflammatio â cerevi-ſia frigida pota. CCCCLV. 273
Abortiens temeritatis pœnas luens. CCXXIII 130
Abortum ſubſequens tumor totius. CCLV. 151
Abortus ab incantatione CXLIV. 84
Gemellorum â terrore. CCXX. 129
Rob Juniperi adſcriptus. CCLXXIV. 162
Abſceſſum brevi curatum ſubſequens febris. DCCCXCII. 624
Abſceſſus ad nates in Infante. CLXIV. 95
juxta inguen fonticulum exſiccans. DCCCLX. 597
Acaciæ flores alvum ſolventes. DCLXXI 417
Achoribus exſiccatis ſuccedens febris. DCCCLXXIX. 612
Acidularum potum qui abſolverunt non ſemper purgante opus habent. DCCCXIV. 562
Acidulas potas ſubſequens faucium dolor. CCCCXCVIII. 302
Adamas hæmorrhagias ſiſtens. DCLXXXVI. 425
Ægrotam cum metu viſitantes. CCXXXIX. 140
Agyrtæ veneno oppoſita medicamenta. CCCXXVI. 193
Alaudarum eſum ſubſequens Aphonia. DCXXXVIII. 396
Oſſicula cum urina excreta. DCXLV. 401
Alchemiæ fautoris facetum dictum. CLXXVIII. 103
Alvi fluxus cruentus ab utero nulli remedio cedens. CMXCVI. 708
in gravida. CCCCLVI. 274
infante debito citius inhibitus. DXII. 310
obſtructio â ceraſis cum nucleis comeſtis letalis. DI. 304.
in gravida. CVI. 62
felicius internis quam externis medicamentis reſerata. CMVII. 635
per quinque dies inſtans. DCXXVIII. 391

Alvi Obſtructio ſine ullo dolore letalis. DXXXIV. 327
obſtructionem diuturnam ſubſequens viriũ im̃inutio. DCCCXCVII. 629
obſtructione defuncti apertio. DXXXV. 328
Alumen Arthritico male applicatum. XXIX. 15
innoxie ſumens phthiſica. CMXXXII. 654
Alvus diu laxa per iter adſtricta. CCCCXXII. 252
falſo aperta credita. DCCLXXI. 478
horrore â Clyſtere aperta. CCCXI. 185
leniſſimo laxante aperta. DCCLXVIII. 477
Amentia Variolis ſuccedens. DCCXCIV. 493
Amygdalæ dulces vermes evocantes. CCCXVIII. 189
Anaſarca â pomis in nimia quantitate ingeſtis. DCCXXIV. 451
Ancilla falſiſſimum morbi ſtatum referens. CCLXXII. 161
Anevriſma ſibi ipſi aperiens Canis. CC. 117
Angina â tumore linguæ radicem occupante. DCXCIX. 434
Anginæ cura fortuita. DCXXXVIII. 426
Ani fiſtula doloribus arthriticis ceſſantibus ſuccedens. XXIV. 12
ſectione curata. CCCCXCV. 299
fiſtulæ initium minus conſuetum. CCCCXCIV. 298
Animi deliquia ab abſtinentia â cibo. CCCXXXIX. 200
aqua Cinnamomi. CXLII. 83
ablactationem ſubſequens. DCXCV. 431
abortum ſubſequens. CXXIII. 72
â contuſione. XXII. 11
dentium dolore. DCXCII. 429
medicamento tempore paroxyſmi ſumto XLIII. 25
metu ab evulſione dentis ſubortum. CCCCXLVIII. 589
febrem curatam ſubſequentia. CMXCI. 704
ferventi cibo ortum debens. DCLXXVIII. 421
in puerpera. CVII. 62
ſene ſæpe recurrentia. CCCCXV. 247
laboribus per noctem continuatis ſuccedens. CCCXXX. 195
Anſerina odontalgica. DCXLII. 399
Anum ſuo loco reſtituens remedium. DXIII. 311
Aphthæ facili remedio cedentes. CCCCXCIII. 297
multum dolentes. CCCXLVIII. 207
ſalis ammoniaci uſum ſubſequentes. CCCLXXXV. 230
Apoplexiæ letalis ſignum quoddam. CCXXVIII. 194
Apoplexia diuturnos capitis dolores ſubſequens. CMLXIV. 679
levis ab ira. DCXI. 380

Apoplexia

Apoplexia peralyſi ſuperveniens letalis. DCCCXII. 560
Appetitu refragante cum noxa comedens. CCXXXVIII. 139
Appetitus cibi potusque novæ ſedes. LXXXV. 50
Aquæ limacum falſo adſcripta laus. DCLX. 411
nocturnus potus quibusdam ſalutaris. CCCCLXXVII. 286
potus pueris valde proficuus. CCCXVII. 188
Aqua fortis innoxie pota. DLXXXV. 362
loco fuci adhibita. DCCXLV 464
perlata loco Clyſteris injecta. CCCXCI. 233
poſt laxantia pota alvum movens. XLV. 26.
Aquarum partum antecedentium intempeſtivus fluxus inhibitus. XXV. 13
Aranea brevi pinguedinem conſumens. CCCX. 184
Ardor Ventriculi ab uvis comeſtis. DCLXIX. 416
à chorea ſuſcitatus. CCLXXVIII. 165
brevi curatus. CCXLIII 142
Infuſo Thee ſuſcitatus. XLVI. 26
Vino muſcato cedens. CCCCXLVIII. 268
Aromata poſt ſanguinis nimium fluxum juvantia. CCI. 117
Arſenicum improvide deguſtatum. DLII 340
Arthritica diverſo cum effectu externa in uſum ducens. CCCCLXIV. 278
Arthriticæ urina. CCVI. 120
Arthritici dolores laxante aucti. XXVI. 21
facies calce quaſi abducta. CCCXXIV. 192
tumor hydropis metum fruſtra injiciens. DX. 309
Arthritico non ſemper eodem modo conducens balſamum albū. DCCLXXXI 485
Arthriticos dolores augens remedium. CXLVIII. 107
demulcens Emulſio. CCCCLXIII. 278
Arthriticus diæta optime ſibi conſulens. CCLXXXIV. 168
Arthritidem antecedens nephritis. DCCCI. 553
avertens diarrhoea. CCXLV. 144
Arthritidis cura ſympathetica. CCCCXLIII. 265
in pectus letalis metatheſis. DCCCLXXXIII. 615
præludia purganti cedentia. DCXIV. 381
remedium minus fidum. DXIX. 315
Arthritis abſque tumore. VII. 3
in Ventriculum tranſlata. DCLIX. 410
oſſa quaſi laxans CCCCXXIV 253
per veſtes contracta. CCCCLIII. 272
Aſelli ſpina tonſillæ infixa. CCCCXXXVI. 260

Aſthma hypochondriacum pene ſuffocans. CCXVI. 126
in gibboſa letale. CCCLXXIV. 222
reproducens triſtitia DXLII. 333
Atrophiæ letalis cauſa rara. CCCXLIV. 103
Attagenarum Ventriculi Antinephritici. DXCIX. 371
Auditus difficultas â clamore nimio DCCCLVI. 595.
in utero contracta. DLIII. 341
gravitas Venæſectionem ſubſequens. CMXCIII. 706
in auribus reſtitutus. DCCCXXXIII. 575
Aurium tinnitus ab hernia prolapſa. DLXV. 348
ulcera in pueris. CIX. 64
Aurifaber inaurans. XIX. 9
Auro aurum facere volens emunctus DCCCXVI. 563
Aurum nævos abigens. CCCLXXVIII. 257

B.

Balneo ſingulis annis opus habens. CCCCX. 245
Balneum Geislingenſe, das Rötelbad/ *cuidam valde proficuum.* CCCCLXXXV. 292
fluentibus menſibus tuto ingreſſa. DXCI. 366
primo nocens hinc juvans. CCLXXXV. 169
ſubſequens febris alexipharmacis curata. CMLXXXVIII 702
ſudorem nimium movens. VIII. 4
Balſamum Copaivæ opobalſamo commode ſubſtituitur. DLXXII. 354.
Barba bicolor â ſpectro. CCCCLXVI. 280
ſe ipſum ſuſpendens. CCCCXLV. 266
Bellis antiſcorbutica. CCCCLVIII. 275
Bilis ab ira ſede ſua mota. DXCIV. 368
exundans malignitatis ſuſpicionem injiciens. CMXLIV. 664
poſt balneum â nimio cerevisia potu in motu ſuo interturbata. CMXLVII. 666
Blancardus plagii accuſatus. VI. 3
Bontekoeana cura cuidam ſumme proficua. DCCLX. 472
Braſſica muriata præ reliquis cuidam conducens. CCXXVIII. 133

C.

Cachexia ab hepate letalis DLXVI. 349
Caffee coctionem Ventriculi juvans. CMXLI. 661
& Thee potus feliciter ſibi invicem ſubſtituti. DCCXV. 445
Calculi in pueris infida ſigna. DL. 339
peni infixi. CCCCLXVIII. 281
porcini amnion perforantes. DCLVI. 408
poſt eſum halecis excreti. CMXXIX. 652.
purgante commoti. CCCXLVII. 206
ſectio parum juvans. CCCXLIX. 207
ſigna cancroſo tumore ſuborto ſublata. DXXI. 316
Calculo ſecto potu male interdicens. CCCL. 208

ſe

ſe laborare non credentes. CCLXVIII. 158
Calculoſus impotens. CCCCLII. 272
Calculus cerebri. CIII. 60
in perinæo genitus CCCCXLII. 264
medicum latens. CCXCI. 172
Saccharum candi præſentans. CXII. 65
Campanas ſonare in declinatione febris malignæ audiens. CMXIV. 640
Cancros comeſtos Inſomnium de cancris ſubſequens. DXCIII. 367
Concroſæ dolores excitans emplaſtrum de ſaturno. DVII. 307
parum conferens Salivatio mercurialis. CCCCVIII. 243
urina bona. CCCCLXXX. 288
Canis morſus feliciter curatus CCCCLXIX. 281
rabidi percuſſionem nimium metuens. DLXXXI. 360
tempeſtatum præſagiens. XCIII. 55
Canities hæreditaria. CCCXCIII. 235
Cantharidibus ſumme abutens. DXXII. 317
Capillorum cincinnus à reliquis differens. CCXXIV. 131
Capitis dolor ab utero. DXVIII. 314
â diæta menſibus fiuentibus non ſervata. CCCCXX. 250.
aeris inclementia exaſperatus. DCLI. 404
animi deliquium excitans. DCLXXVII. 421
brevi curatus. C. 58
cum delirio. DCXLIX. 403
ira reſuſcitatus. CLI. 88
Mariæ glacie depulſus. DCCXCI. 491
Patri cuidam brevi quatuor liberos perimens. CMLXIII. 678
periodicus auris ulcus ſubſequens. CCXXXVII. 139
in gravida curatus. CCCLVIII. 211
Venæſectione exaſperatus. CCCXXXVIII 199
Cardialgia alexipharmaco medicamento præſertim cedens. CCLXI. 154
brevi curata. CXCIII. 112
gravium malorum metum injiciens. CXIII. 66
Cardialgiæ cura. DCXLVIII. 415
Carnis fumo induratæ pars per bimeſtre in Ventriculo hærens. DCCCXXIX. 572
Caſei eſum ſubſequens diarrhoea. XLVIII. 27.
ſequentia mala alexipharmacis cedentia. CMLXXXV. 699
Caſeum revera abhorrens. DCCLXXIV. 480
Caſtaneæ absque noxa poſt plures cibos comeſtæ. CXCII. 112
Cataractam depoſitam ſubſequens dolor. CXLIX. 87
Catarrhus male inhibitus. CCLXI. 141
febris malignæ metum injiciens. DCCCLXVI. 602
loci mutatione intempeſtiva in ſuffocantem degenerans. CM. 630
nimia tabacci attractione excitatus. CCCCLXXIII. 284

Catarrhus pene ſuffocans ab ira commotus. DCCXIX. 447
à pleuritide I. I.
periodicus. CCCCLI. 271
Celſi de febribus notatu digna verba. CCCCXCI. 296
Cephalalgia graviorum malorum metum injiciens. DCXV. 382
Cereviſia cuidam ſemper alvum nimium movens. CCCLXVIII. 219
fuſca pueris minus conveniens. CCXCII. 173
puellæ cuidam ſumme proficua. DXXV. 319
urinam movens. CCCXXVII. 194
Cervi cornua calentia. DCCCLXXX. 613
China Chinæ morborum periodicorum antidotus. XXVII. 14
Chirurgus falſo accuſatus. CCXLIX. 146
Cholera cito ſuborta. CCLXXVI. 164
Chorea mortem inferens CCCCXXXV. 259
Cicatricis magis conſpicuæ cauſæ. CCCXLV. 236
Cingulum antinephriticum carum DCXLVI. 401
Citirum pomum puerperæ noxium. CXXVIII. 75
Clauditas à femoris oſſe luxato. CCCCXXXII. 258
Clavus pedis in Infante. CCCCLXII. 277.
periodicus. DCCXCVI 494
Clyſteres ſubſequens virium proſtratio. CMXXVII. 650.
Clyſter fluentibus menſibus tuto applicatur. LXXIX. 47
vomitu rejectus. LXXVI. 45
Coccygis oſſis dolores unguento de Cynogloſſa ſopiti. DCX. 379
Cæcus ſagax. DCCCXXII. 567
Colica braſſicæ mariatæ eſum ſubſequens. DCCXXV. 451.
contentioſo ſermoni cedens. CCCCII. 239
Colicæ convulſivæ cauſa Wepferiana. CCCCXI 245
Colici dolores anginæ ſuccedentes. DCIX. 378
hernioſum inteſtinis licet non prolapſis torquentes. CMLXXXI. 696
lumbos præſertim occupantes. CCCCLXI 276
partum ſubſequentes. CLXXXI. 105
Compreſſio in Sanguine ſiſtendo utilis. CCCCLXXI 283
Conceptio male impeditur. CCCCXCIX. 302
Conceptionem impeditam ſubſequens hydrops Uteri. CCLIII. 150
Conceptioni adſcripta mala tandem mortem inferentia. CMLI. 670
Conceptus falſo creditus. CMLXXIII. 687
Confectio Alkermes adulterata. LXXVIII. 51
Convaleſcentis ſymptomata depulſa. DCCVI. 440
Convulſiones ab aeris intemperie brevi interimentes. DCCCXXXII. 575
intemperantia brevi necantes. CCXXXIII. 136
utero & poſt conceptionem inſtantes. CXXXVII. 80
à ſeri fluxu impedito. CLII. 88
aurium ulcera occluſa ſequentes. DCCCXXXI. 174

Convulſiones clamoſæ. DCVI. 376
cum dolore capitis veſi ato-rio inhibitæ. DCCV. 439
Gravidæ inſtantes Veneſe-ctione depulſæ. DLXXVI. 356
Gravidam brevi perimentes. DXC. 365
Clyſtere curatæ. CCVII. 120
purgante & balneo excitatæ. DCLXXV. 419
ſubito invadentes. CVIII. 63
Corallia in mortuo colorem ſervantia. CCCLVI 212
Cordis palpitatio â terrore. CXLI. 83
Coriariorum ſudatorium Iſchiadicæ no-xium. CLXXIV. 100
Corporis una parte ſudans, alteram fri-gidam habens. CCCCLXXXIII. 290
Crocus metallorum urinam movens. XXXVIII. 22
Cruſtæ antiquæ Spir. Vin. Camphorato curatæ. DIX. 309
Cryſtallus Vertiginoſum juvans. CXV. 67
Cucurbitulæ urinam moventes. CLXXXIII. 107
Cucurbitulas admovendi modus idoneus. DCCLXI. 473
Cydonia cocta vomitum ſalutarem mo-ventia. DCCCXL 581
Cydoniorum lanugo ſanguinem ſiſtens. DCXIX. 385
Cyprinum Celſi quod? DCCXXIX. 454

D.

Decoctum C. C frigus induxiſſe male cre-dens. DCCCIX. 558
Deliria â Calculo & aphthis producta. DXV. 312
Delirium febris malignæ metum inji-ciens. DCCCXCV. 626
Dens mortui dentium dolorem abigens. DCCCIV. 555
Dentē erodi audiens. CCCCLXXXVII. 294
Dentes Canini XVI. 8. trigeſimo ætatis anno renaſcentes. CCCCXXVIII. 255
Dentientem interimens tuſſis Variolis ſuccedens. CMXXIII. 646
Dentitionem antecedentes maculæ Vario-larum ſuſpicionem injicientes. DCCCXLI 582
promovens ſuperſtitioſum re-medium. CCIX. 122
Dentium dolorem in quodam ſedans re-medium. LXXXIII. 49
ſubſequentia gravia mala. DCLXXXIX. 427
doloris remedium paratu fa-cile. DCCCXXIII. 568
dolor remediis exaſperatus. CXXXI. 77
Veneſæctioni ſub lingua cedens. DCCXXXIV. 457
Diacydonium laxativum pueris profi-cuum. DCLXVI. 415
Diarrhoea alvum tenaciorem ſubſe-quens. CCLXIV. 156
cereviſiæ non conſuetum po-tum ſubſequens. CCCLX. 214
in puero diu inſtans. LXXX. 47
Diarrhoeæ neglectæ ſupervenientia ma-la. CCLXX. 160
Diarrhoeam ceſſantem excipiens febris. DCCXL 460
curatam excipiens diffici-lis reſpiratio. CCCLXXII. 221
intempeſtive inhibitam ſe-quentia mala. DCLXI. 412

Diarrhoeam ſponte ceſſantem ſequentia mala. DCXXXIX. *397*

Digiti Icterici. CMIII. *632*

pedum manuumque ſibi invicem adnati. LIII. *30*

Digitum indicem dimidium depaſcens ulcus. DCCCLXII. *599*

Digitus pedis maximus in pede læſus. CCXVII. *127*

Dolor ad os Sacrum. CX. *64*

capitis emplaſtro exacerbatus. DCCLXXXIII. *486.*

poſt longum tempus in aliam partem translatus. CCLXXIII. *162*

Dolores menſium fluxum comitantes. *DVI. 307*

partum antecedentes ſpurii CXXXIV. *78*

poſt partum à ſanguine grumoſo. CMLVI. *673*

ſingulares ſingulari modo curati. CMLIII. *671*

vagi terrorem ſubſequentes. LVIII. *32*

Dorſum exulceratum. CCCCV. *241*

Dulcia pleraque vomitum moventia. DCCCIII *554*

Dyſenteria ab eſu halecis. CLXXXIX. *110*

brevi curata. CLXII. *94*

Dyſpnoea gravidæ à terrore. DCCCV. *555*

E.

Ecclipſin ſubſequentes pauci morbi LXXXII. *48*

Ejulatus puerilis quædam cauſa detecta. CCLXXIX. *165*

Elixiria acida non cuivis conducunt. CCLXXXVII *170*

Elixir Aperitivum purgans. CCXIX. *128*

Embryo ſeſquimeſtris. CXIV. *66*

Empyema. V. *3*

aliquoties rediens. CCCCXC. *295*

Epilepſia capiti vitulino majori comeſto adſcripta. DCVII. *377*

cum Melancholia. CCXLVI *144*

rationem plane evertens. CI. *59.*

Epilepticus vorax. DCLXIV. *413*

Equo excuſſi vulnera. CLVI. *90*

Equorum calculi per alvum excreti. CCXCIV. *174*

Eryſipelas ab animi affectibus. CCXII. *123*

hæmorrhoidibus obſtructis. CCCCLXV. *279*

ægrotis adſtando contractum. *CCLXXXII. 167*

brevi ſecundo rediens. *DXXX. 322*

exulceratum non rediens. *DCLXVII 415*

humeros præcipue occupans. *DCCCLXXVIII. 611*

impetiginoſum. *CCCXCII. 234*

panno ſanguine leporis tincto cedens. *DCXVI. 383*

quartò & quinto rediens. *DCCIV. 438*

Sextò & ſeptimo rediens. *DCCCXLVI. 587*

ſubſequens tumor totius. *CCLXXI. 161*

ſudatorii coriariorum uſum ſubſequens. *LIV. 30*

Eryſipelati dicata duo remedia. *CCCCLVII. 274*

Eſſentia abietis cum Spiritu Terebinthinæ male miſcetur. *DCIV. 375*

Euphor-

Euphorbium in Infuſo manibus applicatũ Sternutationem monens. DIII. 305
Exanthemata retrocedentia ſequentia mala. DCLIII. 404

F.

Fabæ S. Ignatii. DCXXV. 388
Nux Vomica Serapionis. DCCCXLV. 585
Faciei puſtulas abigens ſtercus ſuillum. DCLXXXV. 424
Faucium inflammationem falſo ſuſpectam reddens urina tinctior. CMLXXVII. 691
ſequentia mala febris malignæ metum injicientia. DCCCXIX. 565
Faucium inflammatio nunquam parvi habenda. CCCCXVIII. 249
potu Caffee curata. CCLXIX. 160
Febre maligna inſtante purgans male ſumtum. DCCCXVII. 564
laborans impune extra lectum degens. DCCCXCVII. 628
Febri continuæ ſuperveniens vomitus curatus. CCXXXIV. 137
Malignæ minus recte curatæ ſuperveniens ſingultus letalis. CMLXXX. 695
ſuperveniens hæmorrhagia minus nocens. DCCCLXXXII. 615
Febrim â balneo ſanans cortex Peruvianus. CCLXVI. 157
antecedens & comitans dolor inter ſcapulas. DCCCVIII. 557
ardentem ſtatim inhibens Venæſectio. DCCCXLIX. 590
catarrhalem pro maligna falſo agnoſcens. CMIX. 637
fere curatam ſequentia mala mortem inferentia. CMXCV. 707
ſpiritus Vini abuſu revocans. CMV. 633
Febris â Cydoniis gelatis comeſtis. DCCCXXX. 76
Diarrhœa inhibita. CLVII 91
Vermibus. CCCXCIV. 235
Utero alexipharmacis feliciter curata. CMLXXIX. 694
alba cum intenſiſſimis capitis doloribus. CMLXXII. 687
biliosa. IV. 2
capillis reſciſſis ceſſans. CCXXXII. 136
cibo nimio ingeſto revocata CCLVII 152
continua volatilibus inprimis cedens. CCXXVII. 133
cum pulſu celeri & magno brevi cedens. CMXII. 639
lumborum dolore. DCCXXVIII. 453
diuturna iteratis vomitoriis cedens CII. 60
Ephemera ab hypocauſti nimio calore. LIX. 34
cauſum minitans. DLVII. 343
farciminibus in nimia quantitate comeſtis contracta. DCCXLIX. 466
frigore admiſſo reproducta. DCCXXI. 449
hypocondriacum invadens. DCCXCII 491
infantis peracuta. DCXXVII. 390
In maculam totum pectus obtegentem

tem deſinens. DCCLVIII. 471

puero bienni quomodo curata fuerit? CCCCLIX. 275

facile curata. XCVIII. 52

intercedente arthritide poſtmodum aucta. DCCI. 443

levis alexipharmacis ſtatim cedens. CMVI. 634

Febris maligna alvi fluxu & petechiis ſoluta. DCCCXXXVIII. 580

cum ſumma Cordis anxietate. DCCCLXIII. 600

urina aquea feliciter curata. DCCCXCVI. 627

diu neglecta letalis. DCCLXXV. 481

in declinatione perimens. DCCCX. 559

diarrhœam ſalutarem deſinens. DCCLXXVI. 482

principio male parvi habita. DCCCXLIII. 584

intemperantem perimens. DCCCXXIV. 565

intempeſtivo Carnis eſu revocata. CMXXV. 648

matrimonio intempeſtive inito contracta. DCCCXXV. 570

medicamento integrum per diem non ſumto aucta. DCCCXXVIII. 572

menſibus bis ſupervenientibus curata. DCCCLXXXIX. 621

pueros non tam graviter ac adultos proſternens. DCCCXXVII. 571

ſub bonis quibusdam ſignis perimens. M. 712

ſudore intermiſſo aucta. DCCCLXXXI. 614

ſupervenientibus convulſionibus letalis. DCCCLXXVI. 609

Febris malignæ contagium per plures dies latitans. CMXLII. 662

metum injiciens Variolas antecedens. DCCLXXXVIII. 489

metus fruſtraneus. DCCCLXXIII. 607

minæ feliciter repulſæ. CMXIX. 643

nova cura male cedens CLIX. 92

principia cibo coctu difficili adſcripta. CMLXXIV. 688

feliciter depulſa. DCCCVII. 558

metu contrahens. CMXXXIX. 659

prodromis depulſis urina diu tincta reſtitans. DCCCXXXVII. 579

reliquiæ per aliquot dies moleſtæ. CMLXIX. 684

purgantibus expulſæ. DCCCLXXVII. 610

maxime erratica. CXL. 82

motu corporis curata. CCCCIII. 240

non niſi medicamentis adhibitis ceſſans. DCCLXXXVI. 488

Febris panacea curata. CMXXIV. 647

poſt puerperium exactum brevi curata. DCCVIII. 441

puerperæ cum dolore manus deſinens

nens. DCLXXXIII. 423
puerperalis ab aquis retentis. DXXIV. 318
à dolore abdominis incipiens. DCCCXXXIX. 581
cum pluribus malis rediens. DXLVI. 335
frigore incautius admiſſo revocata. DCCCLXVII. 602
notatu dignum principium. DCCXCVII. 494
purgante demũ curata. DCCX. 442
Sale Volatili Oleoſ. Sylv. curata. DCXLIII. 399
Scabioſi. LXV. 37
Tertiana vini dulcis uſum ſubſequens. CCCCXXVII. 254
vehementer invadens brevi terminata. CMXLIX. 658
vehementius vomitorium ſubſequens. CCXC. 172
vim infringens nimius aquæ potus. CLXXIII. 100
urina adhuc tincta cedens. LXXXVIII. 52
Feces in inteſtinis ſtabulantes. XLII. 24.
Feſtuca phantaſiam perturbans. DCCCXLIV. 585
Fiſtula ad os Iſchii usq; penetrans. DC. 372
Fluor albus à Gonorrhoea quomodo dignoſcatur? CCCCXXXI. 257
catarrhi ad nares ſuccedens. CCCCIV. 241
Fuxus chyloſus in puerpera. CXXVI. 74
Fœtum ferme mortuum reſuſcitandi modus. CXCV. 113
Fœtus mortui extractionem ſubſequens involuntaria fecum depoſitio. DCCCLXXXVI. 618
quædam indicia. CXXV. 78
partus matris doloribus ſuccedens. CMLVI. 673
minus moleſtus matri. DCCCLXX. 605
mortuus unco feliciter extractus. DCXXVI. 390
pedum in utero ſitus perverſus. CCX. 122
Fonticulorum excretionem promovens lamina cuprea. DLXXVII. 363
Fonticulus catarrhos feliciter avertens. CMI. 631
dolores in ſenectute concitans occluſus. CMLXXXII. 697
fonticulum fluidum reddens. DCCCXVIII. 504
pallorem inducens. DCCCXV. 562
puerulo parum conferens. CCXIV. 124
Fraga poſt aliquot horas integra vomitu rejecta. CCCCIX. 244
Frigus diu inſtans ſudatorio Coriariorum cedens. DCCCLIV. 593
fruſtra malignitatis ſuſpicionem injiciens. CMLXXXVI. 700
inconſuetum puerulum proſternens. CCCLXI. 215
Funiculi umbilicalis loco partem abdominis conſtringens. DCCL. 467
nodi. LXVIII. 39
Funiculum umbilicalem pro inteſtino habens. DCCLI. 467
Furunculi ſolam cervicem occupantes. DCIII. 374

G.

Gallinarum Ventriculi feliciter aperti. CCXXII. 130
Gemellorum alter feliciter extractus

alter partu editus. CCCLXXVIII. 225

Genæ tumor brevi diſcuſſus. DCXLVII. 402

Variolas ſubſequens letalis. DCXXI. 386

Gingivarum tumoris remedium ſympatheticum. CCCCXIX. 250

tumor ſcorbuticus. CCCII. 179

Glandularum moles in veſica latitans. CCLXIII. 156

poſt aures tumor. LXVII. 39

Globuli phthiſico noxii. DCI. 373

Globulus totum dorſum permeans. DV. 306

Gluten in vulneribus non ſemper conducit. CCCCLXX. 282

Gravida lactans ſimul & menſtruata. CLXXVII. 102

pinguis parens. XCV. 56

Gravidarum dolores probe ſunt diſcernendi. CCCXCVI. 236

Graviditas non abs re prædicta. CCCXLI. 201

Graviditatem ex urina falſo denuncias. CMLXXVI. 690.

Graviditatis accuſata medicum fugiens. DCCCLXXII. 606.

Gutta Roſacea â ſanguinis nimia profuſione. CCXXX. 134

ſerena falſo prædicta. CXXXI. 77

Guttam Roſaceam curatam ſequentia mala. CXV. 67

H.

Hæmoptoe in phthiſin degenerans. CCCLXXXI. 227

Hæmorrhoidum dolor conceptione inhibitus. DCCLXXIX. 485

fomentis cedens. LI. 29.

fluxus Juveni proficuus. LXXIII. 43

Hectica â pede dolente orta. CCCLV. 211

imaginaria. DVIII. 308

Hellebori nigri extractum vomitus movens. DCLXXXII. 423

Hemicrania per xx. annos inſtans. DCXXXI. 392

Hepar affectum non eſt contraindicans acidularum. DXI. 310

Gallinæ diffluens. CCCCXXXVII. 261

Hepati falſo adſcriptus oculorum dolor. CCXIII. 124

Herba Künegundis vulneraria. CCCXXXIV. 197

Hireæn cum ulcere pectoris conſenſus. CCCIII. 180

infelix ſectio. CCCCLXXXI. 289

remedium ſympatheticum. DLXVIII. 351

Hernia feliciter repoſita. CLVIII. 92

incantationi ortum debens. CMXLIII. 663

Mortem ſubitaneam inferens. CLXXXV. 108

Sectione curata. CCCXCVI. 300

ſub umbilico. CCCXXI. 191

Herniam tum pro non prolapſa tum reſtituta falſo habens. DCCLXVII. 476

Hernioſos pecunia emungentes impoſtores. DCXLIV. 400

Humorum peccantium ſpecifica differentia indaganda. CCCCXXVI. 254

Hydropicos juvans remedium. CLXVI. 96
Hydropi curato ſuccedens difficilis reſpiratio. DCCCXXXV. 578
ſuperveniens Icterus letalis DCLXXXVII. 426
Hydrops à potu ex pyris ſiccatis parato. CCCLXXXII. 228
dentientis letalis. CCCXXXVIII. 199.
Eryſipelas ſubſequens. CCCCXVI 248
eſu pomorum frixorum revocatus. CMLII. 670
incipiens ſtercore equino curatus. DCCCLV. 594
in Gibboſa. CCXCIX. 177
puero poſt aliquot annos rediens. DCXXIII. 387
purgantium uſu continuato curatus. DLXXXIII. 361
ſanabilis. XCVIII. 57
vini generoſi potui cedens. CXVII. 69
Hypochondriacus hectica ſe labore credens. CCLXXVII 164
Jalappa. CLXXXII. 106
Icterum prodens Urina. DCXCVII. 433
Icterus à febre initium ſumens. DCCXLVII. 465
cum alvi fecibus flaveſcentibus. DLIX. 345
ardore Ventriculi. DCCI. 436
in Gravida marte curatus. DLXXI. 353
puella brevi curatus. DCLXX 416
marte brevi curatus. CMLXVII. 681
niger ſudore curatus. CCCXCVII. 236
Vomitorio ſtatim cedens. DCCXXXV. 457
Urinæ prius quam cutis colorem mutans. DCCIX. 441
Ileos à vermibus letalis. CCL. 146
Impetigo bis Salivationem eludens. XXXIII. 18
Incubo falſo adſcripta Parotis. CCXXXVI. 138
Incubus in Arthritica. CCCXCVIII 237
incantatione inductus & eadem curatus. CLXXVI. 101
Infans recens natus multum ſanguinis per alvum profundens. DXVII. 314
ſubito mortuus. CCCXIX. 189
Infantis cujusdam infelix fatum. CCCLXXI. 221
Inquies inconſueta Vino medicato cedens. DCCCLIX. 597
Inſomnium idem ſomniantes Conjuges. DCCXII. 443
Intemperans ab hydrope non facile liberatur. DLI. 340
Inteſtini recti Vulnera facile ſanantur. CCCCXXV. 253
Ira commota febris brevi trucidans. DCXIII. 381
& mœror febrim producentes. CCCLXIII. 216
Iræ noxas avertens alvi fluxus. CLXXII. 99
Iſchiadici dolores in puella duodecim annorum. DCCCLXXIV. 608
pertinaces. LXIV. 36
Iſchias purgante ſublatum, CCXLII. 142
Iſchuriæ cauſa valde latitans. DLXXIX. 359

Juglandum cortices nuclum ambientes antinephritici. DCCXXXI. 455

L.

Lac à gravida profuſum aut retentum fœtus perſentiunt. LXXXI. 48

hypochondriaco non conducens. CCCXLVI. 205

Vetulæ cuidam ſumme proficuum. CCLXXXIII. 168

Lacrymæ cruentæ. CCCXXIII. 192

Lactumina purgante curata. DCXXXV. 395

Lapſum graviorem ſubſequens dolor lateris ſiniſtri. DCCCXLVII. 588

Laſſitudinis ex Itinere remedia. DLXXXII. 360

Lateris ſiniſtri dolor abſorbentibus præſertim cedens. DCCCLXXXV. 617

Laxans vehementer purgans. LXXXIV 50

Lectum permingentem juvans purgans. CMXX. 644

Lepra Venæſectioni adſcripta. DCCCXLII. 583

Leproſa in Leproſorio convaleſcens. CMLXXXVII. 701

Leproſis cur quædam annumerata fuerit? XIII. 7

Leproſus una cum Uxore ſecundo viſitatus. DXL. 331

Linguæ tumor facili remedio diſcuſſus. DCCCXXI. 566

Veſiculæ antiſcorbuticis ſanatæ. DCCCLXXV. 608

Lochiorum fluxum inhibere male tentantes. DCLXXXVI 169

fluxus à terrore inhibitus. CCCV. 181

Luis Venereæ non ita vana ſuſpicio. CCCCXLVIII. 268

ſuſpicionem moventia mala. DXCVII. 370

Lumborum dolores à carne vervecis. DXXXVII. 330

M.

Mala cruda eadem per alvum rejecta. CCLIV. 150

Malarum dextræ tumor cataplasmate diſcuſſus. CMXXXVIII. 658

ulcera poſt ſingulos menſes aperta ſanans fonticulus. DCCCXX 556

Malignitas medicorum quorundam ſimiola. CCCLXXXVI. 230

Mali hypochondriaci indicium & remedium. DCXVIII. 384

Mammæ ab animi affectibus conſumtæ. DCCLXXIII. 480

Manna catarrhoſos juvans. DCCLXXX 484

Manu carens ambabus inſtructos procreans liberos. CCCCLXXXIX. 295

Manus pedesque dentienti ſæpius obrigeſcentes. CMXXI. 645

Manuum ſtupor brevi curatus. DLXXXVI. 363

rediens. CCXCIII. 174

tumor ſubito ſubortus. DCXCIV. 431

Mars crudus infanti proficuus. DCXCVIII. 433

hypochondriacum brevi juvans. CLX. 93

interdum antihecticus. XII. 6

Martiata in principio ferre non potens. CCCLXXIX. 226

Martis apud Florentinos frequens uſus. CCXLVIII. 145
crudi in ventriculo poſt aliquot horas indicia notans. DCCCXXXV. 577
Maxillæ oſſis luxatio à ſalivatione. DLXIX. 351.
tumor menſium fluxum antecedens. XLIX. 28
Meconii pars diu retenta. DCCXXXIII. 456
Medicamenta in craſtinum non ſemper tuto præſcribuntur. CCIV. 119
interdum tardo vires ſuas exſerunt. CXXXIX. 81
Medicamentum in plures partes dividendū una vice ſumens. CMLIV. 672
Medici ad temperamentum ſuum curantes. CCCLXVII. 219
cujusdam infelix fatum. CLXI. 93
præceps judicium. CCCLXXXIV. 229
præſentia interdum ſumme rerequiritur. CCCXXIX. 195
Medicina priſca non eſt rejicienda. CCCCL. 270
Medicus urinæ ſoli nimium fidens. CCCIV. 180
Melancholia cum delirio an penitus extirpari, & ne redeat impediri poſſit. DCCCXCIV. 625
Menſes chorea inhibiti. DCXXIV. 388
in gravida fluentes. XV. 8
intempeſtive motos & inhibitos ſequentia mala. DXLVII. 336
lactis recentis potu inhibiti. CMVIII. 636
ſaporem mutantes. CCCXXV. 192
moven s vaporarium. CCCXXXII. 196
non ſemper ſunt movendi. CCCXXXIII. 197
per integrum fere annum fluentes. DXXVI. 319
ſponte ſuccedentes. XLVII. 27
viam aperire non valentes. DCCXXVII. 453.
Menſium brevi inſtantium prodromi XXXI. 17
dolorifica excretio. DXCVI. 369
fluxum antecedens tumor totius. CCCCXXI. 251
fluxus diu inſtans conjugio curatus. CCCXL. 301
ira primo excitatus. CCCXL. 201
nimius fluxus non ſtatim nocens. CLXIII. 94
Mercurius flatus movens. CMXXII. 646
in decocto ſalivationem movens. DCXL. 398
Metus ab hydrope. DCCXIV. 444
Mictio cruenta interdum diu remittit. CCXXIX. 134
Mithridatium infantibus applicandi modus. DCCLXII. 473
intempeſtive ſumtum. CCCCLXXII. 284
Mola à primipara rejecta. CCLVIII. 152
Monſtrum fictitium. CCXI. 123
Morbi ſponte ceſſantis diu reſtitantia indicia. DLXII. 346
Morbo periculoſo ſe decumbere falſo credens ancilla. LXVI. 38
Morbus primo neglectus tandem interimens. CCCCXXXVIII. 261

Mors â morte viſa. DLXXXVIII. 364
falſo prædicta. CCCXLII. 202
non eſt promovenda. DXLV. 335
Morti diu vicina. DLIV. 341
Mucus narium condenſatus paulo ante mortem emunctus. CMXCIX. 711
Munditiei nimium ſtudioſus. XC. 53

N.

Napi odorem ferre non potens. CCCCLXXVI. 286
Narium hæmorrhagia ab amore CCCCXV. 248
Inflammatio poſt ſingula ſemeſtria rediens. DCCCLXXXIX. 629
obſtructio mercurio præſertim cedens. CCXCVIII. 176
ulcus fonticulo cedens. CCCLXIV. 217
Narturtii aquatici ſuccus coctionem impediens. CXCVIII. 115
Nephritici dolores periodici. DCCLXXXIV. 486
purgante excitati. DCCLXXXII. 485
purganti cedentes. DCCXLIII. 463
Nephriticos dolores ſedans aqua ſimplex, CCCCXL. 163
Nephritis cum urina cruenta. CXCI. 111
Neptes avias facie referentes. CCXV. 125
Nicotianæ fumus alvum movens. XLVII. 57
uſui intermiſſo ſuccedens vomitus. DCCXCIII. 492
Numerum Pilularum imparem deſiderans. CXX. 70
Nummus palato infixus. CCCCXL. 267
Nuncius ægroto neceſſaria non referens. XI. 6
Nutricum quidam errores. CCCLIX. 213
Nutrix qualis commendata. CCCXCIX. 238

O.

Obſtetrix ob fœtus extractionem male accuſata. DCCCLXIX. 604
Oculi colorem mutantes. CCLX. 154
humores extravaſati facile in pus abeuntes. DCCCLXIV. 600
unius debilitas in alterum translata. DCCCLII. 592
Oculorum à conſuetudine diverſitas. DCLII. 405
uſu poſt lapſum in aquam carens. CCCCXXXIII. 258
Oculos Cancri colligendi modus. LXXI. 42
Odore facta difficilior reſpiratio. DXIV. 312
Odor facili remedio reſtitutus. CCCLII. 209
cadaveroſus non ſemper mortem renunciat. CCCCLIV. 273
Oleum Lini, quod ano injicici debebat, deglutiens. DCCLXX. 478
Ovorum Eryſipelati medetur. DCLXIII. 413
Omenti uſus Voytianus. XXXII. 18
Ophthalmia aere mutato plane ceſſans. DLXI. 346
contagio contracta. CLXXXVII. 109
fonticulum occluſum ſubſequens. CLXVII. 97
in morti proxima curata. DLV. 342
Pilulis Francofurtenſibus curata. DCXXIX. 391

veſicatorio ſtatim cedens. DLXXXIV. 362
Ophthalmiæ paratu facilia remedia. DLX. 345
Ophthalmiam à dentitione curatam ſubſequens dyſpnœa letalis, DCCCLXXXVIII. 620
Opium febrem exaſperans. DCCCLI. 591
Oris diſtortio poſt dentium dolorem. CCCLXXVI. 223
fœtor menſibus fluentibus auctus. CCCXXII. 191
ſui dominus. CXI. 65
Os Ceraſorum pro Clavo pedis habitum. CXXXIII. 78
Oſſis femoris ſubluxationem ſequentia graviſſima mala. CCCCXXXIX. 262
Oſtrearum eſum ſubſequens diarrhœa. DCCLXIV. 474

P.

Palpitatio Cordis cum animi deliquiis. CMLXXI. 686
Panniculus Carnoſus. III. 2
Papillæ tumor ſponte diſſipatus. XXXIX. 22
Paralyſis ſolis externis medicamentis non cedens. DCXXXVI. 395
Paralyticæ ſupervenientes convulſiones letales. CMLXV. 681
Paralytica mali ſui ignara. CCLXXX. 166
Parotis veſicatorium ſubſequens. DCCC. 496
unguento exaſperata DCLXXXI. 422
Partum antecedens ſanguinis fluxus feliciter inhibitus. CCIII. 118
ſanguis fruſtra metum injiciens. DLVIII. 344
difficilem ſubſequens delirium. DCCCLXXXIV. 617
peſſime retardans. CCLXXXV. 157
ſibi ipſi dfficilem reddens. LXXIV. 43
Partus difficilis Primiparæ. CCCVI. 182
in via ſuccedens. DCCII. 436
mulieris ſtantis. CCXCVII. 176
per viginti quatuor horas difficilis. DCV. 375
Paſſio hyſterica gravidam proſternens CCCCXCII. 297
periodica. CCCCXXX. 257
puerperæ à terrore. CMXXXVII. 658
Pediculi Conceptionis ſignum. CCCLXXIII. 222
Pedis digitum maximum læſum ſequentia mala. CCCCVII. 242
dolor in aurem translatus. CLXXX. 104
Pedum dolor Venæſectione in iisdem inſtituta cedens. CCLXXXIX. 171
tumor poſt partum inſtans. CCCLXXXVII. 231
Pes octo digitis inſtructus. CCXXXV. 138
Pharmacopoei error. DCLIV. 406
Examen. CCC. 177
Phthiſicæ Pilulæ de ſtyrace parum conferentes. CMXVI. 641
Phthiſica poſt febrem malignam devictam in mortis prædam cedens. CMXCVII. 709

Phthiſis cum hydrope inſanabilis. CCCLXIX. 220
diuturnam menſium obſtructionem ſubſequens. XCIX. 58
inſanabilis. DCCXXIII. 450
quomodo ex urina prædicta fuerit? CMXCVIII. 710
ſpem & metum falſo injiciens. DCLV. 407.
Pictura viſum acuens. CCCCLI. 264
Pilulæ Aloeticæ majuſculæ. DXXXIX. 331
Francofurtenſes ſæpiſſime purgantes. CCCCLXXXVIII. 294
in parva doſi laxantes DLXVII. 350
Vomitum moventes. XXI. 11
Pilus fortunæ faventioris index. CLXXV. 101
Pinguedo Venæſectioni adſcripta. CCLI. 149
Placentæ Uterinæ uſus Verbeyianus. LVI. 31.
Pleuritis à balneatore curata. CLXXXVIII. 110.
lacte coagulato. CMXXVI. 649
diu neglecta curata. CCCVIII. 183
in tympanitidem degenerans. DXXVII. 320
per aliquot dies neglecta curata. DCXCVI. 432
ſpuria ab alvi obſtructione febrem ſubſequente. CCCCXLIX. 269
balneo & ira excitata. D. 303
flatulenta. CCLXXV. 163
in gravida. DCCXC, 490
ſub pulſu bono brevi interimens. CCCXII, 185
Poma cruda comeſta brachiorum dolori medentia. CMXC. 703
Pruna multa comedens ſe nil comediſſe edicens. DCCCXCIII. 624
Pruritus poſt balneum. CXXI. 71
Pueris medicamenta nocere peſſime perſuaſa. DCCLXXVIII. 483
Puerperæ extrema adhibita remedia. DLXXIV. 355.
dolores Clyſteri cedentes. CXCIV. 113
Puerpera meticuloſa. DCLXXI. 417
quinta hebdomade variis malis correpta. CCCLXXXIX. 232
Pulli Gallinacei Ventriculus concoctu difficilis. DXCV. 368
Pullos Gallinaceos ſolos abhorrens Gravida. CMXVIII. 643
Pulmones reſarciri non poſſunt. CCCLXV. 210
Pulmonibus illapſus pulvis. DCXX. 38
Pulſus in carpo dextro ab altero multum differens. CMIV. 633
ſcirrhoſa bonus. DXLVIII. 338
inſtantibus menſibus tardior. DCCCLXXXI. 613
Pulveres falſo accuſans. DCCXXXVI. 458
Pulveris Cornachini diverſa operatio. DCLXV. 414
Pulvis in longe majori ac juſſum fuerat. doſi exhibitus. DCCLVII 470
odorem Caſtorei contrahens. CMLXVII. 682
partum promovens. CXXXVI. 80
ſympatheticus pro antarthritico habitus. XX. 10.
Purgans alvum vix movens juvans. DCXLVIII. 402

Purgans bis fruſtra fere ſumens puer. CMXXXI. 653
febrim reſuſcitans. DCXCI. 429
feliciter non ſumtum. CXXIX. 76
fluentibus menſibus ſumtum. XVIII. 9
lene vehementer purgans. CCXXVI. 132
lenius ſæpius quam forte alvum movens. CCCXXXV. 198
non ſuffeciſſe male credens. DCXC. 428
puerum ſtatim juvans DXXXI. 323
Purgantia quævis vomitum moventia. LXII. 35
Purgantium operationem impedientia. CXCVI. 114
Purgationis operatio impedita. CCCXLV. 205.

Q.

Quartana abſtinentia curata. CCCCLXXXVI. 293
acetario ex cichorio curata. DCCXXII. 450
brevi curata. LXIX. 40

R.

Rabidorum animalium morſus exitioſi. DCLVIII. 409
Raparum brodium alvum laxans. DCLXXX. 422
ſuccus urinam movens. DLXXIII. 355.
Raucedo aqua frigida curata. CMXV. 641
Rene altero carens non ſterilis. LX. 34
Renum acerbus dolor. CCLXXXI. 167
calculus in gravida. XXXV. 20
mala in fœtum propagata. LXI. 35.
Reſpiratio difficilis â mammæ & brachii tumore. CCCCLXXIX. 288
diu inſtans ſubito necans. DLXXVII. 357
gravidæ. CCCVII. 183
male neglecta. CLIV. 89
ſæpius inhibita infanti tandem mortem inferens. CMXCIV. 706
Rhabarbari vermes. CLXI. 96
Rhabarbarum â matre ſumtum filiolam purgans. CXLV. 85
aqua frigida pota vomitum movens. CML. 669

S.

Sagittula ferrea deglutita. DCXXII. 387
Sal culinare febrifugum. CCCIX. 184
Volatile oleoſum plus præſtans ſeorſim quam cum aliis exhibitum. CXLIII. 84
Salivatio â dolore dentium periodica. DCXC. 428
melancholicæ mortem accelerans. LVII. 32
mercurialis menſes movens. CCCLXVI. 218.
primo magis quam ſecundo proficua. CCCLXXXIII. 229
ulcera fiſtuloſa cum obſtructione menſium ſanans. DCCLIX. 472
Salivationem movens aqua mercurialis. DLXXV. 356
Salix tumorem pedum diſſipans. CCCCXVII. 249
Salvia in tuſſi proficua. DXLIX. 338
Sanguinis in gravida fluxus ſignum quoddam. XCII. 54

Sanguinis inſignes profuſiones diu poſt memoriā ſui refricantes. XXXIV. 19
motum impeditum ſequentia mala & hæc excipiens mors. CMLXXVIII. 691
per alvum fluxum antecedentia & ſequentia mala. DLXXVIII. 358
uterum profuſio poſt partum. CXCVII. 114
ſputum equitatione reſuſcitatum. CCCLXXX. 226
in morti vicina curatum. DLVI. 342
Sanguis ex inteſtinis tenuibus profuſus. CCCCI. 239
leporinus antidyſentericus. DCXXXII. 393
ore rejectus non ſemper terribilis. DCXVII. 384
quinto poſt mortem die ê naribus profluens. CMLXXXIII. 697
Scabies balneo exaſperata. CCCCLXVII. 280
corporis augmentum impediens. CL. 87
corticibus pineis curata. CCCXIII. 186
fœda lapſum gravem ſubſequens. DLXXX. 359
in ungues usque ſe extendens. CCXXV. 131
Melancholicam non juvans. XCIV. 55
ſubito contracta. CXLVI. 86
Scarabæi hydrophobiam ſanantes. CCCCLX. 276
Scarificationem excipiens lymphæ fluxus & hanc Eryſipelas. CCCXXXVI. 198
ſubſequens caloris defectus. CMXXXIV. 655
Scorbuti quædam ſigna. LXXXVI. 51
Scorbutus ſuper mari degentium. CXXXVIII. 81
Scrotum corrugatum non ſemper ſanitatis index. CCCLVII. 212
Secundinæ reſtitans dimidia pars feliciter extracta. CMXXXVI. 657.
Secundina infeliciter evulſa. CMXC. 660
poſt abortum arctius utero adhærens. DCXLI. 398
Secundinam jam excluſam adhuc in utero latitare credens. DCCLII. 468
Secundinarum extractio laudata. LXXV 44
Sempervivi ſuccus impetiginem humidam exſiccans. CCCLXV. 217
Senex errores quosdam non impune committens. DCXCIII 430
Seri fluxus menſes antecedens. DXCII. 367
Sevi vaporem ferre non potens. DXXIII. 318
Sevum avide comedens gravida. CMLVII. 674
Silicibus candentibus alterata aqua pro antarthritica habita. DCCLXXXVII. 488
Singultus alvi obſtructioni ſuccedens pertinax. DCCLXXII. 479
Somnus plurium dierum ſponte ceſſans. DCCCLXXI. 606
Sororum duarum notatu digna differentia. DXVI. 313
Spaſmi duo remedia. DCCXXXVII. 459
Spaſmus à terrore productus. DCCLXVI. 475

Venæſectione in pede inſtituta DXLIII. 333
totius â terrore. DCCCL. 590
Ventriculi. CCCCXIII. 246
Spiritus externè applicati ſomnum excitantes. DIV. 306
Vini puero diu noxius. CXIX. 69
Spongiam ſiccam attingere non valens. XCI. 54
Stercus columbinum alvum movens. DXXXVIII. 330
proprium comedere falſo tradita. CMLX. 676
vaccinum febri malignæ oppoſitum. DCCXXXVIII. 459
dolores vagos mitigans. CMXXVIII. 651
Sterilitas loci mutatione curata. CMXLVIII. 667
Sterni dolor. XLI. 24
Stranguria â cruditatibus. XVII. 8
Sudores frigidi quibusdam naturales. DCXXXIV. 394
Suffocatio aliquoties imminens. DCCCLXXXVII. 619
Suggillationi oppoſitum minus conveniens remedium. XLIV. 25
Sulphure reſuſcitatus infans pene mortuus. DCCLXIII. 474
Sulphur ſub uſu florum ſulphuris redolens. CMXLV. 665
Superſtitioſa quædam improbata. CCCCLXXXII. 290
Suturæ coronalis pars deficiens. CXLVII. 86
infixa corona. CXLVIII. 86
Syncope ab hæmorrhoidum nimio fluxu. LXXVIII. 46
laboribus arduis vacantem proſternens. CMLXXXIX. 702

T.

Teneſmi diu inſtantis cauſa diu latitans. DXXXIII. 324
rara cauſa detecta. DXXXIV. 326
Teneſmus ab utero. DCCXLI. 461
Terram tractandi Gravidæ deſiderium. CMLVIII. 675
Terrorem aliosque animi affectus ſequentia mala. DXXVIII. 321
Terroris producta quædam. CLIII. 89
Terror tormina & alvum movens. DCCXXX. 454
Textor medicaſter. CLXXXVI. 108
Thee cum oleo Cinnamomi cum fructu bibens. CMII. 631
genu dextri dolorem diſſipans. CCCCLXXV. 285
mala â conceptione depellens. CCLVI. 151.
palpitationem Cordis curans. CCCCVI. 242
Theriaca Cœleſtis in nimia doſi ſumta. CCCCLXXXIV. 291
imtempeſtive ſumta. DCCLXIX. 478
Thermas Carolinas ſubſequentes dolores. CMXXXV. 656
Tinea laborans leproſis annumeratus. DXLI. 332
Tinctura Bezoartica auris tumorem diſcutiens. CLXIX. 98
Tinnitus aurium fruſtraneum terrorem injiciens. DCCLXXVII. 482
Tonſillæ debito majores. CXXXII. 71
Tonſillarum intumeſcentiam comitans febris. DCCVII. 440

Tormina ab hernia producta. DCVIII. 377
Tragea intempeſtive ſumta. CCLXVII. 158
Tuberculum Clyſteri adſcriptum. CCCXXXI. 196
Tumor à capite infantis pendens cerebro repletus. CMLXII. 678
manuum pedumque à dentitione. CCVIII. 221
totius ſubito ſubortus. DCCXXXIX. 460
Tunica retina. CLXXI. 99
Tuſſis â Carnis eſu nimio. XXVIIII. 15
dentientis ſalivationi demum cedens. DCCXXXI. 456
Febris principium. XXXVII. 22
Gravidæ juſculo Bellide alterato curata CCCCXXIII 252
in Infante pertinaciſſima. DCXXII. 412
pediluvio frigido curata. CCCCLXXIV. 285
ſymptomaticæ cura. DCCXVI. 445
Tympanites incipiens. II. 2

V.

Varices menſium inſtantium indices. XCVI. 56
nunquam gravidam incommodantes. DCCXCIX. 496
Varicoſis conducens Spiritus Vini Camphoratus. V. 28
Variolæ aureæ ſcabiei interſperſæ. CCLXXXVIII. 171
brevi exareſcentes. DCCCLXV. 601
conſueto citius evaneſcentes. CCCLI. 208
cum alvi fluxu innoxio. CCXCII. 705
ſalivatione. CMXXX. 652
& morbilli diverſos in eadem domo invadentes. CV. 61
læſam â virgis partem præſertim occupantes. DLXX. 353
magna cum vehementia invadentes. CCCXX. 190
non ſemper appetitum proſternunt. CIV. 61
parvæ. DCLXXIV. 419
Variolarum Luna decreſcente invadentium majora veſtigia. DCCCVI. 556
metum injicientes menſes inſtantes. DCCLV 469
Variolas antecedens & ſubſequens Vomitus. DCCXVIII. 446
vomitus & comitans dolor. DCCLXXVI. 452
promovens Sal Volatile Oleoſum Sylvii CMXI. 638
retropellens frigus. DCXXXIII. 394
Variolis brevi bis correpta. DCCIII. 437
aureis ſuccedentes veræ. DCCLXXXIX. 490
decumbens cereviſiam bibens. DCCXCV. 493
puer matri metum injiciens. DCCXLVIII. 466.
decumbentes concoctu difficilia abſq; noxa ingerentes. DCLXXXIV. 424
quædam quæ modo conceperat correpta. DCCXX 448
ſuccedens diarrhœa. DCCLIII. 458
dolor pedis. DCCLIV. 469

ſucce-

ſuccedentes cruſtæ diu moleſtæ. DCCCLVII. 595.
ſuperveniens hæmorrhagia narium. DCCLXXXV. 487.
Venæſectio ad hecticam inclinanti diſſuaſa. CCCC. 238
cuidam valde proficua. XXX. 16
dubiæ an conceperit? non conceſſa. DCCXIII 444
in animi deliquio proficua. CLXVIII. 97
incipiente Cachexia proficua. CCLIX. 153
leproſæ diſſuaſa. CCCXC. 232
ſeni decrepito Pleuritico proficua. CMXLVI. 665
ulcus aurium detegens. CCCCXXIX. 256
Venæſectionem abhorrens Juvenis. CCCLXX. 220
Venæſectionis iterandæ quoddam indicium. CCCXLIII. 202
metus. LII. 29
Veneris uſum non absque noxa intermittens. DCCCXXXVI. 578
Ventriculi ambuſtio curata. DLXIV. 348
Ventriculi dolor antiquus terra ſigillata ſopitus. DCCCLXVIII. 603
cum vomitibus purgante præſertim ſopitus. CMLXVIII. 683
gravatibus periodicus. CCCXCVII. 301
purgante curatus. DXCVIII. 370
purgantibus exaſperatus. CCCXVI. 188
Vomitorio cedens CXXIV. 72
dolorem pro ſigno febris malignæ habens. CMX. 637
& capitis dolores vomitorio cedentes. DXXXII. 324
Ventriculus à bile regurgitante male ſe habens. DXXIX. 321
Verheyen de bile ſententia. XXIII. 12
Veritas & medico odium pariens. DCII. 373
Vermes in urina non conſpicui. XL. 23
Verminatio diuturna. DII. 304
Vermis in dentis fovea repertus. IX. 5
poſt conceptionem excretus. CCCLXXXVIII. 231
Variolarum principium mentiens. DCCCLXI. 598
Verrucæ cura ſympathetica. CCCCXLIV. 266
levi remedio curata. LV. 31
Verruca in ulcus cancroſum degenerans. DCCCXIII. 561
Vertigo ex Ventriculo. CCCLXXVII. 224
menſes antecedens Apoplexiæ metum injiciens. DCCCXXX 573
Venæſectioni cedens. CCCXV. 187
Veſicæ arthritico proficuæ. DCXXXVII. 396
non ſemper apertæ ſervari poſſunt. CCXCV. 175
Veſicatoria male ſuſpecta facta. DCCLXV. 475
temporibus male applicata. DCLXXVI. 420
Veſiculæ felleæ calculi aqua ſupernatantes. DCXXX. 392
Victũ pravum ſequentia mala. DCCXLII. 462
Vigiliæ coctionem impediunt. XIV. 7
hypochondriaci laxantibus inprimis cedentes. DCCCXCI 613
pertinaces unicornu marino cedentes. CCCCXII. 446
Vini potus album tardiorem reddens. LXXVII. 45
Vinum annuum ſine noxa bibitur. DCL. 404
brevi in Ventriculo aceſcens. DCLXXIX. 422
dulce ſanguinis motum impediens. CCXLIV. 143
in cibum non ſemper cum fructu adhibetur. LXXII. 42
febri maligna ſapori minus gratum. DCCCXI. 560
mari immerſum quale. CLV. 90

Vinum medicatum præ aliis medicamentis conducens. DCCCLVIII. 596
pueris innoxie conceſſum DCCLVI. 470
Viſus debilitas nimium menſium fluxum comitans. CMXVII. 642
Ulcus antiquum occluſum ſequentia mala ſcorbutica. CMLXXXIV. 698
fiſtuloſum à ſcabie. CXXVII. 75
Unguentum an ad Veneficia adhibitum fuerit? CCXCVI. 175
mercuriale purgans. CCCLXII. 215
Unguis digiti pedis maximi ſponte ſecedens. DCCXLIV. 463
Voces auditæ ominoſæ. CCCLIII. 209
Volatilia febre alba laborantem præ martiatis juvantia. DCCCXC. 622
Vomitorium cum noxa ſumtum. CCXXXI. 135
hypochondriacum juvans. CCXLVII. 145
Vomitum aliâs eidem ſiſtendo dicata moventia. CCII. 118
antecedentia gravia mala. CCXXI. 129
Vomitus à cibis concoctu difficilibus. DLXXXIX. 365
potu mutato. CXVII. 68
Verme. CLXXIX. 103
clyſteri præſertim cedens. CCCI. 178
non niſi Oleo Macis deſtillato cedens. CCCLXXV. 223
Vomitus per integrum annum inſtans. DCCLIII. 593
poſt lapſum innoxius. LXX. 41
variolis neglectis ſuccedentes letales. CMLXX. 685
Voracitas mala quædam reproducens. DCCCII. 553
Voracitatis pœnas ſtatim luens. X. 5
Urina à potu nimio cruda. LXIII. 36
Arthritica. CCVI. 120
febre depulſa tinctior. CCXC. 140
in febre continua ſemper bona. DLXIII. 347
mortis ſuſpicionem falſo injiciens. DCCXLVI. 465
nigra à ſanguine grumoſo. CCV. 119
nigricans nil mali denotans. DXX. 315
non prodit ſexus differentiam. CXC. 111
tincta de graviditate incerta. CMXXXIII. 655
tinctior metum injiciens CCXVIII. 128
Urinæ color à liquore nitri fixo mutatus. DCCCXXVI. 570
difficultas à glande glandulis obſita. CCLXII. 155
curata. DCCXVII. 446
in Infante lactente curata. DCXII. 380
excretio feliciter promota. CCLI. 147
fœtor nil mali denotans. CXXXV. 79
incontinentiæ oppoſita remedia. DCLXXIII. 418
Urinam aliam pro ſua monſtrans. CMLXI. 677
malitioſe corrumpens & permutans. DCCXCVIII. 495
promovens ſevum umbilico applicatum DCC. 435
Uromantæ celebres. DCLVII. 408
Uteri cum faucibus conſenſus. CLXX. 98
excreſcentia cancroſa. CCCXIV. 186
ſemel affecti diu habenda eſt ratio. CCCCXXXIV. 259
Uvæ acinum præſentans tumor à digito minimo recens nati infantis pendens. CMLIX. 675
Vulnus ſibi ipſi fortiter perurens. CMLXXV. 689
Uvulæ voluntarius motus. XXVI. 14

FINIS.